

PRAELECTIONES  
DOGMATICAE

AUCTORE

CHRISTIANO PESCH S.J.

TOMUS I

INSTITUTIONES  
PROPAEDEUTICAE AD SACRAM THEOLOGIAM

(I. DE CHRISTO LEGATO DIVINO / II. DE ECCLESIA CHRISTI  
III. DE LOCIS THEOLOGICIS)

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXIV  
HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

INSTITUTIONES  
PROPAEDEUTICAE  
AD SACRAM THEOLOGIAM

DE CHRISTO LEGATO DIVINO

DE ECCLESIA CHRISTI / DE LOCIS THEOLOGICIS

AUCTORE

CHRISTIANO PESCH S.J.

EDITIO SEXTA ET SEPTIMA

**LIBRARY**

FRANCISCAN FATHERS

PONUS RIDGE, RFD #3, BOX #169

NEW CANAAN, CONN.

240.509

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXIV  
HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Printed in Germany

Imprimi potest

*Coloniae, die 7 Aprilis 1923*

Bern. Bley S. J.,  
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

*Friburgi Brisgoviae, die 7 Ianuarii 1924*

‡ Carolus, Archiep.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

acc. No. 3819

## PRAEFATIO AD PRIORES EDITIONES.

**H**AE praelectiones inde ab a. 1885 autographice descriptae multorum manibus versabantur. Visum autem est eas typis mandare, ut earum usus esset facilior et communior.

Memineris igitur, quaeso, quicumque his libris uteris, eos primum conscriptos esse eorum commodo, qui finito triennali cursu philosophiae scholasticae per quattuor annos studio theologiae operam dant. Itaque quae in philosophia tradita sunt, hic supponuntur et, ubi opus est, in memoriam revocantur. Multa alia, quae in theologia dogmatica tractari possunt, ideo omittenda erant, quia aliis disciplinis theologicis: theologiae morali, introductioni in S. Scripturam, exegesi, iuri canonico, historiae ecclesiasticae, assignata sunt. Una tantum exceptio vitari vix et ne vix quidem poterat. Quaestio enim de authentia evangeliorum sine dubio pertinet ad introductionem in S. Scripturam. Verum in institutionibus propaedeuticis seu in theologia fundamentali, ut aliis placet, solutio huius quaestionis neque supponi neque negligi potest, ne totus tractatus fundamento carere et quasi in aere pendere videatur. Praeterea alius est status quaestionis in introductione in S. Scripturam, ubi magisterium ecclesiasticum iam ut concessum sumitur; alius autem in disciplina propaedeutica, in qua prima fundamenta theologiae supernaturalis iacienda sunt. Ex quo fit, ut theologos plurimos, qui in institutionibus propaedeuticis occupantur, videamus hanc quaestionem vel diligenter discutientes vel saltem leviter attingentes. Praeoptandum autem videtur rem semel accurate tractari quam saepius recoqui. Hanc ob causam uberius quam plerumque fieri solet, genuinitatem evangeliorum probare studui.

Ceterum quoniam proxime scholae servire volui, non quaestiones quasdam selectas, sed integram theologiam proponam, et eo quidem ambitu, ut quadriennium sufficiat ad materiam absolvendam et repetendam, si binae singulis diebus lectiones dogmaticae habentur. Id experimento probatum est, priusquam tractatus prelo committerentur. Sicubi amplior alicuius quaestionis tractatio desiderari videtur, legentes ad copiosiores scriptores delegabo.

Quod attinet ad modum allegandi dicta Sanctorum Patrum, non libros tantum et capita librorum indicavi, sed etiam tomos et columnas editionis Mignianae, quam significavi praeposita littera *M*, nullo ut plurimum facto indicio Patrologiae graecae vel latinae, cum, utraque adeunda sit, satis per se pateat. Etiam ubi lectiones recentiorum editionum praeferuntur, uniformitatis causa editionis Mignianae numeri indicantur. Cypriani opera secundum editionem Hartelianam (Academiae vindobonensis) citavi. Catechismi romani partes et capita eadem quidem sunt in omnibus editionibus, sed numeri quaestionum variantur; usus sum editione ratisbonensi (1866). Definitiones conciliorum, ubi fieri potuit, exscripsi ex „Enchiridio symbolorum et definitionum“ a Denzinger edito et a *Cl. Bannwart* correcto et aucto, adiectis numeris marginalibus (*Denz.* n. 134 etc.), quia hic libellus pluribus praesto est quam magnae collectiones Hardouini vel Mansi. Editionem 14 et 15 anno 1922 paravit *J. B. Umberg*. Eadem fere quae Denzinger ordine chronologico exhibet, ordine methodico disposuit *Ferd. Caballera* (Thesaurus doctrinae catholicae, Parisiis 1920), in fine voluminis indicans, qui numeri Enchiridii et Thesauri inter se respondeant. Si interdum citatur *Denz.* editio nona, hoc ideo factum est, quia illi numeri omissi sunt in editione decima et sequentibus. Magna commendatione dignum est „Enchiridion Patristicum“ a *M. J. Rouet de Journal* editum, cuius tertia editio prodiit Friburgi Brisg. a. 1920. Attamen a singulis locis indicandis plerumque abstinui, quia auctor saepe alios atque ego textus elegit; quare servire potest ad augenda argumenta patristica.

De Patrologia Migniana notasse iuvat paucorum voluminum eius, ut operum Tertulliani et Hieronymi, iteratas editiones factas esse, in quibus et typi et paginae mutatae sunt. Indicavi autem columnas prioris editionis, ad quam solam numeri in indicibus generalibus a Migne editis referuntur.

Quoties in variis tractatibus allegavi opera theologica, quorum titulus est idem atque titulus tractatus, in quo occurrunt, plerumque nomen tantum scriptoris notavi. E. g. si in tractatu de SS. Trinitate legitur: „Franzelin 120“, sensus est: „Franzelin, De Deo trino 120“. Tum solum, cum in eodem tractatu varia opera eiusdem scriptoris citavi, titulos singulorum operum apposui.

Post indicem partium huius tomi leguntur indices conciliorum, summorum pontificum, aliorum scriptorum; quorum vel dicta allegantur vel sententiae disputantur in Praelectionibus dogmaticis. Quia enim saepe haud parvi refert nosse, ad quae tempora pertineant, singula nomina ordine alphabetico exhibui, indicatis annis, in quantum de his

constat. Numerus, qui post nomina scriptorum ponitur, significat annum mortis. Qui nostra aetate vixerunt vel vivunt, solo nomine sine numero recensentur. Porro inter scholasticos dominicani (O. P.) Sancto Thoma posteriores vix non omnes sunt thomistae, franciscani (O. S. F.) solent esse scotistae, theologi vero Societatis Iesu (S. J.) neutri scholae absolute addicti sunt, quare interdum ab aliis neutrales vocantur. Benedictini (O. S. B.) plerique magis excoluerunt theologiam positivam quam scholasticam. Itaque istae abbreviationes, quibus ordines religiosi distinguuntur, nominibus adiunctae sunt in indice, ut in genere saltem innuatur, quo singulorum theologorum studia potissimum vergant.

Sequitur dein index alphabeticus haeresum, quae in Praelectionibus refutantur, cum brevissima earum explicatione.

Cum anno 1913 ediderim „Compendium theologiae dogmaticae“, licebit in „Praelectionibus dogmaticis“ nonnulla, quae maioris momenti videntur, paullo fusius exponere, sic tamen, ut etiam hoc opus limites librorum usui scholae destinatarum non excedat. Quae amplificationes si cui minus placent, praesto est remedium recurrendi ad illud Compendium, in quo non solum quam brevissime potui, totam rem dogmaticam complexus sum, sed etiam formam scholasticam, quam quidam in Praelectionibus desiderabant, diligenter servavi. Itaque cum nunc pro suo cuique fine vel sensu aut brevius aut fusius opus eligendi facultas sit, videor mihi pro viribus fecisse, ut omnium votis satisfacerem, quod si ex sententia successerit, laboris capti iucundissimus mihi fructus erit.

## PRAEFATIO AD EDITIONEM SEXTAM ET SEPTIMAM.

Quando triginta abhinc annis primum in lucem prodibat hoc opus, multae contra revelationem supernaturalem et ecclesiam catholicam obiectiones, hypotheses, historiae constructiones ut necessaria postulata scientiae praedicabantur, quae nunc oblivione fere sepulta sunt. Quae illa quidem aetate discutienda erant, nunc autem magnam partem ut inutilis moles eici poterant.

In eorum locum alia successerunt, quae pleraque meliora non sunt et mox eodem fato obibunt, sed tamen interim, quia tempus postulat, non omnino neglegenda videbantur.

Ex altera parte a suprema auctoritate ecclesiastica edita sunt nova decreta et declarationes et imprimis novus Codex iuris canonici, quibus variae quaestiones deciduntur vel elucidantur. Haec igitur ad usum theologicum arcessenda erant.

Neque disputationes quaedam recentes, inter theologos catholicos ortae, omitti debebant, etsi saepe sufficebat tacitis nominibus res tantum ipsas tractare vel indicare.

Sed quamvis hisce de causis in singulis rebus sat multae mutationes factae sunt, integra tamen mansit totius operis indoles, quae, ut fieri solet, non omnibus quidem satisfacit, multis tamen probata est.

Et quia haec nova editio, quam aggredior, quantum menti humanae de futuris conicere licet, erit ultima, quam ipse curabo, omnibus et singulis, qui consilio, opera, commendatione, impugnatione contulerunt, ut opus prosperum cursum tenuerit, ex animo gratias ago, et opto, ut quidquid ex amore veritatis praestiterunt, is qui est ipsa veritas, lumine caelesti iis abunde remuneretur.

## INDEX PARTIUM.

	Pag.
Praefatio ad priores editiones . . . . .	V
Praefatio ad editionem sextam et septimam . . . . .	VII
Index alphabeticus conciliorum . . . . .	XVI
Index alphabeticus summorum pontificum . . . . .	XVII
Index alphabeticus scriptorum . . . . .	XVIII
Index haeresum . . . . .	XXIII

### PROLEGOMENA DE THEOLOGIA EIUSQUE HISTORIA.

#### CAPUT I.

##### DE THEOLOGIAE NOTIONE ET DIVISIONE.

§ 1. De subiecto theologiae . . . . .	1
§ 2. De obiecto formali theologiae . . . . .	2
§ 3. Theologia sitne scientia . . . . .	3
§ 4. Habitus theologiae sitne supernaturalis . . . . .	4
§ 5. De distinctione theologiae a fide divina . . . . .	6
§ 6. Theologia est scientia speculativa . . . . .	6
§ 7. De dignitate theologiae . . . . .	7
§ 8. De variis theologiae divisionibus . . . . .	8
§ 9. De relatione inter theologiam positivam et scholasticam . . . . .	10

#### CAPUT II.

##### DE THEOLOGIAE DOGMATICAE SYSTEMATE ET HISTORIA.

§ 1. De systemate theologiae dogmaticae . . . . .	11
§ 2. De historia theologiae dogmaticae . . . . .	13
De epocha SS. Patrum . . . . .	14
De epocha scholasticorum veterum . . . . .	20
De epocha theologiae post concilium tridentinum . . . . .	25
§ 3. De habitudine inter theologiam dogmaticam et theologiam moralem . . . . .	27

### INSTITUTIONES PROPAEDEUTICAE AD SACRAM THEOLOGIAM.

Praenotanda . . . . .	31
-----------------------	----

PARS PRIMA.  
DE CHRISTO LEGATO DIVINO.

SECTIO I.  
DE FONTIBUS HISTORIAE IESU CHRISTI.

ART. I.  
DE GENUINITATE EVANGELIORUM.

	Pag.
Praenotanda	31
Prop. I. Quattuor evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem genuina agnovit antiquitas christiana	41
Prop. II. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex evangeliiis apocryphis	62
Prop. III. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex impugnatione scriptorum gentilium	65
Prop. IV. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex veterum haeticorum agendi modo	68
Prop. V. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex discordia, quae regnat inter recentes eorum impugnatores	71
Prop. VI. Probatur genuinitas singulorum evangeliorum	77
De evangelio Matthaei	77
De evangelio Marci	83
De evangelio Lucae	86
De evangelio Ioannis	88
Schol. I. Externis testimoniis respondent interna criteria, quibus evangeliorum genuinitas comprobatur	93
Schol. 2. Comparatio evangeliorum cum scriptis buddhisticis et babilonicis	95

ART. II.  
DE CREDIBILITATE EVANGELIORUM.

Prop. VII. Scriptores evangeliorum sunt fide digni	98
Schol. De testimoniis quorundam scriptorum veterum profanorum	102

SECTIO II.  
DE TESTIMONIO, QUOD CHRISTUS REDDIDIT DE LEGATIONE SUA DIVINA.

Prop. VIII. Christus se ipsum professus est legatum divinum	105
Prop. IX. Testimonium Iesu Christi de legatione sua divina iam per se fidem meretur	108
Prop. X. Nullius momenti sunt, quae rationalistae contra possibilitatem revelationis divinae a priori obiciunt	111
Prop. XI. Ne mysteriorum quidem revelationem repugnare probari potest	117
Prop. XII. Revelatio homini utilis, immo quadamtenus necessaria est	121
Prop. XIII. Iesus Christus docuit integram suam doctrinam omnibus hominibus necessario amplectendam esse	125

SECTIO III.  
DE ARGUMENTIS, QUIBUS CHRISTUS TESTIMONIUM SUUM COMPROBAVIT.

ART. I.  
DE MIRACULIS CHRISTI.

	Pag.
Prop. XIV. Iesus Christus ad probandam legationem suam divinam provocavit ad miracula, quae patravit	128
Prop. XV. Nihil valent obiectiones rationalistarum contra possibilitatem et cognoscibilitatem miraculorum	131
Prop. XVI. Iesus Christus in confirmationem legationis suae divinae multa opera patravit, quae characteribus verorum miraculorum insignita sunt	136
Prop. XVII. Speciatim resurrectio Iesu Christi a mortuis est verum miraculum et certum argumentum divinae legationis eius	138
Schol. De „miraculis“ fundatorum aliarum religionum	145

ART. II.  
DE VATICINIIS CHRISTI.

Prop. XVIII. Christus vaticiniis quoque probavit se legatum divinum	148
---	-----

ART. III.  
DE VATICINIIS MESSIANICIS VETERIS TESTAMENTI.

Prop. XIX. Multis saeculis ante Christum inter iudaeos exstabant vaticinia, quibus futurus Messias praedicebatur	150
Prop. XX. Vaticinia messianica breviter explicantur	153
Proto-Evangelium	153
Vaticinium Noe	154
Promissiones Abraham factae	155
Vaticinium Iacob	155
Vaticinia David et Salomoni facta	158
Vaticinia de abiectioe populi Israel et pastorum eius et de suscitatione novi pastoris	160
Vaticinia de muneribus novi pastoris regali, prophetico, sacerdotali	162
Vaticinia de tempore adventus Messiae et de loco nativitatis eius	164
Prop. XXI. Vaticinia messianica Veteris Testamenti in Christo impleta sunt	169
Schol. De modo loquendi prophetico	171

ART. IV.  
DE MIRABILI PROPAGATIONE DOCTRINAE CHRISTI.

Prop. XXII. Mirabilis modus, quo doctrina Christi propagata est, divinitatem huius doctrinae comprobatur	171
--	-----

ART. V.  
DE CRITERIIS INTERNIS DOCTRINAE CHRISTI.

Prop. XXIII. Interna quoque criteria divinitatem doctrinae Christi suadent	181
--	-----

PARS SECUNDA.  
DE ECCLESIA CHRISTI.

SECTIO I.  
DE INSTITUTIONE ECCLESIAE.

	Pag.
Prop. XXIV. Christus instituit vivum magisterium apostolicum ad doctrinam suam conservandam et propagandam	184
Prop. XXV. Magisterium a Christo institutum praerogativa infallibilitatis in tradenda Christi doctrina insignitum est	186
Prop. XXVI. Christus apostolis contulit potestatem iurisdictionis, i. e. potestatem legislativam, iudicalem, coactivam	189
Schol. 1. De extensione potestatis coactivae apostolorum	192
Schol. 2. Praerogativae muneris apostolatus strictae dicti	192
Prop. XXVII. Christus apostolis contulit potestatem ordinis seu potestatem sanctificandi homines per ritus religiosos a Christo institutos	192
Prop. XXVIII. In collegio apostolorum Petro primatus iurisdictionis in universam ecclesiam a Christo promissus est	194
Schol. 1. S. Petri auctoritas comparata cum auctoritate reliquorum apostolorum	205
Schol. 2. Tituli, qui Petro a SS. Patribus tribuuntur	206
Schol. 3 (dogmaticum). De aequalitate Petri et Pauli	206
Prop. XXIX. Iesus Christus post resurrectionem suam Petro primatum promissum contulit	206
Schol. 1 (dogmaticum). Doctrina Vaticani de primatu Petri	209
Schol. 2. Obiectiones contra primatum Petri	210
Prop. XXX. Christus eo, quod instituit collegium apostolicum sub Petro primatum ad homines docendos, regendos, sanctificandos, factus est auctor societatis religiosae supernaturalis, quam vocavit ecclesiam suam	211
Schol. 1. De variis placitis protestantium recentium	216
Schol. 2 (dogmaticum). Quomodo ecclesia ab initio mundi exstiterit	217
Prop. XXXI. Christus voluit, ut ecclesia a se instituta morte apostolorum non interiret, sed usque ad finem mundi permaneret	219

SECTIO II.  
DE NATURA ET PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

Quomodo haec sectio cum priore cohaereat	222
Prop. XXXII. Ecclesia est societas visibilis	223
Schol. (dogmaticum). De membris ecclesiae	228
Prop. XXXIII. Ecclesia est societas hierarchica	231
Schol. 1. Reiciuntur theoriae de origine hierarchiae ecclesiasticae recens excogitatae	247
Schol. 2 (dogmaticum). Refutantur aliae falsae opiniones de constitutione ecclesiae	249
Schol. 3 (dogmaticum). Reicitur error de aequalitate episcoporum et presbyterorum	252
Schol. 4 (dogmaticum). De gradibus hierarchicis ab ecclesia institutis	255
Prop. XXXIV. Ecclesia est societas monarchica	258
Schol. 1 (dogmaticum). De potestate summi pontificis circa ius divinum	268
Schol. 2 (historico-dogmaticum). De decretalibus Pseudo-Isidorianis	269

	Pag.
Prop. XXXV. Ecclesia est societas perfecta	270
Prop. XXXVI. Non est nisi unica ecclesia Christi	273
Prop. XXXVII. Ecclesia Christi omnibus hominibus ad salutem consequendam necessaria est	277
Schol. (dogmaticum). De ecclesia, corpore Christi mystico	280

SECTIO III.  
DE NOTIS ECCLESIAE.

Prop. XXXVIII. Sunt aliquae notae, quibus vera Christi ecclesia manifestatur	283
Prop. XXXIX. Recte quattuor notae ecclesiae statuuntur: apostolicitas, unitas, catholicitas, sanctitas	285
Schol. De praescriptione theologica	292
Prop. XL. Quattuor notae verae ecclesiae Christi in ea sola ecclesia inveniuntur, in qua romanus pontifex primatum gerit	294
I. Quattuor notae conveniunt ecclesiae romano-catholicae	295
II. Hae notae nulli alii coetui christiano conveniunt	301

SECTIO IV.  
DE SUBJECTO ACTIVO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

ART. I.

DE EPISCOPIS.

Prop. XLI. Successores apostolorum in magisterio et regimine ecclesiastico sunt episcopi	304
Prop. XLII. Non singuli episcopi separatim spectati sunt magistri infallibiles	307
Prop. XLIII. Episcopi in oecumenicum concilium collecti sunt infallibiles in definienda doctrina revelata	309
Schol. 1. Quomodo definitiones conciliorum se habeant ad magisterium summi pontificis	321
Schol. 2. De nominibus concilii et synodi	324
Prop. XLIV. Magisterium ecclesiasticum, etsi non in concilium collectum sed dispersum per orbem terrarum, infallibile est in proponenda doctrina Christi	325

ART. II.

DE ROMANO PONTIFICE.

Prop. XLV. Romanus pontifex est successor S. Petri in primatu	327
I. S. Petrus Romae fuit ibique mortuus est	328
II. S. Petrus Romae sedem suam collocavit et episcopum romanum successorem in primatu instituit	336
III. Romani pontifices sibi semper attribuerunt primatum	340
IV. Ecclesia agnovit primatum romani pontificis	343
V. Concilia oecumenica primatum romani pontificis agnoverunt	349
VI. Romanus pontifex iure divino tenet primatum	351
Schol. 1. De canone 28 concilii chalcedonensis	354
Schol. 2. De distinctione inter sedem et sedentem	354
Schol. 3. De papa dubio	355
Prop. XLVI. Romanus pontifex ex cathedra loquens eadem infallibilitate pollet qua ecclesia docens	356

	Pag.
Schol. 1. Obiectiones, quae ex historia petuntur contra infallibilitatem summi pontificis	363
Schol. 2. Quomodo dignosci possint definitiones cathedrales	367
Schol. 3. De auctoritate congregationum romanarum	369
Schol. 4. De subiecto passivo auctoritatis ecclesiasticae	370

## SECTIO V.

## DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

Prop. XLVII. Ecclesia est infallibilis in definienda doctrina revelata	372
Schol. De divisione dogmatum	378
Prop. XLVIII. Ecclesia est infallibilis in statuendis conclusionibus theologicis	379
Prop. XLIX. Ecclesia est infallibilis in diiudicandis factis dogmaticis	383
Prop. L. Ecclesia est infallibilis in decretis disciplinariis et in approbatione ordinum religiosorum	385
Prop. LI. Ecclesia est infallibilis in canonizatione sanctorum	388
Schol. De valore dogmatico propositionum et de censuris doctrinalibus	392

## PARS TERTIA.

## DE LOCIS THEOLOGICIS.

Praenotanda quaedam de locis theologicis in genere	396
--	-----

## SECTIO I.

## DE SACRA TRADITIONE.

## ART. I.

## DE SACRA TRADITIONE IN GENERE.

Prop. LII. Praeter S. Scripturam admittendus est alius fons theologicus: traditio sacra	397
Schol. 1. Quomodo res se habuerit in Vetere Testamento	401
Schol. 2. Quot fontes designentur nomine traditionis	402

## ART. II.

## DE SS. PATRIBUS.

Prop. LIII. Unanimis consensus SS. Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum	404
Schol. De condicionibus requisitis ad argumentandum ex SS. Patribus	408
Prop. LIV. SS. Patribus etiam ut doctoribus privatis magna auctoritas convenit in quaestionibus theologicis	413
Schol. Praecepta de modo utendi auctoritate SS. Patrum	416

## ART. III.

## DE THEOLOGIS.

Prop. LV. Unanimis theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum	417
--	-----

	Pag.
Schol. 1. De S. Thoma	421
Schol. 2. De consensu ecclesiae discentis	423
Schol. 3. De usu rationis humanae in theologia	424

SECTIO II.  
DE SACRA SCRIPTURA.

## ART. I.

## DE EXSISTENTIA ET NOTIONE INSPIRATIONIS.

Prop. LVI. Secundum testimonia S. Scripturae existunt libri, qui Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent	426
Prop. LVII. Inspiratio S. Scripturae probatur ex traditione	430
Prop. LVIII. Inspiratio consistit in supernaturali influxu, quo Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult, et in supernaturali adiutorio, quo hominem iuvat ad res apte scribendas	434
Schol. Inspiratio est gratia gratis data	440
Prop. LIX. Ad rationem libri inspirati neque sola assistentia Dei avertentis periculum erroris a scribente neque subsequens quam vocant inspiratio sufficit	440
Schol. Non repugnat liber inspiratus, cuius res et sententiae omnes iam apud alios scriptores inveniuntur	443

## ART. II.

## DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS.

Prop. LX. Inspiratio extenditur ad omnes omnino res et sententias, quae ab auctore sacro scriptae sunt; sed vi inspirationis non omnia eodem modo vera sunt	443
Prop. LXI. Inspiratio omnium verborum materialium et constructionum S. Scripturae admittenda non est	450

## ART. III.

## DE CRITERIO INSPIRATIONIS.

Prop. LXII. Traditio catholica est unicum criterium sufficiens inspirationis omnium sacrorum librorum	454
Conclusio	458
Appendix de evangeliiis et eorum inter se relatione	459
Index alphabeticus	471

## INDEX ALPHABETICUS CONCILIORUM.

quorum definitiones in Praelectionibus allegantur.

- Ancyranum a. 314.  
 Arausicanum I (Orange) 441.  
 — II 529.  
 Arelatense I 314.  
 Baltimoreense III 1884.  
 Bracarense (Braga) 561.  
 Cabillonense II (Chalon-sur-Saône) 813.  
 Carisiacum (Quiercy) 853.  
 Carthaginense II 390.  
 — III 397.  
 — XVI, plenarium 418 (idem canones atque in Milevitano II).  
 — IV, vulgatum, ficticum = veteres canones.  
 Chalcedonense, quartum oecumenicum 451.  
 Coloniense 1860.  
 Constantiense, decimum sextum oecumenicum 1414—1418.  
 Constantinopolitanum I, secundum oecumenicum 381.  
 — II, quintum oecumenicum 553.  
 — III, sextum oecumenicum 680—681.  
 — IV, octavum oecumenicum 869.  
 Diospolitatum (Lydda) 415.  
 Eliberitanum (Elvira) 300.  
 Ephesinum, tertium oecumenicum 431.  
 Florentinum, decimum septimum oecumenicum 1438—1445.  
 Francofordiense 794.  
 Guastallense 1106.  
 Hispalense IV (Sevilla) 619.  
 Laodicenum post medium saec. IV.  
 Lateranense 649.  
 — IV, duodecimum oecumenicum 1215.  
 — V, duodevigesimum oecumenicum 1512 ad 1517.  
 Lugdunense II, decimum quartum oecumenicum 1274.  
 Matisconense (Macon) 585.  
 Milevitanum II 416.  
 Moguntinum 1549.  
 Neocaesariense 314.  
 Nicaenum I, primum oecumenicum 325.  
 — II, septimum oecumenicum 787.  
 Pictaviense 1280.  
 Romanum sub Gregorio VII 1079.  
 Ticinense (Papiense, Pavia) 850.  
 Toletanum I 400.  
 — II 447.  
 — XI 675.  
 Tridentinum, undevigesimum oecumenicum 1545—1563.  
 Valentinum (Valence) 855.  
 Vaticanum, vigesimum oecumenicum 1869 ad 1870.  
 Veronense 1164.  
 Viennense, decimum quintum oecumenicum 1311.

E conciliis oecumenicis ommissa sunt quattuor: nonum (Lateranense I, 1123), decimum (Lateranense II, 1139), undecimum (Lateranense III, 1179), decimum tertium (Lugdunense I, 1245), quia in iis de rebus dogmaticis non agitur. Milevitanum II et Arausicanum II aequaliter universalia sunt propter universalem receptionem. Ceterum idem fere valet de nonnullis conciliis, quae communiter inter oecumenica numerantur.

## INDEX ALPHABETICUS SUMMORUM PONTIFICUM.

quorum decreta in Praelectionibus dogmaticis proponuntur.

- Adrianus I 772—795.  
 — VI 1522—1523.  
 Agatho 678—681.  
 Alexander III 1159—1181.  
 — VII 1655—1667.  
 — VIII 1689—1691.  
 Anastasius II 496—498.  
 Benedictus XI 1303—1304.  
 — XII 1334—1342.  
 — XIII 1724—1730.  
 — XIV 1740—1758.  
 Bonifatius I 418—422.  
 Callistus 217—222.  
 Clemens I, Romanus, circa 90—99.  
 — V 1305—1314.  
 — VI 1342—1352.  
 — VIII 1592—1605.  
 — XI 1700—1721.  
 Coelestinus I 422—432.  
 Cornelius 251—253.  
 Damasus I 366—384.  
 Dionysius 259—268.  
 Eugenius IV 1431—1447.  
 Felix III 526—530.  
 Gelasius I 492—496.  
 Gregorius I Magnus 590—604.  
 — VII 1073—1085.  
 — IX 1227—1241.  
 — XI 1370—1378.  
 — XIII 1572—1585.  
 — XV 1621—1623.  
 — XVI 1831—1846.  
 Hadrianus *vide* Adrianus.  
 Honorius I 625—638.  
 Hormisdas 514—523.  
 Innocentius I 401—417.  
 — III 1198—1216.  
 — IV 1243—1254.  
 — V 1276.  
 Innocentius VIII 1484—1492.  
 — X 1644—1655.  
 — XI 1676—1689.  
 Ioannes II 533—535.  
 — IV 640—642.  
 — XXII 1316—1334.  
 Iulius I 337—352.  
 — III 1550—1555.  
 Leo I Magnus 440—461.  
 — IX 1049—1054.  
 — X 1513—1521.  
 — XIII 1878—1903.  
 Liberius 352—366.  
 Martinus V 1417—1431.  
 Nicolaus I 858—867.  
 Paschalis II 1099—1118.  
 Paulus IV 1555—1559.  
 — V 1605—1621.  
 Pelagius I 556—561.  
 — II 579—590.  
 Petrus apostolus † circa 67.  
 Pius II 1458—1464.  
 — V 1566—1572.  
 — VI 1775—1799.  
 — VII 1800—1823.  
 — IX 1846—1878.  
 — X 1903—1914.  
 Siricius 384—398.  
 Sixtus IV 1471—1484.  
 Stephanus I 254—257.  
 Urbanus II 1088—1099.  
 — V 1362—1370.  
 — VIII 1623—1644.  
 Victor I 189—198.  
 Vigilus 537—555.  
 Zacharias 741—752.  
 Zephyrinus 198—217.  
 Zosimus 417—418.



## INDEX ALPHABETICUS SCRIPTORUM,

quorum dicta in Praelectionibus citantur<sup>1</sup>.

- Aberecius post 180.  
 Abucara, Theodorus, circa finem saec. VIII.  
 Aegidius Romanus O. S. Aug. 1316.  
 Albertini, Georgius Franciscus, O. P.  
 Albertus Magnus O. P. 1280.  
 Alcuinus 804.  
 Alexander Alexandrinus 328.  
 — Halensis O. S. F. 1245.  
 Algerus O. S. B. 964.  
 Alphonsus Maria de Liguorio, S., ecclesiae  
 doctor, fundator ordinis sanctissimi Red-  
 emptoris 1787.  
 Alvarez, Didacus, O. P. 1635.  
 Amalarius Metensis circa 857.  
 Ambrosius, S., ecclesiae doctor 397.  
 Amicus, Franciscus, S. J. 1651.  
 Amphilocheus Iconiensis circa finem saec.  
 IV.  
 Anastasius Sinaita circa medium saec. VIII.  
 Andreas Cretensis, S., circa 720.  
 Anselmus, S., ecclesiae doctor, O. S. B.  
 1109.  
 Antiochus, episc. saec. V.  
 Antoine, Gabriel, S. J. 1743.  
 Antoninus, S., O. P. 1459.  
 Aphraates ante medium saec. IV.  
 Apollonius 197.  
 Aquaviva, Claudius, S. J. 1615.  
 Arendt, Guilelmus, S. J.  
 Aristides circa medium saec. II.  
 Armachanus, Richardus Rodulfi, circa 1360.  
 Interdum Petrus Lombardus vocatur  
 Armachanus. Item Iansenius Yprensis  
 hoc pseudonymo Armachani utitur.  
 Arnauld, Antonius, Iansenista 1694.  
 Arnobius 327.  
 Arriaga, S. J. 1667.  
 Athanasius, S., ecclesiae doctor 373.  
 Athenagoras circa finem saec. II.  
 Atzberger, Leonh.  
 Augustinus, S., ecclesiae doctor 430.  
 Aureolus, Petrus, O. S. F. 1322.  
**B**aius, Michael, auctor baianismi 1589.  
 Balaeus, poeta syrus, initio saec. V.  
 Ballerini, Antonius, S. J.  
 Bañes, Dominicus, O. P. 1604.  
 Bardenhewer, Otto.  
 Barnabas, apostolus, post medium saec. I.  
 Basilius Magnus, S., ecclesiae doctor 379.  
 Batiffol, Petrus.  
 Bauer, Adolfus.\*  
 Baur, Ferdinandus Christianus\*.  
 Becanus, Martinus, S. J. 1624.  
 Beck, Antonius.  
 Beda Venerabilis O. S. B., ecclesiae doc-  
 tor 735.  
 Bellarminus, Robertus, S. J. 1621.  
 Bellord, episc.  
 Berengarius 1088.  
 Bernal, Augustinus, S. J. 1642.  
 Bernardus, S., ecclesiae doctor, O. Cist.  
 1153.  
 Berning, W., episc.  
 Berti, Ioannes Laurentius, O. S. Aug. 1766.  
 Bessarion O. S. Basil. 1472.  
 Biel, Gabriel, nominalista 1495.  
 Billot, Ludovicus, S. J.  
 Billuart, Carolus Renatus, O. P. 1757.  
 Boethius, Anicius Manlius Severinus 525.  
 Bolgeni, Ioannes Vincentius, S. J.  
 Bonaventura, S., ecclesiae doctor, O. S. F.  
 1274.  
 Bonfrerius, Iacobus, S. J. 1642.  
 Bonnetty, Augustinus.  
 Bosco, Ioannes, O. S. F. 1684.  
 Bouquillon, Thomas.  
 Bousset, W.\*  
 Brewer, Henr., S. J.  
 Brightman, F. E.\*

<sup>1</sup> Nominibus acatholicorum additur asteriscus\*. Omittuntur hic ii scriptores, qui in Praelectionibus simpliciter nominantur, nullis verbis allegatis. Eorum nominibus, qui saeculo XIX vel saeculo XX vixerunt vel vivunt, numerus non additur; de ceteris numeri significant tempus mortis.

- Bromiard, Ioannes, O. P. circa 1380.  
 Bruno Astensis, S., O. S. B. 1123.  
**C**aesarius Arelatensis, S. 542.  
 Caietanus, Thomas, de Vio, O. P. 1534.  
 Caius initio saec. III.  
 Canisius, Petrus, B., S. J. 1597.  
 Canus, Melchior, O. P. 1560.  
 Capreolus, Ioannes, O. P. 1444.  
 Caspari, Walter\*.  
 Cassianus, Ioannes, ante medium saec. V.  
 Cassiodorus, Magnus Aurelius, circa 570.  
 Catharinus, Ambrosius, O. P. 1543.  
 Chemnitius, Martinus\*, 1586.  
 Chrysologus, Petrus, S., ecclesiae doctor 450.  
 Chrysostomus, Ioannes, S., ecclesiae doctor  
 407.  
 Claudius, Apollinaris, circa finem saec. II.  
 Clemens Alexandrinus, Titus Flavius circa  
 217.  
 Clifford, Guilelmus Joseph Hugo, episc.  
 Coninck, Aegidius, S. J. 1633.  
 Conradus de Saxonia O. S. F. 1279.  
 Contenson, Vincentius, O. P. 1674.  
 Cornelius a Lapide S. J. 1637.  
 Cornely, Rudolfus, S. J.  
 Cusanus, Nicolaus 1464.  
 Cyprianus, Thascius Caecilius, S., 258.  
 Cyrillus Alexandrinus, S., ecclesiae doctor  
 444.  
 — Hierosolymitanus, S., ecclesiae doctor  
 386.  
**D**amascenus, Ioannes, S., ecclesiae doctor  
 post 750.  
 D'Argentré du Plessis, Carolus 1740.  
 Delitzsch, Fridericus\*.  
 Denzinger, Henricus Ioseph.  
 Deza, Didacus, Hispalensis, O. P. 1523.  
 Diekamp, Franciscus.  
 Dionysius, Areopagita dictus, probabiliter  
 saec. V.  
 — Magnus Alexandrinus, S., 265.  
 — Carthusianus 1471.  
 — Corinthius, S., saec. II.  
 Dörner, Isaac Augustus\*.  
 Dorsch, E., S. J.  
 Drouin, Renatus, O. P. 1742.  
 Dulowy, E.  
 Dummermuth, Antonius Maria, O. P.  
 Durandus, Guilelmus, canonista 1296.  
 — a S. Porciano, Guilelmus, O. P. 1334.  
**E**admerus 1121.  
 Ebrard, Augustus\*.  
 Ehrle, Franciscus, S. J.  
 Eichhorn, Ioannes Godofridus\*.  
 Elias Damascenus\* saec. IX.  
 Ephraem Syrus, S., circa finem saec. IV.  
 Epiphanius, S., 403.  
 Erasmus, Desiderius, 1536.  
 Ernst, Ioan.  
 Pesch, Praelectiones dogmaticae, I. Ed. 6/7.  
 Esparza Artieda, Martinus, S. J. 1689.  
 Esser, Gerardus.  
 Estius, Guilelmus, 1613.  
 Eulogius Alexandrinus 608.  
 Euringer, Seb.  
 Eusebius Caesariensis Pamphili circa 340.  
 Euthymius Zigabenus O. S. Basil. initio  
 saec. XII.  
**F**aber, Philippus, O. S. F. 1630.  
 Farvacques, Franciscus, O. S. Aug. 1689.  
 Faure, Ioannes B., S. J. 1779.  
 Faustus Regiensis circa finem saec. V.  
 Felder, Hilar., O. M. Cap.  
 Ferrariensis, Franciscus, O. P. 1528.  
 Firmilianus Caesariensis 269.  
 Flavius Iosephus, iudaeus, saec. I p. Chr.  
 Franciscus Salesius, S., ecclesiae doctor  
 1622.  
 Franzelin, Ioannes B., S. J.  
 Freisen, Ioseph.  
 Frins, Victor, S. J.  
 Fulgentius Ruspensis, S., 533.  
 Funk, Franciscus Xav.  
 Funke, Bernardus.  
**G**arrigou-Lagrange, Reg., O. P.  
 Gasparri, Petrus.  
 Gazzaniga, Petrus Maria, O. P. 1799.  
 Genebrardus, Gilbertus, O. S. B. 1597.  
 Gennadius Massiliensis saec. V.  
 Georgius Trapezuntius 1486.  
 Gerigk, H.  
 Germanus Constantinopolitanus, S., 733.  
 Gesenius, Guilelmus\*.  
 Gieseler, Ioannes Carolus Ludovicus\*.  
 Gießwein, Alexander.  
 Gietmann, Gerardus, S. J.  
 Gilbertus Porretanus 1154.  
 Gillius, Christophorus, S. J. 1608.  
 Godoy, Petrus de, O. P. 1677.  
 Gomarus, Franciscus\* 1641.  
 Gonet, Ioannes B., O. P. 1681.  
 Gotti, Ludovicus, O. P. 1742.  
 Göttler, Ioseph.  
 Goudin, Antonius, O. P. 1695.  
 Gratianus saec. XII.  
 Graveson, Hyacinthus, O. P. 1733.  
 Gravois, Marcus Antonius, O. S. F. post  
 1762.  
 Gregorius Ariminensis 1359.  
 — Bergamensis 1146.  
 — Nazianzenus, S., ecclesiae doctor 390.  
 — Nyssenus, S., post 394.  
 — Thaumaturgus, S., circa 270.  
 — Turonensis, S., circa 594.  
 — de Valentia, S. J. 1603.  
 Gretser, Iacobus, S. J. 1625.  
 Gryse, E. de.  
 Güder, Eduardus\*.  
 Guilelmus Altissiodorensis (Auxerre) 1232.  
 — Parisiensis (Alvernum, Auvergne) 1249.  
 b\*\*

Günther, Antonius.  
Gutberlet, Constantinus.  
Gutjahr, F. S.

Haneberg, Daniel, O. S. B.  
Harnack, Adolphus\*.  
Hase, Carolus Augustus\*.  
Hegesippus circa finem saec. II.  
Heinrich, Ioannes B.  
Heitmüller, W.\*  
Henao, Gabriel, S. J. 1704.  
Henricus Gandavensis 1293.  
— Ostiensis 1271.  
Herbigny, Mich. d', S. J.  
Herincx, Guilelmus, O. S. F. 1677.  
Hermas saec. II.  
Hermes, Georgius.  
Hervaeus Natalis O. P. 1323.  
Hieremias *vide* Ieremias.  
Hieronymus, S., ecclesiae doctor 420.  
Hilarius Arelatensis, S., 449.  
— Pictaviensis, S., ecclesiae doctor 366.  
Hilgenfeld, Adolphus\*.  
Hill, Hamlyn J.\*  
Hinemarum Rhemensis 882.  
Hippolytus, S., circa med. saec. II.  
Hirscher, Ioannes B.  
Hofmann, Rudolfus Hugo\*.  
Holtzmann, Henricus Iulius\*.  
Hoppe, Ludovicus Augustus.  
Hosius Cordubensis 357.  
Hugo Victorinus O. S. Aug. 1141.  
Hugon, E., O. P.  
Hühn, Eugenius\*.  
Hummelauer, Franciscus de, S. J.  
Huther, Ioannes Eduardus\*.

Jahn, Ioannes.  
Jansen, Bernardus, S. J.  
Jansenius, Cornelius, Gandavensis 1576.  
— Cornelius, Yprensis, auctor iansenismi 1638.  
Janssens, Laur., O. S. B.  
Ibas, episc. 457.  
Jensen, P.\*  
Ieremias II Constantinopolitanus\* 1594.  
— Martyr, S., initio saec. II.  
Ioannes Antioch., episc. 441.  
— Beletus circa finem saec. XII.  
— Chrysostomus *vide* Chrysostomus.  
— Damascenus *vide* Damascenus.  
— Darensis\* saec. VIII.  
— Parisiensis iunior O. P. 1306.  
— Thessalonicensis post 680.  
Irenaeus, S., 202.  
Isaac Antioch. circa 460.  
Isidorus Hispalensis, S., ecclesiae doctor 636.  
Iulianus Pomerius saec. V.  
Jülicher, A.\*

Iulius Africanus initio saec. III.  
Jungmann, Ioseph, S. J.  
Iustiniani, Benedictus, S. J. 1622.  
Iustinus Martyr, S., circa 167.

Kern, Ioseph, S. J.  
Kirsch, J. P.  
Klee, Henricus.  
Kleutgen, Ioseph, S. J.  
Knabenbauer, Ioseph, S. J.  
Kneller, C. A., S. J.  
Knoodt, Petrus.  
Koch, W.  
Küstlin, Iulius\*.  
Krieg, Cornelius.  
Kuhn, Ioannes Ev.  
Kurz, Ant.

Lactantius, Firmilianus, circa 330.  
Lainez, Iacobus, S. J. 1565.  
Lamy, Thomas Ioseph.  
Lanfrancus O. S. B. 1089.  
Langen, Ioseph (post 1870 acatholicus).  
Lapide *vide* Cornelius.  
Launoy, Ioannes de, 1678.  
Lea, H. C.\*  
Ledesma, Mart., O. P. 1574.  
— Petrus, O. P. 1616.  
Lefebvre, A.  
Lehmkuhl, Augustinus, S. J.  
Leitner, Franciscus Xav.  
Lemos, Thomas, O. P. 1629.  
Lenormant, Franciscus.  
Leontius Byzantinus circa 543.  
Leporius initio saec. V.  
Lequien, Michael, O. P. 1733.  
Lessius, Leonardus, S. J. 1623.  
Lewis, A.\*  
Lietzmann, H.\*  
Lightfoot, J. B.\*  
Liguorius *vide* Alphonsus.  
Lipsius, Richardus\*.  
Loisy, A. (ab ecclesia defecit).  
Lombardus, Petrus 1164.  
Löning, Edgarus\*.  
Loofs, Frid.\*  
Lucianus, gentilis, saec. II post Chr.  
Lucius, E.\*  
Lugo, Ioannes de, S. J. 1660.  
Lupus, Christianus, O. S. Aug. 1681.

Macarius Magnes post 410.  
Mader I.  
Maldonatus, Ioannes, S. J. 1583.  
Mallet, F.  
Maranus, Prudentius, O. S. B. 1762.  
Mariales, Xantes, O. P. 1660.  
Marius Mercator med. saec. V.  
Marsilius Patavinus 1343.  
Martène, Edmundus, O. S. B. 1739.  
Martin, Ioannes Petrus, S. J.  
Martinez, Nicolaus, S. J. post 1678.

Martinonus, Ioannes, S. J. 1662.  
Maruthas Maikerphat., S., initio saec. V.  
Mastrius de Meldula, Bartholomaeus, O. S. F. 1673.  
Maurus, Silvester, S. J. 1687.  
Mausbach, Ios.  
Maximus Confessor, S., 662.  
— Taurinensis, S., post 465.  
Mayr, Antonius, S. J. 1749.  
Mayronis, Franciscus, O. S. F. 1327.  
Medina, Bartholomaeus, O. P. 1581.  
Melanchthon, Philippus\* 1560.  
Melito Sardicensis saec. II.  
Methodius 312.  
Meyer, Theodorus, S. J.  
Michiels, Andreas.  
Minucius Felix, Marcus, saec. II.  
Mivart, St. George.  
Mogilas, Petrus\* 1647.  
Möhler, Ioannes Adamus.  
Molina, Ludovicus, S. J. 1600.  
Morgott, Franciscus.  
Morinus, Ioannes, oratorianus 1659.  
Murray, Patricius.

Natalis, Alexander, O. P. 1724.  
Nazarius, Ioannes Paulus, O. P. 1646.  
Newman, Ioannes Henricus, oratorianus.  
Nicephorus Callisti saec. XIV.  
Nicolaus a S. Albano circa finem saec. XII.  
Nikel, Io.  
Nilles, Nicolaus, S. J.  
Nöldeke, Theodorus\*.

Occamus, Guilelmus, O. S. F. 1349.  
Odo de Soliaco 1208.  
Oecumenius fortasse saec. VII.  
Olivi, Ioannes Petrus, O. S. F. 1298.  
Optatus Milevitanus saec. IV.  
Origenes 254.  
Orosius saec. V.  
Ostiensis *vide* Henricus.  
Ottiger, Ign., S. J.  
Oviedo, Franciscus, S. J. 1651.

Pacianus, S., circa finem saec. IV.  
Pallavicino, Sforza, S. J. 1607.  
Palmieri, Dominicus, S. J.  
Palude, Petrus de (Paludanus), O. P. 1342.  
Pantaenus, S., circa finem saec. III.  
Papagni, Thomas, O. P.  
Papias, S., saec. II.  
Paschasius diaconus, S., saec. V.  
— Radbertus, S., O. S. B. circa 865.  
Passaglia, Carolus.  
Pererius, Benedictus, S. J. 1610.  
Perrimezzi, Ioseph M., O. S. F. 1740.  
Perrone, Ioannes, S. J.  
Pesch, Tilmannus, S. J.  
Petavius, Dionysius, S. J. 1652.  
Petrus de Alliaco 1420.  
— Cantor, cisterciensis 1197.

Petrus Damiani, S., ecclesiae doctor circa 1072.  
— de Osma (Oxomensis) saec. XV.  
— Pictaviensis 1205.  
— de Tarantasia (Innocentius V) O. P. 1276.  
Peyrère, Isaac de la 1676.  
Pfeiderer, Otto\*.  
Philippus de Harveng, abbas O. P. 1182.  
Photius\* 891.  
Piccirelli, Ios., S. J.  
Pighius, Albertus 1542.  
Pignataro, Felix, S. J.  
Piscator, Ioannes\*, saec. XVII.  
Platel, Iacobus, S. J. 1681.  
Plinius iunior, gentilis, circa 114 post Chr.  
Polycarpus, S. 156.  
Polycrates Ephesinus initio saec. III.  
Poncius, Ioannes, O. S. F. 1660.  
Potho Prumensis O. S. B. 1153.  
Pourrat, P.  
Prosper Aquitanus, S., circa 463.  
Puller, F. W.\*

Quadratus initio saec. II.  
Quesnellus, Paschasius 1719.

Rabanus Maurus O. S. B. 856.  
Ratramnus O. S. B. saec. IX.  
Rauschen, Gerhardus.  
Raymundus, Lullus 1315.  
— Martini O. P. saec. XIII.  
Raynaudus, Theophilus, S. J. 1663.  
Régnon, Theodorus de, S. J.  
Reimarus, Herm. Samuel\* 1768.  
Reinhold, Georgius.  
Remigius Florentinus O. P. 1581.  
Renan, Ernestus\*.  
Renz, Franc. S.  
Reusch, Franciscus Henricus (post 1870 acatholicus).  
Richardus Victorinus O. S. Aug. 1173.  
— de Mediavilla O. S. F. 1307.  
Richer, Edmundus 1631.  
Ripalda Martinez, Ioannes de, S. J. 1648.  
Rivière, J.  
Robertus, Paululus, circa 1178.  
— Pullus (Pulleyn) 1146.  
Rosmini Serbati, Antonius.  
Rothenflue, Franc.  
Rubeis, Bernardus Maria de, O. P. 1775.  
Ruinart, Theodoricus, O. S. B. 1709.  
Ruiz de Montoya, Didacus, S. J. 1632.  
Rupertus Tutiensis (Deutz) O. S. B. 1135.  
Rusticus diaconus saec. VI.

Salmanticenses, i. e. Antonius a Matre Dei 1641, Dominicus a S. Theresia 1654, Ioannes ab Annuntiatione 1701, Antonius a S. Ioanne B. 1699, Alphonsus ab Angelis 1724, omnes carmelitae discalceati. Theologia salmanticensis prodit 1631—1712.

Salmeron, Alphonsus, S. J. 1585.  
 Saltet, Ludov.  
 Sanchez, Thomas 1610.  
 Sanday, W.\*  
 Sanders, L., O. S. B.  
 Schanz, Paulus.  
 Scheeben, Matthias Joseph.  
 Schell, Herm.  
 Schenkel, Daniel\*.  
 Schmalzgrueber, Franc., S. J. 1735.  
 Schmid, Franciscus.  
 Schmidt, Henricus\*.  
 Schoeberlein, Ludovicus\*.  
 Schwartz, E.\*  
 Schwetz, Ioannes B.  
 Scotus, Ioannes Duns, O. S. F. 1308.  
 Serapion, episcopus Tmueos, saec. IV.  
 Seripandus, Hieronymus, O. S. Aug. 1563.  
 Serry, Hyacinthus, O. P. 1738.  
 Socrates post 439.  
 Soden, H. v.\*  
 Soiron, Thad., O. S. F.  
 Sonnacius 631.  
 Sophronius Hierosolymitanus, S., 638.  
 Sotus, Dominicus, O. P. 1560.  
 Sozomenus, Hermias, Salaminus saec. V.  
 Spitta, Frid.  
 Stapleton, Thomas 1598.  
 Stentrup, Ferdinandus, S. J.  
 Stock, Christianus\*, in fine saec. XVIII.  
 Strauss, David Fridericus\*.  
 Stuffer, Io., S. J.  
 Styger, Paulus.  
 Suarez, Franciscus, S. J. 1617.  
 Suidas saec. X.  
 Sulpicius Severus circa 420.  
 Synesius 413.

**T**anner, Adam, S. J. 1632.  
 Tarasius, episc. saec. V.  
 Tatianus (prius orthodoxus, postea haereticus) in fine saec. II.  
 Tertullianus, Quintus Septimius Florens 240 (post 206 haereticus).  
 Thalhofer, Fr. X.  
 Theodoretus Cyrensis 457.  
 Theodorus Mopsuestenus 428.  
 — Studita, S. 826.  
 Theodotus Ancyranus saec. V.

Theodulfus Aurelianensis 821.  
 Theophilus Antioch., S., 182.  
 Theophylactus saec. XI.  
 Thomas Aquinas, S., O. P., ecclesiae doctor 1274.  
 Thomassinus, Lud. 1695.  
 Tillmann, Fr.  
 Tiphanius, Clemens, S. J. 1641.  
 Tischendorf, Constantinus\*.  
 Többe, Guilelmus.  
 Toletus, Franciscus, S. J. 1596.  
 Tongiorgi, Salvator, S. J.  
 Tournely, Honor. 1729.  
 Touttée, Ant. 1718.  
 Turrianus (Torres), Franciscus, S. J. 1584.

**U**baldi, Ubaldus.  
 Udalricus, Cluniac. O. S. B. 1093.

**V**acandard, E.  
 Valentia, Gregorius de, S. J. 1603.  
 Vaughan, Herbertus.  
 Vazquez, Gabriel, S. J. 1604.  
 Vega, Andreas, O. S. F. 1560.  
 Vincentius Bellovacensis O. P. 1264.  
 — Lirinensis medio saec. V.  
 Viva, Dominicus, S. J. 1710.  
 Volkmar, Gustavus\*.

**W**ieland, Fr.  
 Winer, Georgius Benedictus\*.  
 Wirceburgenses, i. e. Henricus Kilber 1783.  
 Udalricus Munier 1759, Ignatius Neubauer 1795, Thomas Holzklau 1783, omnes S. J.  
 Wiseman, Nicol.

**X**enaias Mabugensis\* (Hierapolis) saec. VI.

**Z**ahn, Theodorus\*.  
 Zeller, Ed.\*  
 Zenner, Ioan. Bapt., S. J.  
 Zezschwitz, Gerardus\*.  
 Zigliara, Thomas, O. P.  
 Zill, Leonardus.  
 Zorell, Franc., S. J.  
 Zumel, Franciscus, O. B. V. Mariae de Mercede initio saec. XVI.

## INDEX HAERESUM.

quae in Praelectionibus refutantur.

**A**cephali nominantur quidam monophysitae saec. V, quia a capite suo Petro Mongo, episcopo alexandrino, defecerant. Adoptiani saec. VIII docent Christum hominem esse filium Dei adoptivum. Elipandus Toletanus. Felix Urgelitanus. Aëtiani iidem atque heterusiani. Agnoëtae adscribunt Christo ignorantiam, e. g. diei iudicii. Hic error erat vulgatus inter monophysitas, maxime acephalos. Themistius, diaconus alexandrinus saec. VI, a quo et themistiani dicuntur.

Albigenses vocantur asseclae manichaeismi, qui saec. XII ex Bulgaria in Galliam propagatus erat. Profitebantur dualismum et docetismum, negabant sacramenta, ecclesiam catholicam synagogam satanae habebant. Vocantur et cathari.

Alogi haeretici saec. II et III, qui negabant Christum esse Λόγον. Theodoti coriarius et nummularius. Artemon.

Anabaptistae saec. XVI negant validum esse baptismum infantium et ideo adultos rebaptizant. Stork, Karlstad, Münzer. In Moravia vocabantur Fratres Moraviae, in Hollandia mennonitae.

Anglicani sunt membra ecclesiae in Anglia maxime per Elisabetham reginam saec. XVI constitutae (Established Church).

Anomoei vocantur ariani severiores, qui negant Verbum simile esse Patri. Simul dicunt se perfecte comprehendere Deum. Ab Eunomio (395), episcopo cyzicensi, traxerunt nomen eunomianorum.

Anthropomorphitae censent Deum habere corpus sicut homines. Hic error sparsus erat inter quosdam rudes monachos aegyptios saec. V.

Antitrinitarii vocantur ariani, macedoniani, alii, qui negant SS. Trinitatem.

Aphthartodocetae, monophysitae saec. VI, discipuli Iuliani Halicarnassensis, negantes corpus Christi fuisse corruptibile.

Apollinaristae, ab Apollinario Laodicensi (390), docent Christum non habere ani-

mam humanam, sed loco animae esse Verbum.

Aquarii seu hydroparastatae haeretici saec. II, qui vinum malam creaturam habebant et ab eius usu in eucharistiae celebratione abstinerebant. Quia etiam abstinerebant a matrimonio, vocabantur encratitae, i. e. abstinentes. Tatianus. Ariani, ab Ario (336) dicti, negant divinitatem Verbi, quod volunt esse creaturam et aliquando non fuisse.

Armachani iidem atque iansenistae.

Arminiani discipuli Arminii saec. XVI, qui docebat reprobationem positivam post praevisum peccatum originale. Unde infralapsarii dicuntur.

**B**aiani asseclae Michaelis Baii saec. XVI, qui docebat gratiam debitam esse naturae integrae, et alia, quae ex hoc errore fluunt.

Beghardi, devotuli saec. XIII et XIV, qui falsam spiritualitatem statuerunt.

Berengarii (Turonensis 1088) haeresis versatur circa transsubstantiationem et realem praesentiam Christi in eucharistia.

**C**alixtini sectarii bohemicus, husitae, qui dicebant usum calicis necessarium esse in communione laicorum.

Calvinistae asseclae Calvinii (1564), qui praeter alios errores, quos cum Luthero communes habet, maxime docet absolutam praedestinationem et reprobationem ante omnia praevisa merita et demerita.

Cataphrygae iidem atque montanistae in Phrygia.

Cathari, i. e. puri, vocantur tum quidam encratitae, tum montanistae, tum novatiani, qui nolebant ullam communionem habere cum iis, qui gravia peccata commiserant. Posterioribus saeculis albigenses quoque cathari dicebantur.

Chiliastae vocantur omnes illi, qui profiterentur regnum gloriosum Christi (mille annorum) in hac terra ante universalem resurrectionem. Solus crassior chilias-

mus Cerinthi et aliorum iudaizantium est haeresis.

Copti saepe vocantur monophysitae aegyptiaci.

Corrupticolae, monophysitae adversarii apthartodocetarum.

**Docetae** (phantasiastae) sunt illi gnostici saec. II et III, qui dicunt Christum non habere corpus verum sed apparens seu phantasticum. Basilides circa 130, alii. Donatistae appellati a Donato episcopo carthaginensi, saec. IV et V schismatici, qui ad valorem sacramentorum postulabant rectam fidem et probitatem ministrorum.

**Ebionitae** sunt quidam iudaizantes primorum saeculorum, qui Iesum Messiam quidem agnoscebant, sed purum hominem esse volebant.

Encratitae iidem atque aquarii.

Euchitae iidem ac massilienses.

Eunomiani iidem atque anomoei.

Eusebiani, asseclae Eusebii Nicomediensis saec. IV, iidem atque semiariani.

Eutychniani iidem atque monophysitae.

Evangelici vocantur lutherani et calviniani uniti in Borussia.

**Fratricelli** vocantur falsi spirituales saec. XIII et XIV, qui gloriabantur de absoluta paupertate et homines possidentes contemnebant et condemnabant.

**Gaianiani** quidam monophysitae vocantur. Gnostici vocantur omnes illi veteres haeretici, qui praeter communem christianam traditionem gloriabantur se habere altiore et occultam scientiam (γνώσιν). Ita post Simonem Magum et Cerinthum Basilides, Valentinus, Marcion, alii. Gomaristae, calvinistae hollandici, asseclae Francisci Gomar, iidem ac supralapsarii.

**Hermesiani** sunt asseclae Georgii Hermes 1831, qui volebant se subicere sententiae pontificiae, qua doctrina semi-rationalistica magistri sui defuncti damnata erat.

Heterusiani iidem atque anomoei, maxime discipuli Aëtii (366), unde et aëtiani dicuntur.

Homoeusiani iidem atque semiariani.

Husitae asseclae Ioannis Hus (1415), qui erroribus suis maxime totum regimen ecclesiasticum pervertebat.

Hydroparastatae iidem atque aquarii.

**Iacobitae** vocantur monophysitae syriaci. Iansenistae sunt sectatores doctrinae Iansenii

Yprensensis ab ecclesia damnatae. Interdum vocantur armachani.

Iconoclastae sunt illi graeci, qui saec. VIII sub Leone Isaurico et sequentibus imperatoribus cultum sacrarum imaginum impugnabant. Ob eandem rationem multi calvinistae ita nominantur.

Impanatores interdum vocantur lutherani et alii, quia docent Christum in eucharistia esse in pane.

Incorrupticolae iidem atque apthartodocetae.

Infralapsarii iidem atque arminiani.

Isochristi vocantur ii origenistae saec. VI, qui docebant ab initio Christum et omnes creaturas rationales aequales fuisse et aliquando iterum aequales futuros esse.

Iudaizantes vocantur illi conversi ex iudaismo saec. I, qui volebant etiam christianis servandam esse legem mosaicam. Reliquiae huius erroris etiam sequentibus saeculis iterum et iterum apparent.

**Lutherani** asseclae Lutheri (1546), qui negat auctoritatem summi pontificis, statuit fidem fiducialem unicam conditionem salutis, plurimas sacramenta abrogat, multos alios errores docet.

**Macedoniani** iidem ac pneumatomachi.

Manichaei, a Mani, persa quodam (276), duo statuunt principia mundi: bonum principium omnium bonorum, malum principium omnium malorum. Negant libertatem humanam et omnia volunt fato regi. Admittunt metempsychosim seu transmigrationem animarum.

Marcionitae vocantur quidam gnostici a duce suo Marcione saec. II.

Massilienses, vocati ab urbe Massilia, iidem atque semipelagiani (distingnendi a vetere secta massiliensium vel mesaliensium saec. IV, qui dicebant orationem esse unicum medium salutis, unde et euchitae vocabantur).

Materialistae vocantur ii, qui negant omnia entia spiritualia et solam materiam cum suis viribus admittunt.

Melchisedechiani ii ex alogis, qui dicebant Christum esse inferiorem Melchisedechio. Etiam theodotiani vocantur a Theodoto nummulario.

Millenarii iidem atque chiliastae.

Modernistae dicuntur, qui sequuntur systema, quod Pius X „omnium haereson collectum“ affirmat, cuius fundamentum est agnosticismus religiosus.

Monarchiani, haeretici saec. III, qui statuunt in Deo unitatem personarum, ut Praxeas, Noëtus, Sabellius et alio modo Paulus Samosatensis.

Monophysitae docent in Christo (post unionem) unam tantum esse naturam ex divina et humana conflata. Auctor huius haeresis est Eutyches, archimandrita (i. e. abbas) constantinopolitanus saec. V. Unde et eutychniani vocantur.

Monotheletae sunt, qui docent unam tantum in Christo esse voluntatem. Sergius Constantinopolitanus 638.

Montanistae, a Montano Phrygio saec. II, docebant novam et perfectiorem revelationem per novum adventum Spiritus Sancti in Montano, Priscilla, Maximilla factam. Erant rigoristae, negabant potestatem remittendi peccata gravia post baptismum commissa, reiciebant secundas nuptias. Vocantur et cataphrygae. Tertullianus.

**Nazaraei** iudaizantes I et II saeculi, qui asserebant necessitatem legis mosaicae pro christianis et Iesum Christum purum hominem habebant.

Nestoriani, discipuli Nestorii Constantinopolitani saec. V, docent in Christo duas esse personas, divinam et humanam, moraliter tantum unitas; itaque Mariam non esse θεοτόκον sed χριστοτόκον.

Novatiani, discipuli Novatiani, presbyteri romani, et Novati, presbyteri carthaginensis, saec. III, erant rigoristae, qui christianis graviter peccantibus veniam concedendam esse negabant.

**Origenistae** dicuntur illi maxime monachi saec. V et VI, qui sequentes opinionem Origenis docent ab initio omnes rationales creaturas fuisse puros spiritus et post universalem restitutionem (ἀποκατάστασιν πάντων) omnium, etiam daemonum, iterum futuros esse puros spiritus.

**Patripassiani**, sectatores Sabellii saec. III, qui docebant Patrem et Filium esse eandem personam, et Patrem passum esse. Vocantur et sabelliani.

Paulianistae, discipuli Pauli Samosatensis saec. III, volunt Christum esse purum hominem, in quo sapientia divina modo speciali apparuerit, sapientiam vero in Deo seu Verbum Dei internum non esse personam distinctam sed ὁμοούσιον τῷ θεῷ, i. e. eundem ac Patrem. Non baptizabant in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Pauliciani vocantur quidam haeretici dualismo faventes saec. VII, VIII, IX in Syria. Pelagiani, sectatores Pelagii saec. V, negant peccatum originale et gratiam supernaturalem. Coelestius, Iulianus Eclanensis.

Pepuziani iidem ac montanistae, quorum prophetissa quaedam habitabat in urbe Pepuza in Phrygia.

Petrobrusiani, sectatores Petri de Bruys saec. XII, qui negabant infantes esse baptizandos et alios errores spargebant.

Phantasiastae iidem ac docetae.

Photiani, sectatores schismatis Photii (saec. IX), qui negant praecipue primatum romani pontificis et processionem Spiritus Sancti a Filio.

Photiniani, asseclae Photini saec. IV, iidem ac patripassiani.

Phthartolatrae iidem atque corrupticolae. Pneumatomachi vel macedoniani, sectatores Macedonii Constantinopolitani (362), negant divinitatem Spiritus Sancti.

Porphyriani saec. IV interdum vocabantur ariani.

Presbyteriani, secta calvinistarum, maxime in Scotia, qui dicunt munera ecclesiastica non per episcopos sed per solos presbyteros esse administranda.

Priscillianistae, sectatores Priscilliani saec. IV, qui errores sabellianorum, gnosticorum, manichaeorum secuti esse dicuntur (non confundendi cum priscillianis, quo nomine interdum vocantur montanistae, quia sequebantur Priscillam prophetissam).

Protestantes vocati sunt lutherani, quando 1529 protestabantur contra decreta imperatoris et diaetae imperialis Spiraee habitae. Hoc nomine nunc etiam calvinistae, zwingliani etc. appellantur.

Proctotistae vocantur quidam origenistae, quia docent Christi et omnium hominum animas creatas esse, priusquam iunctae sint corpori, et multo ante exstissee, Christum vero esse praestantiorum reliquis creaturis.

Puritani iidem ac presbyteriani.

**Quakeri** (Quakers, i. e. tremuli), asseclae Georgii Fox (saec. XVII) anglicani, docent christianam religionem consistere in sola vitae honestate, nullo modo in ritibus externis. Praecipuum medium sanctificationis esse profundam meditationem, in qua putant se visitari a Spiritu Sancto et incipiunt gemitus edere et tremere, unde nomen acceperunt.

Quesnelliani, asseclae Paschasii Quesnelli (1719), qui systema Iansenii suo modo excoluerat.

Quietistae sectatores falsi mysticismi, maxime exculi a Michaele Molinos (1689), secundum quem summa perfectio spiritualis consistit in absoluta passivitate, in qua homo abdicato usu facultatum suarum simpliciter a Deo se duci sinit.

**Rationalistae** vocantur illi, qui reiecta supernaturali revelatione humanam rationem supremam normam vitae moralis et religiosae statuunt.  
Reformati interdum dicuntur omnes protestantes, saepius vero calvinistae.

**Sabelliani**, asseclae Sabellii, iidem ac patripassiani.

**Sacramentarii** a lutheranis vocabantur illi, qui negabant realem praesentiam Christi in eucharistia.

**Samosateni**, discipuli Pauli de Samosata, iidem ac monarchiani.

**Semiariani** vocantur illi, qui docent Filium esse consimilem (ὁμοιόμορον) Patri, non consubstantialem (ὁμοούσιον). Eusebius Caesariensis et Nicomed. saec. IV.

**Semipelagiani** vocantur illi, qui volunt initium fidei et bonae vitae esse a nobis, dein gratiam sequi. Ita massilienses, quamquam animo non haeretico.

**Semirationalistae** vocantur illi, qui admittunt quidem revelationem supernaturalem, sed putant eam ita humana ratione penetrari posse, ut paulatim omnia eius mysteria naturali cognitioni et probationi pervia fiant.

**Severiani monophysitae** quidam vocantur. Sociniani, sectatores Laelii et Fausti Socinorum (exeunte saec. XVI), totum opus Christi reducunt ad doctrinam et exemplum, satisfactionem vero Christi negant.

**Subordinatiani** vocantur omnes illi, qui docent Filium et Spiritum Sanctum esse Patre inferiores.

**Supralapsarii calvinistae hollandici**, qui duce Gomaro docent Deum partem ho-

minum ante praevium peccatum originale reprobasse ad infernum.

**Taboritae** iidem atque husitae.  
**Themistiani** iidem atque agnoetae.  
**Theodotiani**, asseclae Theodoti coriarii, iidem ac monarchiani.  
**Theopaschitae** iidem ac patripassiani.

**Ubiquistae** vocantur quidam lutherani, qui volunt Christum secundum corpus quoque esse ubique, ergo etiam in eucharistia.

**Unitarii**, sectarii nostrae aetatis, qui negant trinitatem.

**Valentiniani**, discipuli Valentini gnostici, qui saec. II excogitaverat absurdissimum systema de origine mundi.

**Waldenses**, discipuli Petri Waldo (saec. XII), reiciunt hierarchiam ecclesiasticam, leges, caerimonias, damnant possessiones et dignitates clericorum, varios errores veteres renovant.

**Wiclifitae**, asseclae Ioannis de Wiclif (1384), impugnatores summi pontificis, religiosorum, sacramentorum, aliarum institutionum vel doctrinarum catholicarum.

**Zwingliani**, asseclae Udalrici Zwingli (1531), maxime in Helvetia, praeter communes errores novatorum saec. XVI negant realem praesentiam Christi in eucharistia et vehementer damnant cultum sanctorum eorumque imaginum.

## PROLEGOMENA DE THEOLOGIA EIUSQUE HISTORIA.

### CAPUT I.

#### DE THEOLOGIAE NOTIONE ET DIVISIONE.

##### § 1.

##### DE SUBIECTO THEOLOGIAE.

1. Cum omnis scientia determinetur subiecto et obiecto formali seu materia subiecta et specifica ratione eam attingendi, ad aperiendam aliquam theologiae notitiam de subiecto eius et de obiecto formali pauca dicenda sunt.

2. *Subiectum scientiae intellegitur id, de quo in illa scientia principaliter agitur, et ratione cuius omnia alia ad eam referuntur* (S. Thomas 1, q. 1, a. 7). Plerumque ipso nomine alicuius scientiae indicatur, quid sit subiectum eius. Ita in astronomia agitur de astris, in geographia de tellure, in zoologia de animalibus. Theologia autem vi nominis significat „de divinitate rationem sive sermonem“ (S. August., De civ. Dei 8, 1; M 41, 225), ut hinc iam concludere liceat *theologiae subiectum non esse aliud nisi Deum*.

Revera cuilibet opera theologorum inspicienti mox manifestum erit omnia ibi tractari, „vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem. Unde sequitur, quod Deus vere sit subiectum huius scientiae“ (S. Thom. l. c.). De variis significationibus verborum „theologiae“ et „theologorum“ agit J. Stiglmayr, Theologie und Glaube 1919, 296 sqq.

3. Ergo *subiectum theologiae non est Christus*, ut quidam voluerunt. Valet enim de hac re, quod apostolus ait: „Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei“ (1 Cor. 3, 22 sq.). Non Deus ad Christum refertur, sed Christus ad Deum. Docet quidem S. Bonaventura Christum esse „subiectum integrale“ theologiae, quia in se contineat divina et humana, de quibus agit theologia (In 1 Sent. prooem. q. 1), sed haec est ratio considerandi subiectum theologiae diversa a communi modo, quo loqui solemus de subiecto scientiae. Simile esset, si homo

diceretur subiectum philosophiae, quia continet spiritualia et corporalia, de quibus agit philosophia.

4. *Neque subiectum theologiae est ecclesia seu regnum Dei, secundum placitum quorundam recentiorum (cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit I, n. 152 sqq. et V, n. 297 sqq.). Nam theologia non principaliter agit de ecclesia neque omnia ideo tractat, quia ad ecclesiam referuntur, ut patet ex tractatibus de Deo uno secundum naturam et de Deo trino secundum personas. Neque enim in his tractatibus Deus consideratur, ut est auctor ecclesiae, sed consideratur, ut in se ipso est. De ecclesia potius agit theologia propter eius relationem ad Deum.*

5. *Deus autem est subiectum theologiae, ut est Deus, non ut est creator, redemptor vel similia; nam hae omnes notiones de Deo praedicantur, neque vero sunt subiectum, ad quod omnia in theologia referuntur. Deus autem est subiectum attributionis, quatenus omnia, quae in theologia tractantur, aliquo modo ei attribuuntur. (Vide diversas hac de re opiniones apud Tanner, Theol. scholast. I, disp. 1, q. 3, dub. 1.)*

## § 2.

### DE OBIECTO FORMALI THEOLOGIAE.

6. *Obiectum scientiae est id omne, quod in illa scientia attingitur. Potest autem in omni obiecto distinguere id, quod cognoscitur, et ratio, sub qua res est cognoscibilis. Et obiecta quidem omnia, ut ad aliquam scientiam pertineant, necesse est habere communem quandam rationem cognoscibilitatis huic scientiae propriam. Ita e. g. omnia obiecta philosophiae hoc habent commune, quod sunt demonstrabilia ex principiis naturalibus. Haec communis ratio, sub qua obiectum est cognoscibile in tali scientia, vocatur obiectum formale huius scientiae. Quaecumque autem propter nexum cum obiecto formali in aliqua scientia attinguntur, pertinent ad obiectum materiale huius scientiae<sup>1</sup>.*

7. *Iam vero obiectum formale theologiae est verum demonstrabile ex revelatione divina publica, obiectum autem materiale est, quidquid ex hac revelatione cognosci potest. Hinc apparet differentia inter theologiam naturalem et theologiam supernaturalem, quae habent idem subiectum: Deum. Theologia enim naturalis de Deo agit, in quantum Deus ex mundo aspectabili et ordine naturali cognoscitur. Theologia autem supernaturalis ab ipso Deo loquente discit, quae de Deo tradit. Illa nititur revelatione Dei naturali et improprie dicta, haec revelatione Dei supernaturali et proprie dicta. Ita „diversa ratio cognoscibilis*

<sup>1</sup> Quamvis ipsum quoque subiectum scientiae pertineat ad obiecta materialia, solent interdum subiectum vocare obiectum formale quod; rationem vero cognoscibilitatis vocant obiectum formale quo. Alii rursus alia ratione dicendi utuntur; sed interim sufficit communiorem loquendi modum indicasse, quia suis locis varii termini accuratius explicandi erunt.

diversitatem scientiarum inducit. . . . Unde nihil prohibet de iisdem rebus, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, et aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur“ (*S. Thom. 1, q. 1, a. 1 ad 2*). Ceterum inter has duas theologias etiam materiale discrimen intercedit, quia theologia supernaturalis multa demonstrat, quae theologia naturalis prorsus ignorat.

Ergo theologia non minus quam omnis alia disciplina ut ex suo subiecto aliquantulum cognoscitur, ita ex suo obiecto formali perfecte et omnimode definitur et circumscribitur. Nam ex relatione ad subiectum efficitur, ut aliqua res in ordine ontologico pertineat ad talem disciplinam; ex relatione vero ad obiectum formale efficitur, ut res in ordine logico possit cognosci in tali disciplina. *Theologia igitur est scientia eorum, quae de Deo ex revelatione sunt demonstrabilia.*

## § 3.

### THEOLOGIA SITNE SCIENTIA.

8. *Cum viderimus theologiae esse tractare ea, quae a Deo de Deo didicimus, quaeritur, utrum theologia ex modo, quo circa obiecta sua versatur, nomen scientiae mereatur necne. Multum quidem de hac re disceptatum est, sed res in se est tam manifesta, ut non possit esse nisi lis de verbo.*

Nomen *scientiae* adhibetur tum de habitu subiectivo tum de doctrina obiectiva. Quid igitur *de habitu subiectivo*? Si quis supponit habitum non esse scientiam, nisi versetur circa principia sibi intrinsicis evidentia, necessario ei concludendum est theologiam non esse scientiam, cum nullius rei, prout per ipsam revelationem traditur, internam rationem apprehendamus. Contra, si quis statuit omnem *eum habitum esse scientiam, qui ex notis certisque principiis ignota demonstrat*, hic sane theologiam vocare debet scientiam; nam is est habitus theologiae, „quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur“. Ita *S. Augustinus* (*De trin. 14, 1, 3; M 42, 1037*), qui ob hanc rationem theologiam vocat scientiam. Et merito; nam theologia primum demonstrat aliquid vere contineri in fontibus revelationis, dein ea, quae in his fontibus contenta demonstravit, explicat, confirmat, posteriores conclusiones deducit, obiectiones adversariorum refutat. Sed haec omnia sunt scientiae propria. *Ergo theologia est scientia.*

Scientia, quae principia, unde procedit, supponit probata in alia scientia, vocari solet *scientia subalternata*, i. e. subordinata; scientia vero illa, ex qua dependet, vocatur scientia subalternans. Scientiae theologiae principia nituntur auctoritate, i. e. scientia et veritate

Dei. Unde respectu theologiae scientia Dei, seu scientia quam Deus de se habet, est subalternans. Cum hac scientia homo iungitur per fidem revelatione nixam. Quia autem fides non est scientia, negat *Scotus* theologiam esse scientiam stricte sumptam (In 1 Sent. prol. n. 26 sqq.). Rectius vero cum *S. Thoma* (Quaest. disp. de verit. q. 14, a. 9 ad 3) distinguitur: Non est scientia principiorum, quae supponuntur, *conc.*; non est scientia conclusionum, quae ex principiis colliguntur, *nego*.

9. Unde licet habitus theologiae ab aliis scientiis differat, id tamen quod in iis est ratio specifica scientiae, et ipse exhibet, scilicet *certitudinem ex discursu acquisitam*. Immo certitudo theologiae multo infallibilior est quam omnis alia scientifica certitudo, quia firmioribus principiis nititur. „Praestantia enim habitus“, inquit *Gregorius de Valentia*, „non solum nec potissimum ex evidentia [i. e. ex interna cognoscibilitate] aestimari debet, sed praecipue ex certitudine. Ideo enim vel maxime evidentia pertinet ad dignitatem habitus, quia est coniuncta cum certitudine. Nam secundum certitudinem convenit cognitioni, ut non possit esse falsa, quae est maxima cognitionis perfectio, utpote cuius tamquam scopus est veritas“, (In Sum. I, disp. 1, q. 1, punct. 4 ad ult.).

10. Et haec quidem demonstrant theologiam esse scientiam, in quantum sermo est de habitu subiectivo, quo theologia obiectum suum attingit. Multo etiam minor est difficultas, si quaeritur de *systemate theologiae obiectivo*. Nam theologia non exhibet sola disiecta membra variarum propositionum et conclusionum, quae nullo vinculo inter se conectuntur, sed singula quaeque ad unum commune subiectum referuntur et ita unum corpus doctrinae efficiunt; de gestis enim Abraham, Isaac, Iacob et similibus in hac doctrina non agitur, ut sunt res singulares in se existentes, sed ut ad Deum referuntur ut principium vel finem (*S. Thom.* 1, q. 1, a. 2 ad 2).

11. Ergo *theologia est una scientia*, quia unum est subiectum et proinde unum systema scientificum. Unum etiam est eius obiectum formale; ergo etiam unus habitus theologiae, quia habitus non diversificantur nisi per diversa obiecta formalia.

Theologia interdum definitur *scientia fidei*, ubi fides aut obiective sumitur, in quantum est complexus veritatum revelatarum, aut subiective ad significandum principium, unde procedit theologia, eodem modo, quo philosophia dicitur scientia rationis.

## § 4.

## HABITUS THEOLOGIAE SITNE SUPERNATURALIS.

12. Non potest esse quaestio, num Deus hominibus specialem habitum scientiae theologiae immediate infundat, cum experientia constet theologiam scientiam studio esse acquirendam. Neque in dubium vocatur,

quin theologia mediis quoque utatur obiective et subiective naturalibus; nam ipsa nostra ratio, qua argumentamur in theologia, est naturalis, et multae praemissae, quae in demonstrationibus theologicis ponuntur, sunt veritates naturaliter notae. Itaque *S. Thomas* theologiam merito opponit dono sapientiae infusae, quia „per studium habetur, licet eius principia ex revelatione habeantur“ (1, q. 1, a. 6 ad 3). Neque quisquam dixerit nobis, dum theologiae studeamus, specialem habitum infundi, qui in aliis hominibus non inveniatur.

Quaeritur igitur, num his non obstantibus habitus theologiae dicendus sit supernaturalis. Ad quam quaestionem respondetur *affirmative*. Nam supernaturale est, quod ordinem et facultatem naturae excedit. In theologia autem non utimur ratione simpliciter naturali, sed ratione fide illustrata; neque consideramus obiectum ut naturalibus viribus apprehensum, sed ut supernaturaliter revelatum. Ergo in habitu theologiae invenitur aliquid, quod naturae ordinem et facultatem excedit et proinde supernaturale est, „ut sic sacra doctrina sit velut quaedam impressio divinae scientiae“ (*S. Thom.* 1, q. 1, a. 3 ad 2).

Sed tota haec supernaturalitas theologiae ex eius cum fide conexione sufficienter explicatur et intellegitur. Nam cum theologiae sit, fidei dogmata ex fontibus haurire, explicare, suadere, defendere, conclusiones ex iis deducere, intimus inter theologiam et fidem nexus existit. Quare lumen fidei, quo intellectus instructus est ad veritates revelatas debito modo apprehendendas et assensu amplectendas, necessario influit in harum veritatum scientificam indagationem et explicationem.

13. Hinc theologus, qui lapsus in haeresim amittit fidem, retinet per se quidem notiones, quas acquisivit studio theologiae. Attamen tota natura scientiae mutatur; nam cum haeretici removerint fundamentum divinum, quo theologia nititur, eius loco supponunt fundamentum humanum, quo fit, ut, quod in iis similitudinem refert scientiae theologiae, revera reducatur ad habitum opinativum; et ideo eorum theologia non est veri nominis scientia nisi forte mere historica. Porro deficiente fidei lumine tanta in talibus hominibus obscuratio intellectus circa res divinas sequi solet, ut ad videndas simplicissimas conclusiones theologicas quasi inepti et caeci videantur et in immanissimam opinandi licentiam divagentur (cf. *Suarez*, De fide disp. 3, sect. 11, n. 9; *Coninck*, De act. supernat. disp. 4, dub. 6).

14. Itaque dicere licet *habitus theologiae esse in se quidem naturalem, radicaliter autem supernaturalem*. Unde mirum non est posse theologos interdum in diversas sententias abire; nam licet iisdem principiis supernaturalibus insistant, quia tamen scientiam infusam conclusionum non habent, sed mediis naturalibus eas acquirunt, in usu horum mediorum possunt errare et ad falsas conclusiones pervenire.

§ 5.

DE DISTINCTIONE THEOLOGIAE A FIDE DIVINA.

15. Quamvis theologia intime nexa sit cum fide divina, nihilominus ab ea distinguenda est.

Nam differunt: 1. *materia*, quae in fide non est nisi veritas formaliter revelata; theologia vero etiam ea omnia complectitur, quae ex veritatibus revelatis inferuntur et virtualiter tantum revelata sunt.

Differunt: 2. *forma*, quia fides obiectum suum amplectitur propter auctoritatem Dei revelantis, theologia vero propter demonstrationem scientificam. In fide revelata creduntur, in theologia conclusiones intelleguntur. Revelatio est ratio sub qua fidei, ut est movens ad assensum firmissimum, ratio sub qua theologiae, ut est concilians intellegentiam conclusionum theologicarum. Fidei enim actus importat solum assensum, cum theologia habeat perceptionem veritatis. Fides praecedat theologiam, quatenus haec supponit verbum Dei fide notum. Hinc celeberrimum illud: „Credo, ut intellegam.“

Differunt: 3. *certitudine*, quae est in fide summa, quae esse potest, tum quoad infallibilitatem tum quoad assensum. Certitudo autem theologiae est inferioris ordinis, quia divinis admiscet humana neque sola veritate divina nititur, sed etiam veritate creata et lumine rationis.

Hinc de discrimine inter fidem et theologiam *S. Augustinus* (De trin. 14, 1, 3; *M* 42, 1037): „Qua scientia [theologiae]“, inquit „non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae non nisi aeterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur apostolus“ (1 Cor. 12, 8). Cf. *Bañes* in 2, 2, q. 1, a. 1, dub. 2.

§ 6.

THEOLOGIA EST SCIENTIA SPECULATIVA.

16. Quia theologia versatur circa ea, quae divinitus revelata sunt, revelationis autem finis est vita christiano modo instituenda, videri potest theologia id tantum ex natura sua spectare, ut operationes nostras dirigat, non vero ut in veritate contemplanda quiescat; aliis verbis: videtur esse scientia practica, non speculativa.

Quamvis autem neque inter veteres neque inter recentiores defuerint, qui ita revera senserint, tamen cum *S. Thoma* (1, q. 1, a. 4) omnino tenendum esse statuimus *theologiam principaliter esse scientiam speculativam*. Nam principaliter agit de rebus divinis, secundo tantum de actibus humanis. Ergo ex nobilissimo suo obiecto theologia est speculativa scientia. Immo ipsas operationes humanas ordinandas suscipit, secundum quod per eas homo ordinatur ad visionem

beatificam (*S. Thom.* 1. c.). Ergo ultimus ipsius theologiae practicae finis est fruitiva possessio veritatis.

Quamvis autem cognitio veritatis divinae ex natura sua excitet voluntatem ad amandum Deum, per hoc non efficitur, ut theologia desinat esse scientia speculativa; quia scientia practica ea tantum dicitur, quae est „de rebus operabilibus ab homine“ (ib. Sed contra), non quae quomodolibet influat in voluntatem.

Ergo quamvis theologus studium theologiae dirigere possit et debeat in adeptionem virtutis et vitae aeternae, hic est finis externus, neque inde concludere licet etiam theologiam ipsam ex interna ratione sua magis esse scientiam virtutum quam scientiam Dei, cum contrarium verum sit.

§ 7

DE DIGNITATE THEOLOGIAE.

17. Praeter theologiam naturalem alia supernaturalis necessaria est tum propter ordinem supernaturalem, tum ad ea, quae de Deo naturali ratione investigari possunt, melius cognoscenda, id quod postea magis ostendetur. Hac igitur necessitate et utilitate supposita hic quaeritur, num theologia supernaturalis sit dignior scientiis naturalibus; id quod affirmandum est.

Haec enim est singularis theologiae laus, quod, ut verbis *S. Hilarii* utamur, „a Deo discit, quid de Deo intellegendum sit, quia non nisi se auctore cognoscitur“ (De trin. 5, 21; *M* 10, 143). Neque enim „subeunt ingenia nostra in caelestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi de se Deo credendum est, et iis, quae cognitioni nostrae de se tribuit, obsequendum“ (ib. 4, 14; *M* 10, 107).

Ergo 1. theologia ceteras scientias antecellit, quia *a Deo* est, unde principia theologiae multo maiorem habent certitudinem; nam „aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest“ (*S. Thom.* 1, q. 1, a. 5).

2. Theologia ideo est excellentior, quia *de Deo* est. Quamvis enim philosophia quoque multa de Deo doceat, attamen omnia ea ignorat, quae ex principiis naturalibus cognosci nequeunt; sed quando ipso Deo docente discimus, nihil tam absconditum, nihil tam sublime est, quod aliquo modo discere non possimus. Et sic „ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt; aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur“ (ib.).

3. Theologia eo etiam eminent, quod est *ad Deum* ut finem nostrum supernaturalem, cum finis omnium aliarum scientiarum intra naturae ambitum contineatur. Ut autem media ad finem proportionata sint, in viatoribus incipiendum per fidem et scientiam supernaturalem, quod in comprehensoribus perficiendum est per visionem beatificam. Et sic



theologia est quaedam anticipatio visionis beatae, quia, inmitendo revelatione, imperfecte assimilatur ad cognitionem divinam, ut tandem secundum perfectissimam, quae fieri potest, participationem eadem visione fruatur, qua Deus ipse infinite beatus est.

18. Quare hic apposite monet *Petavius*: „Germanum eoque dignum nomine theologum non scientem dumtaxat et doctorem oportere esse divinarum rerum, sed divinarum etiam operum actorem, hoc est probum ac sanctum et fide caritateque praestantem.“ Neque enim „concedendum est christiano veroque theologo, ut hoc ipsum, quod voce profitetur, re esse sine animi virtute et honestatis studio possit“ (De theologicis dogmatibus proleg. 9, 4).

19. Ex his, quae dicta sunt, apparet *theologiam merito vocari sapientiam*, ut lucide exponit *S. Thomas* (1, q. 1, a. 6): „Haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et iudicare, iudicium autem per altiore causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis. . . . Et rursus in genere totius humanae vitae prudens sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem. . . . Ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur; unde et sapientia dicitur esse divinarum cognitio. Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa, quia non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile, sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.“

## § 8.

## DE VARIIS THEOLOGIAE DIVISIONIBUS.

20. Imprimis commemorandae sunt quaedam theologiae divisiones, quae apud SS. Patres occurrunt, quamvis nunc raro in usu sint. Itaque saepe invenitur apud eos divisio in *theologiam* et *oconomiam*, ubi theologiam intellegunt specialem, i. e. doctrinam de Deo ipso, oconomiam vero benignam Dei dispensationem ad redimendum genus humanum et imprimis incarnationem. Dicta Patrum videri possunt apud *Petavium* (Proleg. c. 1), unde huc unum *Gregorii Nazianzeni* locum transcripsisse sufficiat. S. Doctor, postquam (Orat. 45, n. 4; *M* 36, 628) varia de Deo ipso praefatus est, ita pergit: Ταῦτά μοι περὶ Θεοῦ πεφίλοσοφήσθω τανῦν. Οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ ταῦτα καιρὸς, ὅτι μὴ θεολογία τὸ προκείμενον ἡμῖν, ἀλλ' οἰκονομία. Hinc theologein apud SS. Patres plerumque est alicui divinitatem tribuere, ut theologein Χριστόν. Sanctus vero Ioannes evangelista saepe vocatur θεολόγος, quia ipse divinam Verbi originem prae ceteris evangelistis effert.

(*Pseudo-*)*Dionysius* (De myst. theol. c. 3; *M* 3, 1032) dividit theologiam in θεολογίαν καταφατικὴν et θεολογίαν ἀποφατικὴν, i. e. in *affirmativam* et *negativam*, prout agit de attributis Dei positivis et negativis.

21. Ex materia theologia dividitur in *speculativam* et *practicam*, quarum illa veritates ut credendas vel tenendas tantum considerat, haec veritates eatenus complectitur, quatenus ad usum vitae pertinent. Quae theologiae vocantur etiam *dogmatica*<sup>1</sup> et *moralis*. Et haec appellatio apud recentes est communior, quia speculativam theologiam eandem fere intellegunt ac scholasticam. Alii theologiam moralem latiore sensu sumunt, quatenus complectitur etiam ius canonicum et theologiam pastoraalem. Alii communius solam morum doctrinam theologiam moralem vocant.

22. Theologia dogmatica ex fine potest dividi in *pacificam* et *polemicam*; ad moralem revocari possunt *ascetica*, quae est institutio ad virtutes christianas spectans, et *mystica*, quae est scientia Dei ex intima cum Deo conversatione parata (cf. *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit IV, n. 24).

23. Ex tractandi ratione theologia dividitur in *positivam* et *scholasticam*. Illa ipsos articulos fidei e fontibus revelationis colligit et vere revelatos esse ostendit; haec in veritates revelatas inquirat, earum naturam et causas, nexus et consequentias aperit. Positiva ostendit, quod aliquid verum sit, scholastica, quomodo verum sit, ut explicat *S. Thomas*: „Quaedam disputatio est magistralis in scholis ad instruendum auditores, ut inducantur ad *intellectum* veritatis, quam intendit [magister], et tunc [i. e. in tali disputatione] oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur. Alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquirat, sed vacuus abscedet“ (Quodl. 4, a. 18). Secundum eundem S. Doctorem (1, q. 1, a. 8) theologiae scholasticae est tria praestare: a) conclusiones theologicas ex articulis fidei deducere, b) contra omnes adversarios fidem defendere, c) disciplinis humanis fidem illustrare et confirmare singulorumque dogmatum nexum ostendere. Id quod valet etiam de ipsis mysteriis stricte dictis; nam, ut ait *Vaticanum* (sess. 3, c. 4): „Ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intellegentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo“ (*Denz.* n. 1796<sup>2</sup>).

Haec omnia perspicuis verbis *Gregorius de Valentia* ita tradit: „Dividitur theologia in positivam et scholasticam. . . . Positiva theologia

<sup>1</sup> De dogmate cf. infra n. 524 sqq.; de eius progressu VIII 195.

<sup>2</sup> *Denzinger-Bannwart*, Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum. Hoc opusculum semper allegabitur ut supra: *Denz.* cum numero marginali addito.

dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso Scripturae Sacrae sensu ad eumque eliciendum tum aliis adminiculis tum praecipue auctoritate SS. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum theologiarum ponit et ideo positiva videtur dicta, quia scl. ponit atque statuit ex Scriptura principia theologiae firma. Scholastica vero theologia vocatur, ut explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant et quarum perspicentia velut clarissimum quoddam lumen iuvat, ut tenebrae, quas haeretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facillime dispici atque dispelli possint" (In Sum. 1, disp. 1, q. 1, punct. 1).

24. *Nomen* autem „scholasticae“ haec theologia inde habet, quod temporibus mediæ aevi adulescentes, qui in monasteriis vel presbyteriis instruebantur, „schola“, eorum vero magistri „scholastici“ vocabantur. Unde disciplina ab his magistris tradita prae ceteris „scholastica“ dicta est. Habet quoque hoc nomen annexam significationem eximiae doctrinae; nam apud veteres scholastici vocabantur, qui doctrina clari essent. „Quapropter cum a saeculo duodecimo nonnulli viri praeunte Petro Lombardo, episcopo parisiensi, universas theologiae institutiones in unum doctrinae corpus redegissent, qui has publice profitebantur, honoris causa scholastici vocabantur. Itaque principio scholastica theologia idem significabat quod theologia erudita, ut quam nemo assequi posset, nisi qui magistro duce in scholis didicisset“ (Kleutgen, De ipso Deo n. 41).

25. *Interdum nomen* „scholasticae“ latiore sensu usurpatur. Facta enim denominatione a potiore omnem, quae a saeculo XII usque ad saeculum XIX fere in scholis catholicis vixit, theologiam et philosophiam „scholasticam“ dicunt, eamque opponunt theologiae „modernae“, quae principiis variorum philosophorum recentium nititur.

26. Immo, non quidem apud theologos catholicos, verum apud quosdam nostrae aetatis „philosophos“ scholasticus audit, quicumque non merum scepticismum vel criticismum, quem vocant, profitetur. Hinc pantheistae, materialistae etc. sunt scholastici vel dogmatici, quia positivas assertiones in rebus metaphysicis ponunt, dum „critici“ in subiectivas tantum affectiones nostras inquirunt, rerum vero obiective existentium ignorantiam fatentur. Haec obiter notanda sunt, ne ex loquendi confusione confusio quoque idearum oriatur. De theologia scholastica cf. M. Grabmann, Die Geschichte der scholastischen Methode (Freiburg 1909 et 1911).

## § 9.

DE RELATIONE INTER THEOLOGIAM POSITIVAM  
ET SCHOLASTICAM.

27. Quamvis theologia scholastica et theologia positiva inter se distinguantur, tamen altera ab altera *plane separari nequit*. Praeter-

quam enim quod utriusque theologiae fines non tam determinate circumscribuntur, ut semper exacte dici possit hoc esse theologiae positivae, illud vero theologiae scholasticae, facile perspicitur nos, priusquam aliquam veritatem excolamus, illustremus, defendamus, prius sufficienter certos esse debere eam veritatem esse a Deo revelatam. Unde recte concludit Suarez: „Illud Scripturae studium, quod praecise ordinatur ad litteralem eius intellegentiam, necessarium est ad ipsammet scholasticam disciplinam. Et ideo oportet aliqua illius principia seu incoationem aliquam cum ipsamet theologia scholastica accipere“ (De Inst. S. J. l. 5, c. 3, n. 2). Quod autem valet de S. Scriptura, valet etiam de SS. Patribus et aliis scriptoribus theologis, quantum utique ad usum scholae accommodatum est; nam theologiam positivam de industria tractare scholae limites superat.

28. Sed quamvis theologia positiva non neglegenda sit, *primas partes in scholis theologis semper obtinere debet theologia scholastica*. Nam ad accuratius theologiae positivae studium solida institutio in theologia scholastica ut necessaria condicio praesupponitur. Historia enim testis est eos, qui in theologia scholastica non sufficienter eruditi ad studium Patrum et Scripturae accedant, plerumque in varios errores labi, cum terminos non intellegant, statum quaestionis ignorent, sententias falso explicent, conclusiones ineptas faciant. Immo saepissime novatores theologici, qui ab ecclesia damnati sunt, id se prosequi iactabant, ut restituta Patrum doctrina errores scholasticorum corrigerent. Quare prudenter veteres doctores speculativam theologiam positivam praemittebant.

29. Recte Toletus: „Non est“, inquit, „theologia scholastica de medio tollenda . . . immo multum amplectenda, utpote, quae obscura et difficilia sunt, aperiens; quae sparsa, ad methodum discendi redigens, et, quod maximum est, ab haeticorum sophismatis ineptis liberans; quod fuit in causa, ut ipsis summo esset odio, nostro praesertim tempore. Sed, ut dici solet, pecuarii canes non possunt lupis non esse invisi. Nobis tamen multa in ea navanda est opera, cum experiamur in illis partibus, ubi primum ista expelli coepit, plurimum haereses pullulasse, immo ad summum pervenisse, quod summo argumento nobis esse debet huic totis viribus incumbendi“ (In Sum. 1, prooem., Romae 1869, 4 sq.).

## CAPUT II.

## DE THEOLOGIAE DOGMATICAE SYSTEMATE ET HISTORIA.

## § 1.

## DE SYSTEMATE THEOLOGIAE DOGMATICAE.

30. Cum ideo theologia recte vocetur scientia eaque una, quia unum est eius subiectum, ad quod omnia doctrinae membra referuntur, ut

ita tamquam in unum corpus colligantur, videndum est, *quo modo et quo ordine omnia ad unum subiectum referantur.*

Ipsam illud brevissimum doctrinae catholicae compendium, quod symbolum apostolicum vocatur, in articulos distribui solet; nam, inquit *Catechismus Romanus*, „ut corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hac fidei confessione, quidquid distincte et separatim ab alio nobis credendum est, recte et apposite articulum dicimus“ (*Catech. Rom.* pars 1, c. 1, n. 4).

Quamvis autem varii varia systemata theologiae excogitaverint, totus tamen organismus doctrinae dogmaticae ex ipsis veritatibus revelatis tam invariabiliter determinatus est, ut in singulis tantum quaestionibus earumque ordine modificationes nonnullae accidere possint.

31. Nam theologia, cum tota agat de Deo, per se et ex sua natura in duas supremas partes distinguitur, quarum altera est *de Deo ipso*, altera *de relatione creaturarum ad Deum*. Quae quidem partes valde inaequales sunt ambitu et quaestionum numero; attamen eo minus in theologia requiri potest omnimoda partium aequalitas, quia positivis principiis nititur; quare ubi plures veritates Deus revelavit, ibi plures tractandae sunt.

Tractatus autem de Deo ipso rursus sua quasi sponte dividitur in tractatum *de Deo uno* seu de natura et attributis divinis et *de Deo trino* seu de personis divinis.

Relate autem ad res alias Deus consideratur primo ut principium, a quo omnia alia egressa sunt; ergo quaeritur *de Deo creatore*, quo quidem tractatu agitur a) de creatione generatim, b) de mundi opificio, c) de homine, d) de angelis. Quia vero homo numquam existit in ordine mere naturali, sed creatus est supernaturalibus donis instructus, quae dona sua culpa mox perdidit, statim hic additur tractatus de iustitia originali et de peccato originali.

Cum homo conditus sit a Deo, ut ad Deum libere redeat, agendum erit *de Deo fine ultimo* et de actibus humanis, quibus ad finem nitendum est et quibus homo finem aut assequitur aut perdit.

Postquam homo suo peccato iustitiam originalem perdidit, Deus eum nequaquam a se prorsus reiecit, sed misericordia motus, ipse homo factus est, ut hominem a culpa et poena redimeret. Itaque sequitur tractatus *de Deo redemptore*, qui tractatus duas partes habet: a) de redemptoris persona et naturis = christologia, b) de opere redemptionis = soteriologia.

Porro si Deus consideratur, in quantum fructus redemptionis cum hominibus communicat, habetur tractatus *de Deo sanctificatore*. Deus autem sanctificat homines proxime et formaliter infusis gratia et virtutibus. Unde tractandum erit de gratia (et de merito, cuius principium est gratia) et de virtutibus infusis, quibuscum intime iunguntur dona Spiritus Sancti et beatitudines. Tractatus autem de virtutibus partitur

in tractatus a) de virtutibus in genere, b) de virtutibus theologicis, c) de virtutibus cardinalibus. — Dein etiam agendum est de virtutum opposito, i. e. de peccato et vitiis. Cum tractatu vero de gratia coniungendus est tractatus de lege positiva divina, quae est quaedam gratia externa.

Deus autem gratiam et virtutes infundit ope quorundam mediorum externorum, quae dicuntur sacramenta. Ergo agendum est a) de sacramentis in genere, b) de singulis sacramentis in specie.

Tandem, quia haec omnia sunt media, quibus Deus utitur, ut homines perducatur ad ultimum finem, i. e. ad beatitudinem sempiternam, agendum est *de Deo consummatore*. Consideratur autem in hoc tractatu aut consummatio microcosmi seu hominis, hinc de morte, iudicio, inferno, purgatorio (de caelo iam dictum est in tractatu de fine ultimo), aut consummatio macrocosmi seu mundi, ubi de destructione mundi, de resurrectione, de iudicio universali tractatur.

Qui hunc conspectum rerum consideraverit, facile intellet non necessario omnes res iis locis tractandas esse, quibus assignatae sunt; sed hoc non obstante aequae facile perspiciet, quomodo in theologia omnia ad unum subiectum, i. e. Deum, referantur, id quod ad constituendum systema scientificum requiritur et sufficit.

## § 2.

### DE HISTORIA THEOLOGIAE DOGMATICAE.

32. Quaevis disciplina, quantumvis immutabilibus principiis fundetur, multiplicis progressus capax et indiga est, ideoque historiam habet. A qua communi lege ne ipsa quidem theologia excipitur. Licet enim depositum fidei post apostolorum tempora neque augmentum neque decrementum habuerit, non tamen tota doctrina sive explicite sive implicite revelata semper ita fuit in manifesta ecclesiae conscientia, ut non explicari potuerit et debuerit.

Id verum est de singulis dogmatis, id a fortiore verum est de systemate dogmatum seu de disciplina theologica. Multum igitur iuverit studiosum theologiae statim ab initio aliquam saltem notitiam habere ortus et progressus theologiae dogmaticae, quia haec genetica rei cognitio confert ad varias quaestiones dogmaticas melius intellegendas. At quia amplissima est haec materia, perspicuum est non posse hoc loco nisi lineamenta quaedam historiae theologiae duci. Accurata autem theologiae historia adhuc inter pia desideria recensetur. Utilissima quaedam argumenta huius rei perficiendae collegerunt *Genér* in primo tomo Theologiae dogmatico-scholasticae, *Perrone* ab initio Compendii theologiae, *Kleutgen* in quarto tomo theologiae veteris, *Hurter* in Nomenclatore litterario, *Scheeben* in primo tomo Theologiae dogmaticae, *Grabmann* (supra n. 26), *J. de Ghellinck*, *Le mouvement théologique du XII siècle*, Paris 1914, alii.

*Historia theologiae in tres periodos commode distinguitur:* 1. tempora SS. Patrum usque ad saeculum VIII vel secundum alios usque ad saeculum circiter XII; a saeculo VIII studium maxime ponebatur in conservandis, colligendis, in compendia redigendis operibus SS. Patrum;

2. tempora veteris theologiae scholasticae a saeculo XII usque ad saeculum XVI;

3. tempora theologiae recentioris post concilium tridentinum. Ceterum aetas patristica melius finitur saeculo VIII, cum illi theologi, qui ab hac aetate usque ad saeculum XII floruerunt, non iam possint dici pertinere ad primam adolescentis ecclesiae aetatem.

#### DE EPOCHA SS. PATRUM<sup>1</sup>.

33. Ab initio fidei christianae officium praedicatorum fidei erat tum veritates revelatas populo exponere tum easdem ab impugnationibus sive iudaeorum sive gentilium sive mox etiam haereticorum defendere. Neque igitur his temporibus theologia ut unum doctrinae corpus tractabatur, sed, prout necessitas ususque rerum postulabat, singuli articuli fidei proponebantur; ita factum est, ut pedetentim singula, quae credenda sunt, in luce ponerentur et sic materia futuri systematis theologi praepararetur.

Ipsi igitur apostolorum discipuli, *Patres apostolici*, doctrinam, quam a suis magistris acceperant, epistulis plerumque ad christianos datis sine ullo apparatu scientiae exponebant et inculcabant. Cum enim illis temporibus Deus doctrinam revelatam argumentis, ut ita dicam, supernaturalibus ita circumdedisset, ut permulti homines libentissime eam suscipere, cum primum iis exposita esset, magis artificiosa in eam inquisitio nondum necessaria erat. Attamen iam Patres apostolici praemuniebant fideles adversus haereses nascentes, quae praecipue personam Redemptoris spectabant. Patribus apostolicis accenseri solent *Clemens Romanus* (Pontifex Rom. 90—99?), *Barnabas* (Ἐπιστολή καθολική), *Ignatius Antiochenus* († circa 105—117), *Polycarpus Smyrnensis* († 156), *Papias* (circa 130 Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις), scriptor anonymus epistulae ad Diognetum, *Hermas* (circa 140 vel 150), qui in „Pastore“ primam quandam expositionem doctrinae moralis christianae exhibet<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *O. Bardenheuer*, *Patrologie*<sup>3</sup> (Freiburg 1910), et *Geschichte der altkirchlichen Literatur* I<sup>2</sup> (Freiburg 1910), II<sup>2</sup> (1914), III (1912), IV (1923).

<sup>2</sup> Varia exstant scripta, quae apostolorum nomen prae se ferunt, sed ignotae originis sunt. Haec scripta, cum partim antiquissima sint, non parvi momenti sunt ad diiudicandam veteris ecclesiae constitutionem et disciplinam. Sunt autem prae hae:

a) „Doctrina duodecim apostolorum“ seu secundum integrum titulum: Διδαχὴ κυρίου διὰ τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῖς ἔθνεσιν. Inventa a. 1883 a Bryennio, intra paucos annos iam innumerabilibus fere editionibus et dissertationibus digna habita est (cf. *O. Bardenheuer*, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* I<sup>2</sup> 90 sqq.). Libellus, qui a Rufino vocatur „Duae viae“ vel „Iudicium Petri“, a quibusdam idem censetur atque Didache, ab aliis autem hoc nomen refertur ad „Canones ecclesiasticos

34. Mox vero cum fidem christianam amplexi essent viri in omni eruditione ethnicorum clarissimi, hac sua eruditione usi sunt tum ad doctrinas christianas evolvendas tum ad eas contra adversarios defendendas. Immo hoc alterum munus apud eos ita praevallet, ut inde *apologetae* dicti sint. Inter quos eminet *Iustinus Martyr* († circa 167), qui scripsit duas Ἀπολογίαὺς ὑπὲρ Χριστιανῶν ad imperatorem Antoninum Pium et senatum romanum et Διάλογον πρὸς Τρυφῶνα Ἰουδαῖον contra iudaeos, et quaedam alia. Multa scripsit *Tatianus* († circa 170), qui postea in haereticas opiniones propendebat. Praeter cetera eius opera maximi momenti est *Harmonia evangeliorum*, cuius versiones latina et arabica ad nos pervenerunt. Inter apologetas praeterea numerantur *Athenagoras*, *Aristides*, *Theophilus Antiochenus* († 182), *Hermias* philosophus, multi quoque alii, quorum libri exceptis nonnullis fragmentis perierunt.

35. Et hi quidem viri contra ethnicos praecipue religionem christianam defendebant. Mox autem intestinum in ipsa ecclesia bellum ortum est haereticorum impiis machinationibus. Notissima inter haereses illius aetatis ea est, quae gnosticis dici solet, quia eius asseclae altiore quandam prae communi doctrina christiana γνῶσιν se habere iactabant. Contra quos validissimus veritatis propugnator surrexit *Irenaeus*, episcopus lugdunensis († 202). Principale eius opus communiter ita

ss. apostolorum<sup>4</sup>, qui sunt retractatio quaedam τῆς διδαχῆς (cf. *R. Cornely*, *Introductio in U. T. libros sacros* I<sup>2</sup>, Parisiis 1894, 230).

b) „Didascalia apostolorum“, quae syriace, partim etiam latine exstat, cum textus graecus nondum sit repertus. Attribuitur saeculo III. Textum syriacum et versionem anglicam edidit *M. Dunlop Gibson*: *Horae semiticae* I II (London 1903); fragmenta latina *E. Hauler*: *Didascalia apostolorum*, *Fragmenta veronensia latina*, (Lipsiae 1904); versionem novam latinam textus syriaci cum iuxtaposito textu graeco *Constitutionum apostolorum Fr. X. Funk*: *Didascalia et Constitutiones apostolorum*, (Paderbornae 1905). Cf. *Funk*, *Die Apostolischen Konstitutionen* (Rottenburg 1891) 29 sqq.; *A. Ehrhard*, *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung von 1884 bis 1900* (Freiburg 1900) 523 sqq.; *O. Bardenheuer*, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* II<sup>2</sup> 304 sqq.

c) „Constitutiones apostolorum“ (*Migne*, P. G. tom. 1, ubi Clementi Romano adscribuntur), ortae circa a. 400, sex prioribus libris exhibent retractationem Didascaliae, septimo libro retractationem Doctrinae apostolorum, octavo libro retractationem aliorum scriptorum perditorum. Ita saltem censet *Dr. Funk*, *Didascalia*, *Proleg.* xv sqq. Secundum *E. Schwartz* (Über die apost. Kirchenordnungen, Straßburg 1910) fons libri octavi Constit. apost. sunt Constitutiones ecclesiasticae aegyptiacae (cf. tamen *Funk*, *Didascalia* II, xix sqq. 97 sqq.).

d) Cum his Constitutionibus iungi solent „Canones apostolici“ (textum vide in *Collectionibus conciliorum Hardouini* vel *Labbei* in tom. I). Constitutiones et Canones *Dr. Funk* attribuit initio saeculi V.

e) „Canones ecclesiastici ss. apostolorum“ (in ed. *Doctr. duodecim apostol.* Funkiana, Tubingae 1887, 50 sqq.).

f) „Canones apostolici“ Orientalium et „Canones Hippolyti“ (de quibus vide *Funk*, *Die Apostol. Konstitutionen* 243 sqq.; *H. Achelis*, *Die ältesten Quellen des orientalischen Kirchenrechtes*, I: *Die Kanones Hippolyti*, Leipzig 1891. *Texte und Untersuchungen* VI). Cf. *Bardenheuer*, *Patrologie*<sup>3</sup> 146 sq. 319 sqq.

citatur: „Adversus haereses libri 5“, sed propria inscriptio est: Ἐλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, in quibus libris maximi momenti sunt, quae dicit de authentia evangeliorum et de traditione catholica. Irenaei discipulus fuit *Hippolytus Romanus* († 235), cuius doctrina in nonnullis capitibus suspecta est. Inter latinos vero scriptores, qui contra haereticos saeculi III pugnarunt, eminet *Tertullianus* († circa 240), postea ipse montanista factus. Pretiosissimum eius opusculum „De praescriptionibus haereticorum“ catholicum traditionis principium defendit. Ipse quoque „Apologeticum ad praesides romanos“ dedit, quo libro similiter ac *Minucius Felix* († post 166) libro „Octavius seu dialogus christiani et ethnici disputantium“ religionem christianam contra ethnicos defendit. In scriptis Tertulliani multa testimonia de omnibus fere christianae fidei veritatibus inveniuntur; sed bene distinguenda sunt ea, quae scripsit ante apostasiam (circa a. 202), ab iis, quae postea composuit. Tertullianum sibi magistrum et exemplar scribendi elegerat *Thascius Caecilius Cyprianus*, episcopus carthaginensis († 258), qui insignia habet de ecclesia („De catholicae ecclesiae unitate“) et de sacramentis. Minoris momenti sunt inter latinos duo rhetores: *Arnobius* († circa 327) et *Lactantius* († circa 330), qui magis eloquentia quam solida doctrina conspicui sunt.

36. Apud graecos interim *Alexandriae* schola catechetica ad erudiendos tam clericos quam laicos viros in doctrina christiana instituta est, ex qua duo magni viri: *Clemens Alexandrinus* († circa 217) et *Origenes* († 254) prodierunt. Clemens praecipue studebat ope philosophiae doctrinam christianam illustrare et explicare et ita veram et orthodoxam gnosis statuere. De relatione inter philosophiam graecam et fidem christianam agit in „Libris miscellaneorum“ (Στρωματεῖς). Alia eius scripta sunt: „Cohortatio ad gentes“, „Paedagogus“ (de doctrina morali christianorum), explicatio Matth. 19, 21—24: „Quis dives salvetur“. Origenis vero immortalis gloria sunt opera eius exegetica, quibus „Pater exegesis scientificae“ nominari meruit (Hexapla). Scripsit etiam magnum opus apologeticum contra Celsum philosophum. Ipse fuit primus, qui systema aliquod doctrinae christianae componere conatus est libris Περὶ ἀρχῶν, i. e. de doctrinis fundamentalibus, sed successu caruit, tum quia quaedam dixit, quae ab errore vindicari nequeunt, tum quia desideratur perspicuitas et simplicitas. Ceterum Origenes, ut multos nactus est adversarios, ita etiam multos habuit amicos et sectatores, inter quos *Gregorium Thaumaturgum* († 270?), *Iulium Africanum*, *Dionysium Magnum*, episcopum alexandrinum († 264 vel 265), qui Sabellii et Pauli Samosatani errores de persona Christi refutavit. Sicut schola alexandrina placitis philosophiae platonicae nixa, expositiones Sacrae Scripturae allegoricas adamabat, ita schola antiochena, quam *Lucianus* martyr († 311) fundaverat, litterali Scripturae expositione eminet. Ita *Theodorus*, *Theodoretus*, alii.

37. *Quaestio de Christi persona et naturis* tum demum summopere agitari coepta est, cum *Arius*, presbyter alexandrinus, Verbum divinum creaturam esse diceret (a. 321) et huic opinioni multos assecclas conciliaret. Quam haeresim fundamentalem proscripsit *synodus universalis nicaena*, omnium prima (a. 325), condito symbolo, quo profitebatur fidem in Iesum Christum: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ (Denz. n. 54). Qui terminus ὁμοούσιος τῷ πατρὶ exinde factum est obiectum acerrimae disputationis inter arianos et doctores catholicos. Nemo fortasse magis strenue contra arianos pugnavit quam *Athanasius*, episcopus alexandrinus († 373), qui permulta scripsit, quae summi momenti sunt in christologia et tractatu de Deo trino. Num symbolum „Quicumque“ merito ei adscribatur, disputatur inter doctos, sed negandum est. Inter occidentales contra arianos magno successu dimicavit *Hilarius Pictaviensis* († 366), imprimis Libris 12 de trinitate. *Optatus Milevitanus* et *Pacianus* († circa 391) doctrinam de ecclesia et de sacramentis exposuerunt. Non adeo fideliter doctrinam catholicam de divinitate Christi effert *Eusebius Pamphili*, episcopus caesariensis († circa 340), qui in dogmaticis saepe aut confuse loquitur aut falsa dicit, sed optime meritus est de historia ecclesiastica, cuius parens dicitur. Ut post concilium nicaenum duo prae ceteris cappadoces, *Aëtius* et *Eunomius*, arianismum defendebant, ita tres quoque viri cappadoces, iique clarissimi et doctissimi, catholicam doctrinam tuebantur: *Basilius Magnus* († 379) eiusque frater *Gregorius Nyssenus* († 395) et *Gregorius Nazianzenus* († circa 390), quorum industria doctrina de sanctissima trinitate et de divinitate Christi et Spiritus Sancti lucide explicata et scientificè exulta est. Nysseni opus clarissimum de re dogmatica est: Λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας, quo praecipuas doctrinas catholicas in systema quoddam redigere studuit. De octoginta haeresibus agit *Epiphanius* († 403) libro Πανάριον. Circa idem tempus non tam polemicè quam thetice theologiam dogmaticam excoluerunt *Ephraem Syrus* († post 373) et *Cyrillus Hierosolymitanus* († 386), ille orationibus et carminibus, hic catechesibus (23), quarum quinque ultimae (μυσταγωγικαί) pulcherrima documenta de sacramentis baptismi, eucharistiae, confirmationis continent. Maximus orator totius ecclesiae christianae exstitit *Ioannes Chrysostomus* († 407), qui in sermonibus et scriptis suis vix ullam quaestionem dogmaticam intactam reliquit. Eius sermones utilissimi sunt ad expositionem S. Scripturae. In excolenda Scriptura prae omnibus palmam tulit *Hieronymus* († 420), qui ob opera exegetica „Doctoris maximi“ nomine insignitus est.

38. Quemadmodum per haeresim arianam factum est, ut dogma de divinitate Christi stabiliretur et explicaretur, ita occasione errorum *Nestorii* (a. 428) et *Eutychis* relatio duarum naturarum in Christo extra dubium posita est. Nestorius enim duas in Christo personas, Eutyches

unam tantum naturam statuebat, quorum ille a *synodo ephesina* (a. 431), hic a *synodo chalcedonensi* (a. 451) damnatus est. Nestorianam haeresim maxime debellavit *Cyrillus Alexandrinus* († 444), cuius „Anathematis-mos“ synodus III suscepit et synodus IV in acta sua rettulit (*Denz.* n. 113 sqq.). Contra eutyechianismum scripsit *Theodoretus Cyrensis* († circa 458), qui etiam in re exegetica eminet. „Contra Eutyechis perfidiam et haeresim“ scripsit et dixit egregie *Leo Magnus* († 461), cuius sermones non solum eloquentia et concinnitate, sed etiam doctrinae acie in quaestionibus praesertim christologicis praestant. Cum monophysitis intime cognata est *secta monotheletarum* (circa 630), qui duas quidem in Christo naturas, sed ἐν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν docebant. Quibus restiterunt *Sophronius*, patriarcha hierosolymitanus († post 637), et *Maximus Confessor* († 662), qui unus ex maximis theologis suae aetatis censetur. Monotheletismus sub *Agathone* papa († 682) a concilio oecumenico VI (a. 680) damnatus est.

39. Saeculo V ineunte in occidente alia haeresis orta est, quae *pelagianismus* dicitur ab auctore suo *Pelagio*, qui de habitu libertatis ad gratiam falsa docuit. Eius haeresis moderata quaedam forma semi-pelagianismus vocatur. Invictum contra hos errores praesidium catholicae veritatis providentia divina suscitavit maximum virum *Augustinum* († 430), qui ingenii acumine inter omnes Patres ecclesiae parem non habet. Ipse a manichaeismo (quae erat falsa quaedam gnosis a Mani persa nominata, quae duo rerum principia, bonum et malum, deum et materiam, statuebat) per magnum illud ecclesiae lumen *Ambrosium*, episcopum mediolanensem († 397), conversus, de omnibus fidei doctrinis excellentissimos tractatus edidit, inter quos praecipui sunt libri „De trinitate“ et „De civitate Dei“. Ex thesauris Augustini omnes deinde theologi sese ditaverunt. Presse Augustini vestigia sequuntur *Marius Mercator* († post 451) et *Prosper Aquitanus* († circa 463), laici, praesertim ubi pugnant contra pelagianos. Contra *Ioannes Cassianus* († circa 435), quamvis multa optime scripserit, in libris tamen „Collationes Patrum“ ab omni macula pelagianismi immunis non mansit.

40. Post aetatem Augustini in re dogmatica insignes fuerunt *Vincentius Lirinensis* († circa 450), qui celeberrimum edidit „Commonitorium pro catholicae fidei antiquitate et universalitate“, et *Fulgentius Ruspensis* († 533), qui optima scripsit de trinitate contra arianos. Praeterea *Petrus Chrysologus* († 450) et *Maximus Tauriensis* magni sunt oratores ecclesiastici, quo in genere etiam notus est *Gregorius Magnus* († 604), quamvis alia eius scripta prae homiliis eius praestent. Gregorius plerumque ultimus SS. Patrum consideratur, licet alii aetatem Patrum longius extendant et *S. Bernardum Claraevallensem* († 1153) ultimum inter Patres conumerent. Nominandus hic etiam est *Boëthius*, senator romanus († circa 525), quia complura scripsit opera de trinitate etc.,

quae a veteribus scholasticis commentariis instructa sunt. Praecipue vero multas speculationes philosophicas et methodum tradendi scientiam scholastici a Boëthio didicerunt.

41. Praeterea hic notandi sunt duo scriptores, quorum alter a scholasticis aevi summi fiebat, alter ipse quasi transitum facit a SS. Patribus ad scholasticos. *Dionysio Arcopagitae* quinque opera adscribuntur, quae a doctis viris nostrorum temporum non ante saeculum IV composita esse probatum est<sup>1</sup>. Maxima his libris auctoritas conciliabatur ex falsa illa suppositione eos scriptos esse a Dionysio apostolorum discipulo, et ex insigni, quae in iis apparet, pietate et doctrina mystica. Egregie de theologia meritis est *Ioannes Damascenus* († ante 754), non quod ipse suo ingenio scientiam theologiam adeo promoverit, sed quia diligenter ea, quae a veteribus scripta erant, in summam quandam theologiam collegit, qua ratione et scholasticis praeluxit et simul viam monstravit, qua sola fere theologi a saeculo VI usque ad saeculum XII incedere poterant.

42. Nam inter magnas populorum fluctuationes et commotiones, quarum initium S. Augustinus suis oculis vidit, cum in terris occidentalibus extra monasteria homines litterarum studio dediti vix existerent, quid utilius monachi facere poterant quam divitias iam paratas omni ope servare describendo SS. Patrum opera eaque excerptando et in unum corpus colligendo? Qua de re *Cassiodorius*, abbas vivariensis († circa 570): „Cum per bella ferventia et turbulenta nimis in italico regno certamina desiderium meum [litterarum] nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis, ad hoc divina caritate probor esse compulsus, ut ad vicem magistri introductorios vobis [monachis] libros istos Domino praestante conficerem; per quos (sicut aestimo) et Scripturarum divinarum series et saecularium litterarum compendiosa notitia Domini munere panderetur. . . . Unde fieri potest, ut per magistros agatur antiquos, quod impleri non potuit per novellos“ (De instit. div. litt., praef.; M 70, 1106 sqq.). Monet deinde monachos vivarienses, ut diligenter et ex ordine legant Scripturas Sacras et SS. Patres et errata, quae in manuscripta irrepperint, corrigant, si possint. „Istud enim genus emendationis (ut arbitror) valde pulcherrimum est et doctissimorum hominum negotium gloriosum“ (c. 15; M 70, 1126). Porro compendia facienda esse docet tum sacrorum tum profanorum scriptorum, „ut, quod illi latius plurimis codicibus ediderunt, nos brevissime secundo volumine collecta pandamus“ (c. 27; M 70, 1141). „Felix intentio, laudanda sedulitas manu [i. e. scribendo] hominibus praedicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare et contra diaboli subreptiones illicitas calamo

<sup>1</sup> I. Stiglmayr argumentis satis probabilibus ostendit scripta dionysiaca orta esse inter 482–500 (Das Aufkommen der Pseudo-Dionysischen Schriften. Feldkirch 1895).

atramentoque pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot antiquarius [i. e. scriba] Domini verba describit\* (c. 30; M 70, 1144 sq.).

Haec verba clarissime ostendunt, quid viri docti, monachi maxime, in re theologica praestiterint temporibus inter SS. Patres et scholasticos intermediis. Ut Cassiodorius ipse, ita post eum *Taius*, episcopus caesar-augustanus († 655), *Ildephonsus Toletanus* († 667), *Beda Venerabilis* († 735), alii multi ingens mare doctrinae SS. Patrum „in rivulos vadosos compendiosa brevitate deduxerunt“ (*Cassiodorius*, In psalter. praefat.). Ex his compilatoribus maxima fama fruebatur *Isidorus Hispalensis* († 636), qui in opere suo „Originum seu etymologiarum codex“ encyclopaediam quandam sacrarum et profanarum scientiarum composuit et „Tres libros sententiarum seu de summo bono“ scripsit, qui anthologiam Patrum exhibent. Saeculo IX *Scotus Erigena* systema quoddam theologiae conficiebat, sed pantheismo infectus in varios errores lapsus est.

43. Iam ex fine saeculi VIII, cum tempestates civiles paulatim cessabant, multi conati sunt dogmata hactenus tradita speculative penetrare, et primo quidem, ut natura rei fert, non omnia simul, sed singula. Id suis conatibus plerumque spectabant, ut speculationes falsas quorundam haeticorum speculationibus veris refellerent. Videmus hoc consilio *Etherium*, *Paulinum*, *Alcuinum*, *Paschasium* tractare mysterium incarnationis; *Hincmarum*, *Remigium* praedestinationem; *Lanfrancum*, *Guitmundum* sacramenta, alios denique alia.

#### DE EPOCHA SCHOLASTICORUM VETERUM.

44. Ita igitur rebus omnibus praeparatis tandem versus finem saeculi XI prodierunt viri docti, qui non iam hoc vel illud dogma respiciebant, sed omnia dogmata via ac ratione discutere tentabant. In quorum virorum primo agmine magnus ille *Anselmus* († 1109) est, qui magistri sui Lanfranci in regimine abbatiae beccensis, tum in archiepiscopatu cantuariensi successor fuit. Hic theologiae scholasticae parens habetur. Nam quasi tesseram eligens illud „fides quaerens intellectum“ et viam omnibus post se theologis ostendens: „Credo“, inquit, „ut intellegam“. „Sicut rectus ordo exigit, ut profunda christianae fidei credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quae credimus, intellegere“ (Cur Deus homo 1, 2; M 158, 362). Hoc igitur consilio varia opera scripsit, quibus dogmata praecipua et difficillima ita tractabat, ut facillime in unum systema redigi possent. Similiter saeculo XIII *Gulielmus Parisiensis* († 1249) de plurimis fidei dogmatis insignes tractatus edidit; *Richardus a S. Victore* († 1173) libros sex praeclaros de trinitate scripsit. Sed haec opera, quamvis egregia, scholarum et discentium utilitati minus respondebant. Quam ob rem, ut huic quoque necessitati provideretur, *Hugo a S. Victore*

(natione germanus, † 1141), *Robertus Pullus* († 1146), *Petrus Pictaviensis*, *Gulielmus Altissiodorensis* (Autissiodorensis, Antissiodorensis, initio saeculi XIII) „Summas sententiarum“ composuerunt. Attamen omnes hoc in genere facile superavit *Petrus Lombardus*, episcopus parisiensis († 1164), „Magister Sententiarum“. Libros suos „Sententiarum“ dixit, quia iis sacrarum litterarum et SS. Patrum sententias compendio complexus est: „brevis volumine complicans Patrum sententias, apposis testimoniis, ut non sit necesse quaerenti librorum universitatem evolvere, cui brevitatis, quod quaeritur, offert sine labore“, ut sic „studiosorum fratrum laudabilibus studiis lingua ac stilo serviret“ (ex Prologo in Sent.)<sup>1</sup>. Sed, etsi revera, quaecumque profert, positivis testimoniis fulcit, nihilominus speculativa fidei expositio praevalet. Quod in hoc opere desideratur, est melior ordo et forma magis ad usum scholae apta. Nam forma illa, quam postea scholasticam dixerunt, tantum abest, ut magister utatur, ut ad oratorum loquendi modum propius accedat.

Qua in re ab eo differt *Alexander Halensis*, franciscanus, „Doctor irrefragabilis“ († 1245), qui commentando libros Sententiarum primus omnium „Summam theologiae“ secundum methodum dialecticam edidit. Ipse *veteris scholae franciscanae* parens fuit simul cum *S. Bonaventura*, „Doctore seraphico“ († 1274), qui vestigia Alexandri premens praeter commentarios in Lombardum insigne „Breviloquium veritatis theologiae“ scripsit et mysticam theologiam cum scholastica pulcherrime iunxit. Simili via ac hi duo, alii doctores gradiebantur: *Richardus de Mediavilla*, „Doctor solidissimus“ († 1307), perspicuitate commendandus, et *Henricus Gandavensis* († 1293), „Doctor sollemnis“, vir ingeniosissimus.

45. Attamen summi omnium doctores exstiterunt in familia S. Dominici. Cum enim saeculo XIII per arabes philosophia aristotelica late propagari coepta esset, *Albertus Magnus* († 1280) eam ab arabum corruptione in pristinam integritatem restitutam tamquam theologiae ancillam utilissimam in servitium fidei conduxit. Hoc ipsum quidem ei vitio verterunt, quasi Aristotelis auctoritati caece fides eius errores in doctrinam theologiam intulisset. Sed quam immerito hoc ei obiciatur, ipsius verba ostendunt, quibus immoderatas arabum laudes refellit: „Qui credit Aristotelem fuisse Deum, ille debet credere, quod nunquam erravit. Si autem credit ipsum esse hominem, tunc procul dubio errare potuit sicut et nos“ (Phys. l. 8, tract. 1, c. 14, ed. Iammy II 332). Multas opiniones Aristotelis correxit, quemadmodum posteriores quoque scholastici praecipuos Aristotelis errores in categorias redigere et refutare solebant.

46. Huius magni magistri maior discipulus fuit *Thomas Aquinas*, „Doctor Angelicus“ (1225—1274). Quem, cum Coloniae propter singularem

<sup>1</sup> Optima huius operis editio prodit e Collegio S. Bonaventurae ad Claras Aquas 1916.

modestiam a condiscipulis suis minoris ingenii aestimatus et bos mutus appellatus esset, aliquando disputatione finita Albertus his verbis laudasse fertur: „Nos vocamus istum bovem mutum, sed ipse adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto mundo sonabit.“ Cui vaticinio eventus respondit; nam omnium fere iudicio S. Thomas princeps est scholasticorum, et secundum verba Ioannis papae XXII „plus illuminavit ecclesiam quam omnes alii doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae“. Huius rei ratio est, quia S. Thomas et optime versatus erat in Scriptura Sacra et SS. Patrum scriptis et summa ingenii acie quaestiones omnes penetrabat et, quae ipse clare viderat, lucidissimis et simplicissimis verbis exprimebat. Simul omnes res ex altissimis principiis contemplari consueverat, quo factum est, ut non solum errores omnes superiorum temporum debellaverit, sed etiam ad profligandos eos, qui in posterum orituri erant, arma invicta suppeditaverit. Thomae vero doctrina imprimis e „Summa theologica“ petenda est, tum quia hoc opus est maxime maturum, ultimis ante obitum eius annis scriptum, tum quia maxima diligentia prae aliis eius libris est exaratum, et quidem ad tironum utilitatem, ut ipse ait: „Propositum nostrae intentionis in hoc opere est: ea, quae ad christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium“ (Prolog. in Summam).<sup>1</sup>

47. Vestigia S. Thomae inter veteres praecipue secuti sunt *Petrus de Tarantasia* (postea Innocentius V, † 1276) et *Aegidius Romanus*, „Doctor fundatissimus“ (generalis augustiniensium, † 1316), quem ordo eremitarum S. Augustini (ab anno 1287) doctorem proprium habuit. E contrario magnum illud lumen ordinis S. Francisci, *Ioannes Duns Scotus* († 1308), qui propter ingenii acumen „Doctor subtilis“ vocatur, totam Aquinatis doctrinam in crism vocavit et in multis ab eo recessit et ita novam scholam franciscanam incohavit, quae a vetere Alexandri Halensis et Bonaventurae satis differt<sup>2</sup>. Scoti clarissimi discipuli sunt *Petrus Aureolus*, „Doctor facundus“ († 1322), et *Hieronymus de Atharia* († 1323). Ex ipso ordine praedicatorum diversas a S. Thoma vias inierunt *Durandus a S. Portiano* († 1334), „Doctor resolutissimus“, *Robertus Holkot* († 1349), alii. Contra Thomam simul et Scotum pugnavit *Gulielmus Occam* († 1349), Scoti discipulus, minorita, „Venerabilis inceptor“ dictus, quia scholam „nominalium“, i. e. rationalistarum medii aevi, fundavit.

<sup>1</sup> De scriptis S. Thomae cf. *P. Mandonnet*, Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin (Fribourg [Suisse] 1910); *M. Grabmann*, Die echten Schriften des hl. Thomas von Aquin (Münster i. W. 1920).

<sup>2</sup> S. Congregatio Pauli V iussu declaravit immunem esse a censuris doctrinam Scoti edixitque, ne quis librorum censor prohibere typis auderet, quod certe constaret ex Scoto depromptum esse. Ita *Viva*, De trinit. disp. 5, q. 6, n. 6. Cf. *Franzelin*, De trin. th. XL, in nota.

48. Ex ineunte saeculo XIV omnes fere theologi aut uni aut alteri ex his scholis adhaerebant. Sed sufficiat paucos notioris famae hic nominasse.

*E schola S. Thomae* sunt: *Ioannes de Neapoli* († circa 1330), *Hervaeus Natalis*, magister generalis O. P. († 1323), *Rainerius a Pisa* († post 1333), *Petrus de Palude* (Paludanus, † 1342), *Ioannes Capreolus* († 1444), strenuus defensor doctrinae S. Thomae, imprimis contra Aureolum, „Princeps thomistarum“, *Ioannes de Turrecremata* († 1439), *Henricus de Gorricem* (Gorcumiensis, † 1431), *Silvester Prierias* († circa 1520), *Didacus Deza*, archiepiscopus hispalensis († 1523), *Franciscus Ferrariensis* († 1528), commentator Summae contra gentiles, *Thomas de Vio*, cardinalis, vulgo *Caictanus* († 1534), commentator Summae theologicae, *Conradus Koellinus* († 1536), *Chrysostomus Iavellus* († circa 1540).

*E schola scotistica*: *Antonius Andreas* († post 1319), *Petrus de Aquila* († post 1321), cognomento Scotellus, quia doctrinam Scoti in epitomen coëgit, *Franciscus de Mayronis* († 1327), „Doctor illuminatus“, *Adamus Goddam* († post 1328), *Gulielmus de Rubeone* († circa 1332), *Alvarus Pelagius* († post 1337), *Gerardus Odonis* († post 1341), *Ioannes de Colonia* († post 1339), *Ioannes Bassolius* († circa 1350), *Gulielmus Vorilongus* († post 1451), *Nicolaus de Orbellis* († post 1454), *Stephanus Brulifer* († 1483), *Nicolaus de Niise* († 1509), *Franciscus Lychetus* († 1516), commentator Scoti.

*E schola augustiniensi*: *Iacobus de Viterbio* († inter 1308 et 1320), „Doctor speculativus“, *Augustinus Triumphus* († 1328), *Gulielmus Cremonensis* († post 1343), *Thomas Argentinas* († 1357), *Gerardus Senensis* († post 1350), *Gregorius Ariminensis* († 1358), „Tortor infantium“, quia infantes in statu peccati originalis mortuos poenis positivis addicit, *Alphonsus Vargas*, „Toletanus“ († 1366), qui quidem est a familia augustiniensium, sed in doctrina sectatur S. Thomam, *Augustinus de Roma* († 1445).

*In ordine carmelitarum calceatorum* post *Gerardum Bononiensem* († 1317) et *Guidonem Perpinianum* († 1342) novam scholam fundavit *Ioannes Bachonius* († 1346). Post eum in eodem ordine floruerunt: *Petrus de Casa* († 1348), *Franciscus de Baccone* († 1372), *Michael Ayguanus* († 1400), *Thomas Waldensis* († 1430), *Wicliffi* adversarius.

*E schola nominalium*: *Ioannes Buridanus* (initio saeculi XIV), *Ioannes Gerson* († 1429), cancellarius parisiensis, eiusque magister *Petrus de Alliaco* († 1420 vel 1425), *Gabriel Biel* († 1495), „Ultimus scholasticus“; partim huc pertinet *Marsilius ab Inghen* († 1396).

Praeter hos memoria digni sunt: *S. Antoninus* († 1459), qui Summam theologiae scripsit, eruditionis plenam, secundum rationes magis practicas; *Dionysius Ryckel*, „Carthusianus“ († 1471), qui universam theologiam scholasticam veterem suis commentariis in Sententias complexus est; *Alphonsus Tostatus*, episcopus abulensis († 1455), „qui scibile discutit omne“ et propter ingentem eruditionem „Mundi stupor“ dictus



est. Similiter positivis scientiis valde excultus erat *Nicolaus Cusanus* (circa finem saeculi XV).

49. Ab his igitur et aliis a saeculo XII usque ad XV theologia scholastica seu speculativa praecipue colebatur, quatenus hi viri doctrinas fidei non tam ex fontibus probabant quam probatas et aliunde notas supponebant et speculative expoliebant. Ita e. g. *S. Thomas* in commentariis (In 1, dist. 2, q. 1, a. 4) quaerit, „utrum in divinis sint plures personae“. Affert varia argumenta ex ratione et ita concludit: „Concedendum est absque ulla ambiguitate esse in Deo pluralitatem suppositorum vel personarum in unitate essentiae, non propter rationes inductas, quae non necessario concludunt, sed propter fidei veritatem.“ Optime igitur *S. Doctor* sciebat in eiusmodi quaestionibus nihil effici nisi argumentis positivis. Haec tamen ipse non affert, quia hoc est praeter eius propositum, cum non „quod verum sit“ velit demonstrare, sed „quomodo verum sit“. Temporibus enim, quae epochae scholasticae antecederent, doctores omnia argumenta positiva diligenter collegerant, quae scholastici supponentes, toti in doctrina speculative excolenda occupabantur. Attamen, quia „*Libri Sententiarum*“ in omnium manibus versabantur, etiam ipsi discipuli compendium theologiae positivae habebant. Ita e. g. ad eandem quaestionem de pluralitate personarum in divina essentia *Lombardus* 22 locos *S. Scripturae* et 7 *SS. Patrum* affert. Haec igitur doctores scholastici supponentes, statim speculativam explicationem aggrediebantur. Praeterea in omnibus scholis erant etiam „doctores biblici“, qui theologiam positivam tractabant<sup>1</sup>. Quantopere *S. Thomas* in libris *SS. Patrum* versatus fuerit, ostendit eius „*Catena*“ in evangelia, in qua ex Patribus graecis et latinis plus quam 40 continuam expositionem summo artificio contextit. Ex quibus patet immerito magnis illis scholasticis veteribus obici negligentiam theologiae positivae.

50. *Querela de neglecta theologia positiva* verior est, si contra paucos quosdam scholasticos saeculi XV vel XVI profertur. Fuerunt enim, de quibus *Canus* testatur, acrius forte more suo: „Intellego fuisse in schola quosdam theologos adscripticios, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverint et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem sed fere e puerilibus disciplinis, scholastici tamen, si superis placet, theologi vocantur. Nec scholastici sunt, nedum theologi, qui

<sup>1</sup> „Die biblischen Studien fanden in der Blütezeit der Scholastik eine zum Teil glänzende Vertretung, wie unter anderem die biblischen Kommentare des Fürsten der Scholastik beweisen“ (Dr. *Kuhn*, Einleitung<sup>2</sup> 463).

sophismatum faeces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant et delicatiores ad contemptum“ (De loc. theol. 8, 1; cf. 9, 1). Similia habet *Maldonatus* (apud *Prat*, De vita Maldonati 464 sqq.). At numquid disciplina ulla ex vitiis pensanda est, in quae eius depravatores inciderunt, et non potius ex virtutibus, quae in optimorum cultorum eius operibus relucent?

#### DE EPOCHA THEOLOGIAE POST CONCILIUM TRIDENTINUM.

51. Saeculo XVI rursus prodierunt viri magni, qui theologiae pristinum robur et dignitatem reddiderunt. Iam tempore concilii tridentini (1545—1563) floruerunt *Ambrosius Catharinus*, qui interdum habet opiniones a communi sententia diversas, *Ioannes Viguierius*, *Melchior Canus* († 1560), cuius clarissimum opus exstat de „*Locis theologicis*“, *Dominicus Soto* († 1560), *Catharini* adversarius, *Petrus Soto* († 1563), *Bartholomaeus Carranza* († 1576), qui omnes erant dominicani; *Alphonsus de Castro*, *Andreas Vega*, *Michael de Medina*, minoritae. Hi doctores summis viribus contra insurgentes haereses pugnabant. Ex controversiis ineuntis et medii saeculi XVI praeterea noti sunt: *Ioannes Eck*, *Ioannes Cochlaeus*, *Staphylus*, *Gropper*, *Albertus Pighius*, *Petrus Canisius*, germani; *Trapper*, *Driedo*, *Latomus*, lovanienses; *Clichtovaeus*, gallus etc.

Sed ad summam perfectionem pervenit theologia post finitum concilium tridentinum. Et in exegesi quidem praeclari sunt: *Maldonatus* († 1583), *Alphonsus Salmeron* († 1585), *Sa* († 1596), postea *Benedictus Iustiniani* († 1622), *Cornelius a Lapide* († 1637), *Bonfrerius* († 1642), alii de Societate Iesu; *Cornelius Iansenius* († 1576), *Gulielmus Estius* († 1613), qui praeterea bonos commentarios in *Sententias* edidit.

In theologia polemica excellabant: cardinalis *Bellarminus* († 1621) et *Thomas Stapleton* († 1598), in quorum operibus multae quoque quaestiones scholasticae solide tractantur; dein *Duperron* († 1618), *Iacobus Gretser* († 1625), fratres de *Walemburg*, *Dominicus Gravina* O. P. († 1643), alii.

52. Prae ceteris autem disciplinis theologicis reffloruit theologia scholastica, quam recentem vocant. *Differt haec recens theologia scholastica a vetere duplici ex capite*: 1. Cum veteres scholastici plerumque *Magistrum Sententiarum* sequerentur, recentes *S. Thomam* ducem elegerunt, unde puritati doctrinae et systemati scientifico multo melius provisum erat. 2. Quia protestantes positivos fidei fontes corrumpere studebant, necesse erat etiam in scholis dogmaticis genuinum *Scripturae* sensum secundum *SS. Patrum* interpretationem diligenter exponi et stabiliri; unde theologia positiva cum scholastica intime nectebatur. Hinc *Kleutgen*: „Si quaeritur, quid sit scholastica secundum ideam, respondemus esse theologiam speculativam; sin quaeritur, quid scholastica re ipsa fuerit, respondemus veterem scholasticam unice fere,

recentiorem vero secundum potiore partem fuisse theologiam speculativam\* (Theol. der Vorzeit IV, n. 11).

53. Praecipui cultores theologiae scholasticae recentioris prodierunt ex ordinibus S. Dominici et Societatis Iesu; et quidem ex una eademque schola *Francisci de Victoria* O. P. († 1546), viri laudatissimi, progressi sunt doctores, qui, summo ingenio praediti, in quibusdam quaestionibus sententias quam maxime oppositas tamquam genuinam scholae suae doctrinam propugnarent. Victoriae discipulus erat *Dominicus Soto* († 1560), huius vero discipuli: *Dominicus Bañes* († 1604), auctor neothomismi seu doctrinae de praedeterminatione physica, et cardinalis *Toletus* († 1596), qui merito primus parens theologiae Societatis Iesu dici potest. Post hos ex schola thomistica nominandi sunt: *Bartholomaeus Medina* († 1581), *Petrus de Ledesma* († 1616), *Didacus Alvarez* († 1635), *Thomas de Lemos* († 1629), *Ioannes a S. Thoma* († 1644), *Gonet* († 1681), *Goudin* († 1695), *Xantes Mariales* († 1660), *Anton. Reginaldus* († 1676). Ad thomistas accedunt *salmanticenses* carmelitae: „Cursus salmanticensis in Summam S. Thomae“ (1679), *Philippus a S. Trinitate* († 1671), *Curiel* O. S. B. († 1609), *Franciscus Zumel* († 1607), *Sylvius* († 1649), *Reding* O. S. B. († 1692).

Celeberrimi theologi *Societatis Iesu* post Toletum sunt: *Molina* († 1600), *Gregorius de Valentia* († 1603), *Franciscus Suarez*, „Doctor eximius“ († 1617), *Gabriel Vazquez* († 1604), *Lessius* († 1623), *Becanus* († 1624), *Adamus Tanner* († 1632), *Ruiz de Montoya* († 1632), *Coninck* († 1633), *Tiphanius* († 1641), *Ripalda* († 1648), *Franc. Amicus* († 1651), *Gasp. Hurtado* († 1647), *Franc. de Lugo* († 1652), *Ioan. de Lugo* († 1660), *Pallavicino* († 1667), *Antonius Perez* († 1649), *Silv. Maurus* († 1687). Praetereundus hic non est magnus vir *Petavius* († 1652), qui non scholasticam sed positivam theologiam excoluit, sed hoc ita, ut in hac re parem non habeat. Est tamen propter eruditionem ingentem mentione dignus *Theophilus Raynaudus* († 1663), vir famigeratus. Ad iesuitarum doctrinam accedunt propius *Duvallius* († 1638) et *Ysambertus* († 1642), Sorbonae doctores praeclari. Theologus suppar *Petavio* in tractanda theologia positiva est *Thomassinus*, oratorianus († 1695).

Ex aliis scholis celebres exstiterunt: *Franciscus de Herrera* († circa 1600), *Smising* († 1626), *Angelus Vulpes* († 1647), *Mastrius* († 1673), *Brancatius de Laurea* († 1693), *Bosco* (1684), *Ioan. Poncius* († 1660), qui omnes fuerunt scotistae. *Bartholomaeus de Barberiis* († circa 1690) S. Bonaventurae aemulator est. Eundem S. Doctorem sequuntur *Gaudentius Bontempus*, „*Brixinensis*“ († 1672), *Marcus a Baudunio* († circa 1670), *Marcellus Reghiensis* († post 1670).

54. Omnes hi doctores ea aetate exstiterunt, quam „classicam“ scholasticae recentioris dicunt, dum tempora a medio circiter saeculo XVII epocham „epigonorum“ appellant, quam computant usque

ad finem circiter saeculi XVIII, quando theologia scholastica paene tota exstincta est. Attamen hac ipsa aetate nonnulla opera theologica edita sunt non spernendae excellentiae. Nominandi sunt ex *thomistis*: *Billuart* († 1757), cardinalis *Gotti* († 1742), *Bernardus Maria de Rubeis* († circa 1775), criticus operum S. Thomae vindex. Minoris momenti in hac schola sunt *Paulus Mezger* († 1702), *Babenstuber* († 1726), *Renz* († 1730), benedictini.

E schola *franciscanorum* noti sunt: *Frassen* († 1711), *Boyvin* († circa 1680), *Krisper* († 1749).

Inter *Societatis Iesu* theologos eminent *Platel* († 1681), *Gormaz* († 1708), *Viva* († post 1710), *Simmonet* († 1733), *Ulloa* († circa 1720), *Antoine* († 1743), *Sardagna*, *Genér*, *Monschein*; demum omnium finis et digna corona fuit „*Theologia wirceburgensis*“.

E schola *augustinensium* magnum opus theologicum edidit *Laurentius Berti* († 1766). *Juénin*, oratorianus gallus († 1713), iansenismo infectus est, sicut et alii ex doctoribus sorbonicis, ut *Carolus Witasse* († 1716), minus vero *Ludovicus Habert* († 1718). Puram et solidam doctrinam e doctoribus sorbonicis profitentur *Ludovicus Abelly* († 1691) et prae ceteris *Honoratus Tournely* († 1729). In Germania ultimum bonum compendium theologiae edidit *Ios. Widmann* (1775). Quae post eum saeculo XVIII in lucem prodierunt, vix mentione digna sunt; nam a medio fere saeculo XVIII usque ad medium circiter saeculum XIX theologia catholica, rationalismi veneno imbuta, quasi mortua iacebat, donec nostris temporibus novum vigorem et decorem recuperare coepit.

55. Pauca quidem sunt nomina, quae hucusque ex permagna multitudine theologorum recensita sunt; nam *Hurter* in „*Nomenclatore litterario*“ multo ultra sex milia enumerat. Iuvat tamen hic brevis conspectus, ut eorum doctorum, qui frequentius nominantur, aliqua notitia habeatur. Multi ex his fuerunt viri ingenio et eruditione permagni, eorumque opera non immerito cum magnificis illis mediæ aevi ecclesiis cathedralibus comparaveris, tum propter partium, ex quibus constant, infinitam varietatem expolitamque elegantiam, tum propter grandem, quae ex harum partium perfecta unitate exurgit, maiestatem.

Eorum virorum nomina et opera, qui nostro saeculo theologiam coluerunt, saepe per decursum tractatum nobis occurrent, quare iis enumerandis hic supersedemus. Conferatur interim, si placet, *Kihn*, *Encyklopädie und Methodologie der Theologie* (Freiburg 1892) 404 sq. 414 sqq. 424 sqq.

## § 3.

DE HABITUDINE INTER THEOLOGIAM DOGMATICAM  
ET THEOLOGIAM MORALEM.

56. Nostra aetate solent theologiam moralem a theologia dogmatica seiungere et plane separatim tractare, cum veteres theologi tractatus

dogmaticum et moralem in unum coniungerent. Quare iuvenit hic breviter dicere de nexu logico et historico duplicis huius partis theologiae.

57. Et imprimis *intimum esse nexum inter theologiam moralem et dogmaticam* (tam positivam quam scholasticam) vix probatione indiget. Nam ex expositione systematis dogmatici, quam supra dedimus, apparet multa in theologia dogmatica tractari, quae non simpliciter credenda vel tenenda sunt, sed quae etiam actiones humanas respiciunt et ad vitae exercitationem pertinent. Eiusmodi sunt, quae traduntur de fine ultimo et actibus humanis, de virtutibus et vitiis, de sacramentis, de iustificatione, alia, quae a Deo revelata sunt vel ex revelatione consequuntur. Quatenus igitur harum rerum consideratio ad hoc instituitur, ut in earum veritate speculativa mens quiescat, sunt obiectum theologiae dogmaticae; sin eadem res practica ratione tractantur, ut dirigamur ad actus nostros recte instituendos, habetur theologia moralis.

58. Convenit igitur theologia moralis cum dogmatica, in quantum habet idem subiectum, Deum, et idem obiectum formale, verum demonstrabile ex revelatione. Differt autem ratione obiecti materialis, quod in theologia morali artioribus limitibus circumscribitur; nam excluduntur omnes quaestiones mere speculativae, ut de Deo uno et trino et de Verbo incarnato. Praeterea differt fine proximo, quia res practicas ad finem practicum tractat. Hinc theologia moralis definiri potest: *Scientia practica motus creaturae rationalis in Deum ex revelatione hausta.*

59. Et hic quidem est nexus internus inter theologiam moralem et dogmaticam. *Historice* autem eatenus intime cohaerent, quatenus ante saeculum XVI theologi ad inquisitiones speculativas in iisdem tractatibus statim adiungebant conclusiones practicas, ut e. g. S. Thomas in *Summa theologica*. Perpauci theologi temporibus medii aevi separatas institutiones morales ediderunt, ut *S. Raymundus de Peñafort* O. P. († 1275), qui scripsit „*Summam de casibus paenitentialibus*“, et *S. Antoninus*, qui praeter „*Summam theologicam*“ composuit „*Summam confessionalem*“. *Angeli Carleti* († 1495) „*Summa casuum*“ vocari solet „*Summa Angelica*“.

60. Sed inde a saeculo XVI magis magisque usus invaluit conscribendi libros, qui omissis fere quaestionibus speculativis unice servirent ad confessarios in quaestionibus practicis sive erudiendos sive adiuvandos. Scriptores horum librorum id imprimis spectabant, ut propositis variis casibus, ut aiunt, exacte definirent, num et quale peccatum in his vel illis condicionibus committeretur; unde „*casuistarum*“ nomen iis inditum est. „Ut priores theologi [scholastici] ante omnia in explicandis virtutibus versabantur et adnectebant peccatorum explanationem, ita posteriores illi [moralistae] potissimum in explicandis

peccatis erant: idque revera ab hac aetate eo magis pervulgabatur, quo magis probabilismi systema pro fundamento singularum quaestionum et norma sumere atque accuratius definire scriptores conabantur, quid qua gravitate illicitum esset“ (*Lehmkuhl*, *Theol. mor.* II, ed. 11, Friburgi 1910, 842).

61. Unus ex primis, qui theologiam moralem hoc modo tractabant, erat *Azpilcueta*, „*Doctor Navarrus*“ († 1587), cuius „*Manuale confessoriorum*“ a scriptoribus saeculi XVI saepe allegatur. Magnam in hoc campo famam adepti sunt post cardinalem *Toletum* plures alii e *Societate Iesu*: *Valerius Reginaldus* († 1623), *Thomas Sanchez* († 1610), *Azor* († 1603), prae ceteris vero *Petrus Laymann* († 1635). Praeter hos *Bonacina* († 1631) et *Salmanticenses* inter „*classicos doctores*“ recensentur.

62. Anno 1640, duobus post scriptoris mortem annis, editus est liber *Cornelii Iansenii* (iunioris), qui inscribitur „*Augustinus*“. Hic liber non minores in theologia morali quam in theologia dogmatica turbas effecit. Inter alias falsas doctrinas haec est: „*Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt*“ (*Denz.* n. 1092). Quae propositio (a. 1653 ab Innocentio X damnata) ansam dedit severae illi doctrinae iansenistarum, qua intolerabile iugum humeris mortalium sub pietatis specie imponebant. Et sane extremo eorum rigorismo mortiferum vulnus theologiae morali infligebatur, nisi insignes theologi huic pernicioso coepto pro viribus restitissent. Certatum est utrinque acriter, et, ut fit in eiusmodi concertationibus, in quibus non solus veri amor, sed saepe minus bonae voluntatum inclinationes duces eliguntur, ex utraque parte in extrema itum est. Ut hinc rigorismus, ita illinc laxiora quaedam principia suos defensores nacta sunt. Unde mirum non est „*scribentium quidem copiam crevisse, eorum autem, qui scientiam theologiae moralem eximie promoverent, numerum longe inferiorem fuisse*“ (*Lehmkuhl* l. c.).

Inter eos autem, qui sanam doctrinam defendebant, magni in doctrina morali scriptores nominandi sunt: *Busebaum* († 1668), cuius „*Medulla theologiae moralis*“ mole quidem parva, sed soliditate, concinnitate, ordine eximia, tanto plausu excepta est, ut ab a. 1645 ad a. 1770 plus quam ducentas habuerit editiones; *Lacroix* († 1714), *Medullae busebaumianae* commentator insignis, *Castro Palao* († 1633), cardinalis *de Lugo* († 1660), cuius etiam maior est gloria in theologia morali quam dogmatica, *Escobar* († 1669), *Mazzotta* († 1746), *Reuter* († 1762), *Voit* († 1780), alii. Praeter hos claruerunt: *Abelly* († 1691), *Reiffenstuel* († 1703), *Sporer* († 1714), *Elbel* († circa 1760), *Amort* († 1775), alii.

63. Qui, quamvis contra iansenistas strenue pugnarent, ne rigidis eorum sententiis conscientia fidelium supra modum constringeretur,

tamen impedire non poterant, quominus versus medium saeculum XVIII doctrina iansenistica numero et audacia scriptorum intumesceret. Quibus in rerum adiunctis divina benignitate providente vir sanctitate et doctrina insignis, *Alphonsus Maria Liguori* († 1787), theologiam moralem ad recta et catholica principia revocare aggressus est. Qua in re tantum successum habuit, ut Doctoris ecclesiae honore insigniri meruerit. Eius opera, quorum praecipuum est „Theologia moralis“, quae est commentarius Medullae P. Busembaum, multos quidem impugnatores habuerunt, sed tandem iudicio sedis apostolicae ab omni suspicione vindicata sunt.

Post S. Alphonsum, tristissimis illis temporibus circa finem XVIII et initium XIX saeculi, theologia moralis non minus prostrata iacebat quam theologia dogmatica. Sed hac resurgente et illa reffloruit. Maxime his ultimis decenniis insignia opera moralia in lucem prodierunt, quorum scriptores eo quoque titulo summa laude digni sunt, quod, minime contenti tractatione rerum mere casuistica, quae vix scientiae nomen mereatur, studuerunt solide probare et elucidare principia, quibus theologia moralis nititur (cf. *Kihn* l. c. 440 sqq.).

64. Sed ex hoc ipso, quod moralistae diligenter in principia scientiae suae inquirunt, practica quaedam difficultas oriri potest inter theologiam dogmaticam et theologiam moralem, quatenus saepe eadem quaestiones et hic et ibi tractandae sunt, et ita facile fiunt taediosae repetitiones. Quae difficultas licet non plane vitari, tamen minui potest, si eae quaestiones, quae principaliter postulant positivam ex fontibus theologicis probationem et speculativam disquisitionem, theologiae dogmaticae asseruntur; eae vero, quae ex natura sua magis casuistice tractandae sunt, theologiae morali committuntur. Hanc divisionem materiae in his praelectionibus ita servabimus, ut ea, quae P. Lehmkühl in Theologia morali tractavit, hic non repetantur.

## INSTITUTIONES PROPRAEDEUTICAE AD SACRAM THEOLOGIAM.

### PRAENOTANDA.

65. *Quae supponantur.* In philosophia probata sunt existentia Dei, officium colendi Deum per actus religionis, possibilitas revelationis divinae, possibilitas et cognoscibilitas miraculorum, condicionata obligatio amplectendi eum cultum religiosum, quem forte Deus positiva revelatione postulaverit<sup>1</sup>.

66. His igitur suppositis quaerimus, *num Deus positive revelaverit et praescripserit hominibus religionem* (sensu obiectivo), i. e. summam veritatum et officiorum, quae hominis ad Deum ordinationem spectant. Quae quaestio partim historice partim philosophice solvenda est: et *historice* quidem, quatenus agitur de stabilienda veritate facti revelationis; *philosophice* autem, quatenus agitur de diiudicando valore huius facti, num scilicet eas notas prae se ferat, quibus revelatio divina cognoscitur.

67. Multae quidem revelationes a Deo hominibus factae perhibentur, sed una inter omnes est maximae universalitatis et efficaciae, quae totam faciem orbis terrarum mutavit et quasi lapis terminalis historiam generis humani in duas magnas partes dividit: haec est *illa revelatio, cuius Iesus Christus auctor* et cuius religio christiana obiectum est. De hac igitur revelatione nobis agendum et videndum est, num ea, quae de Iesu Christo narrantur, historice certa sint, et num caractere verae revelationis divinae insigniantur.

68. *De modo procedendi.* Iam si agitur de facto historico praeteritorum saeculorum stabiliendo, ante omnia auctoritas documentorum, quorum testimonio nitimur, in tuto collocanda est. Documenta autem praecipua, quae hic in quaestionem veniunt, sunt quattuor evangelia,

<sup>1</sup> *Honthelm*, Theodicaea (Friburgi 1893) 53 sqq. 814 sqq. *T. Pesch*, Institutiones philosophiae naturalis II<sup>2</sup> (Friburgi 1897) 374 sqq. *Theod. Meyer*, Institutiones iuris naturalis II (Friburgi 1900) 6 sqq.

quae exhibent brevem conspectum eorum, quae Iesus Christus fecit et docuit. Horum igitur auctoritate stabilita inquirendum erit in dicta et facta Iesu Christi, ut videamus, ipsene se legatum divinum esse declaraverit et probaverit. Si utrumque affirmandum est, constat de revelatione divina religionis christianae. Unde haec pars tractatus apologetici inscribi solet: *De vera religione* (Demonstratio christiana). Nos eam inscribemus: *De Iesu Christo legato divino*.

Quia vero Christus non immediate omnibus hominibus doctrinam suam proponit, quaerendum est, quis sit ille canalus, quo Christus doctrinam suam ad singulos homines deduci voluerit. Videbimus autem Christum instituisse aliquod collegium magisteriale seu aliquam societatem, cui doctrinam suam tradiderit et eam auctoritative proponendi potestatem contulerit. Quae et qualis sit haec societas, quibus notis distinguatur, quam auctoritatem habeat, porro investigandum erit. Haec pars tractatus apologetici solet inscribi: *De vera ecclesia Christi* (Demonstratio catholica).

Ecclesia autem doctrinam a Christo acceptam variis instrumentis conservat et propagat, quae instrumenta, quia inde singulae doctrinae a Deo revelatae hauriuntur, vocantur fontes seu loci theologici. Quare habetur tertia pars tractatus: *De fontibus theologis*.

69. *De nominibus huius disciplinae et eius definitione*<sup>1</sup>. Solet haec scientia vocari *apologetica*, quia servit ad defendendam religionem et ecclesiam Christi contra adversarios christiani nominis. Neque vero apologetica defendenda suscipit singula dogmata a Christo revelata sed potius fundamentum omnium dogmatum, i. e. factum revelationis christianae et auctoritatem ecclesiae. Unde interdum vocatur *theologia fundamentalis*, quamvis non sit formaliter theologia, quia non ex revelatione argumentatur, sed argumentis philosophicis et historicis revelationem factam esse ostendit. Dicitur igitur theologia fundamentalis, quatenus prolegomena seu praeambula ad theologiam dogmaticam necessaria proponit. Singula dogmata defendere vel qualescumque obiectiones contra doctrinam christianam factas solvere est *apologiae*. Ita tractatus, quos veteres Patres ediderunt, ut ostenderent religionem christianam non esse perniciosam reipublicae romanae, recte vocantur *apologiae*, non vero *apologeticae*. Quia SS. Patres non elaborarunt theologiam systematicam, ex eorum scriptis discere non possumus, quem locum teneat et qua ratione tractanda sit apologetica in systemate theologiae. Apologetica enim est scientia, qua fundamenta et principia fidei et theologiae via ac ratione stabiliuntur; hinc apologetica est quidem etiam apologia, at non quaevis apologia est scientia apologetica. Ceterum hoc nomen apologeticae secundarium tantum finem huius tractatus indicat; *primarius enim finis non est defendere religionem et*

<sup>1</sup> Cf. I. Ottiger, *Theologia fundamentalis* I (Friburgi 1897) 12 sqq.

*ecclesiam Christi, sed viam parare ad theologiam supernaturalem*. Theologia supernaturalis, ut vidimus, est scientia fidei seu ordinis supernaturalis, eiusque principia obiectiva sunt veritates revelatae. Ergo ante omnia constare debet revelationem esse factam et revelata in his vel illis fontibus inveniri. Iamvero factum revelationis divinae non est nobis per se immediate evidens; ergo probari debet. Theologia autem ipsa dogmatica revelationem non probat, sed revelata supponit et ex iis argumentatur, sicut generatim nulla scientia principia sua probat, sed ex iis ut aliunde notis procedit (*S. Thom.* 1, q. 1, a. 8). Consequenter ante theologiam supernaturalem requiritur alia scientia, qua ostendantur factum et fontes revelationis supernaturalis. Scientia autem, quae ordinem supernaturalis revelationis probandum suscipit, recte vocatur *propaedeutica ad theologiam*; „ad theologiam“ quidem, quia causa eius finalis proxima est theologia; „propaedeutica“ vero, quia demonstrat ea, quae supponuntur ante theologiam, i. e. factum et credibilitatem revelationis, non internam veritatem eorum, quae revelata sunt (*S. Thom.* 2, 2, q. 1, a. 4 ad 2). Itaque *subiectum huius scientiae est existentia ordinis supernaturalis revelati; obiectum formale est cognoscibilitas historica et philosophica huius ordinis, in quantum hic ordo est factum historicum; obiectum materiale, quidquid de hoc ordine ante theologiam supponendum est*. Unde *definiri* potest: Institutio eorum, quae de ordine supernaturali scitu necessaria sunt ad theologiam addiscendam (cf. *Kleutgen*, *Theol. der Vorzeit* IV, n. 165 sqq.)<sup>1</sup>.

His ultimis temporibus inter quosdam catholicos, in Gallia maxime, opinio invaluit, apologeticam non „intellectualiter“ tractandam esse, sed potius „moraliter“. Nam cum permulti homines, kantianismo et positivismo infecti, non iam admittant possibilitatem demonstrationis existentiae Dei, spiritualitatis animae, aliarum rerum non pure experimentalium, incassum laborare eos, qui studeant argumentis et „criteriis obiectivis“ probare veritatem revelationis christianae. Satius esse ex ipso „subiecto“ procedere et ostendere esse in homine „moralem“ quandam exigentiam, cui satisfieri nequeat nisi per revelationem supernaturalem, christianam autem religionem omnino parem esse praestandis iis omnibus, sine quibus homo non sit homo sanus et integer. Et haec quidem opinio, si solum vult tradere methodum quandam disponendi animos hominum falsa philosophia infectorum ad recipiendam facilius religionem christianam, fortasse non plane spernenda est, dummodo ne conentur a priori probare necessitatem revelationis vere supernaturalis; hoc enim ex conceptu rei repugnat. At si volunt remove „apologeticam traditionalem“ et eius loco ponere subiectiva illa criteria,

<sup>1</sup> Apologetica hoc sensu intellecta est pars praeambula theologiae dogmaticae, non est explicatio artis vel methodi, qua infideles perducendi sint ad finem. Quae duae res a quibusdam male confunduntur. Cf. quae scripsi in libello „*Theologische Zeitfragen*“ I (Freiburg 1900) 69 sqq. De recentissimis quibusdam postulatis apologeticis agit H. Dieckmann, *Zeitschrift für kath. Theologie* 1922, 613 sqq.

omnino a vero aberrant. Christiana enim religio imprimis in eo est, ut homo ob auctoritatem Dei revelantis credat dogmata revelata. Hoc autem repugnat, quamdiu de facto revelationis divinae non certo constat. Itaque e medio sublatis vel in dubium vocatis factis illis „obiectivis“, quibus innititur fides supernaturalis, corruat necesse est tota religio christiana et simul cum ea tota theologia dogmatica. Itaque hoc fundamentum obiectivum, reale, intellectuale per nullam aliam apologeticam vel apologeticam removeri et suppleri potest<sup>1</sup>.

70. *De argumentis dogmaticis, quae in hoc tractatu occurrunt.* Quia apologeticae est animos praeparare ad addiscendam theologiam supernaturalem, ipsa notionem huius finis et conceptum ad eum pertinentium haurit quidem ex revelatione, et hoc sensu revelationem ducem habet, non vero ab initio utitur doctrinis revelatis ut argumentis, quibus probet propositiones suas; nam ipsa potius vult probare factum divinae revelationis eiusque credibilitatem et credentiam, qua probatione finita constat veritates revelatas *posse* et *debere* rationabiliter credi. Credit autem homo, non vi argumentorum adactus, sed gratia Dei adiutus, libero et firmo assensu propter auctoritatem Dei revelantis admittit veritates revelatas; et sic demum veritates creditae fiunt nobis principia argumentationis theologicae.

Aliud igitur est ab ecclesia accipere materiam, de qua agendum est, et discere finem quo, et viam qua procedendum est; et aliud est doctrinas revelatas sumere ut fontes argumentationis. Hoc alterum fit in theologia dogmatica, a qua apologetica facti revelationis omnino distinguitur probandi methodo.

De qua re monet summus pontifex *Pius IX*: „Humana quidem ratio . . . divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut

<sup>1</sup> *Pius X* „apologiam immanentiae“, prout a quibusdam explicabatur, encyclica „Pascendi dominici gregis“ die 8 sept. 1907 ut alienam a fide catholica notavit: „Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis immanentiae doctrinam ut doctrinam reiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitibus temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatius audiri. Nam qui integralistae appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. Sic igitur, venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus: methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem“ (Denz. n. 2103). — His verbis satis indicatur, quomodo argumenta psychologica servire possint ad commendandam religionem christianam, quomodo non possint. Varia systemata apologeticae immanentiae exposui et discussi in „Theol. Zeitfragen“ IV (Freiburg 1908), qui libellus italice editus est ab *Ubaldo Manucci*: *Fede, Dogmi, Fatti storici* (Roma 1909).

certo sibi constet Deum esse locutum. . . . Sed quam multa, quam mira, quam splendida sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem. . . . Itaque humana ratio, ex splendidissimis hisce aequae ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum eiusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta atque remota omne eidem fidei obsequium praebeat oportet“ (Denz. n. 1637 sqq.). Quibus verbis summus pontifex limites apologeticae circumscribit eosque a theologiae dogmaticae campo distinguit.

Neque vero multum refert, utrum quis dicat apologeticam, ut est pars aedificii theologici, esse disciplinam intermediam inter philosophiam et theologiam supernaturalem, an malit dicere eam esse theologiam reductive. Haec est potius diversitas in modo loquendi quam in re ipsa. Omnes enim fateantur oportet conceptus rerum supernaturalium, de quibus in apologetica agitur, non esse fructus speculationum philosophicarum, sed revelationis divinae et traditionis apostolicae; ex altera autem parte omnes concedere debent, ante stabilitam credibilitatem revelationis non licere apologetae ex fide argumentari.

Secundum *S. Thomam* theologiae supernaturali maxime proprium est argumentari ex auctoritate eorum, qui revelationem acceperunt. Hoc autem non est maxime proprium apologeticae. Utitur tamen, ut idem sanctus doctor ait, etiam theologia rationibus philosophicis, quia „oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei. . . . Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt. . . . Sed tamen sacra doctrina huiusmodi auctoritatibus philosophorum utitur quasi extraneis argumentis et probabilibus. Auctoritatibus autem canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate argumentando“ (1, q. 1, a. 8). Theologia igitur hic ita describitur, ut facile distinguatur ab apologetica, in quantum haec est introductio quaedam in theologiam supernaturalem. Ceterum de apologetica sic intellecta *S. Thomas* ideo non diserte loquitur, quia haec pars disciplinarum theologiarum ea aetate non existebat.

Facile intellegitur hunc tractatum a philosophico et historico genere ex natura rei transiturum esse in dogmaticum. Postquam enim probaverimus aliquid esse a Deo revelatum, ipsa ratione suadente id deinceps poterimus adhibere ad aliquid aliud inde concludendum, id quod est argumentum stricte theologicum.

Praeterea multa ex iis, quae apologetice probabimus, sunt etiam obiectum theologiae dogmaticae. Quia autem non potest eadem res commode bis tractari, prius apologetice, dein dogmatice, data occasione indicabitur, quid ipsa ecclesia de his quaestionibus apologeticis doceat, non ut inde novum argumentum petamus, antequam auctoritatem ecclesiae stabiliverimus, sed tum ut fontes ostendantur, qui adeundi sint, si forte eadem res dogmatice tractanda sit, tum quia ratio postulat, ut audiantur in qualibet disciplina ii, qui bene versati sunt in ea. Ita

ea, quae hucusque diximus, confirmare possumus auctoritate eorum, qui de hac re scripserunt, et auctoritate ecclesiastica, qua contra traditionalistas statutum est fidem non esse postulandam, nisi antea existentia et veracitas Dei et factum revelationis probata sint (*Denz.* n. 1622 sqq.; cf. n. 1651). Idem definitum est a concilio vaticano sess. 3, c. 3 (*Denz.* n. 1790).

71. Si quaeris, qui hanc disciplinam apologeticam excoluerint, nullos invenies nisi ex ultimis saeculis, id quod nullatenus mirum videri debet (cf. *A. v. Schmid*, *Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie*, Freiburg 1900, 12 sqq.). Primis enim saeculis facta, quibus nititur religio christiana, quodammodo ante omnium oculos erant et vix a quoquam negabantur ideoque argumentis probanda non erant. Obiectiones autem, quae tunc contra religionem christianam fiebant, pleraeque erant calumniae, quibus christiani vel rebellionis vel malarum doctrinarum accusabantur. Quas obiectiones christiani refutabant proponendo veram doctrinam suam. Id praestiterunt ii inter Patres ecclesiae, qui vocantur apologetae, ut *Iustinus Martyr*, *Aristides*, *Athenagoras*, *Tatianus*, *Theophilus Antiochenus*, similiter *Minucius Felix*, *Tertullianus*, *Cyprianus*. Divulgata iam magis religione christiana philosophi gentiles argumentis philosophicis doctrinam revelatam aggrediebantur, ut *Celsus* et *Iulianus Apostata*, contra quos scripserunt *Origenes*, *Eusebius Pamphili*, *Athanasius*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Augustinus*.

Temporibus medii aevi christiana religio defendenda erat contra errores iudeorum et mohammedanorum. Contra priores e. g. scripserunt *Isidorus Hispalensis* et *Rabanus Maurus*, contra posteriores *S. Thomas* (De veritate fidei contra gentiles), contra utrosque *Raymundus Martini* (Pugio fidei adversus mauros et iudaeos). Neque vero ullus horum librorum respondet nostrae disciplinae apologeticae; nam contra iudaeos sola fere agebatur quaestio, utrum Christus esset Messias; contra mohammedanos vero demonstrandum erat dogmata christiana non pugnare cum sana ratione. Inimici enim religionis christianae ea aetate non directe principia fidei impugnabant, sed potius falsa philosophia freti singula dogmata aggrediebantur. Itaque tunc falsae speculationes veris speculationibus superandae erant.

Haec autem rerum condicio mutata est inde a saeculo XVI. Haeresiarchae enim illius aetatis auctoritatem ecclesiae, conciliorum, summorum pontificum negabant et suam interpretationem S. Scripturae unicam fere normam veritatis theologicae statuebant. Ideo omnes quaestiones, quae pertinent ad tractatum de vera ecclesia Christi, a theologis polemicis diligenter tractabantur; id quod imprimis a *Bellarmino* factum est praeclaro opere „*Controversiarum*“. Cum dein saeculis XVII et XVIII deismus et naturalismus magis magisque valere coepissent et factum revelationis et authentia sacrorum librorum in dubium vocarentur, haec prima principia religionis christianae defendenda erant, id quod inter

alios praestitit *Huëtius* libro, quem inscripsit „*Demonstratio evangelica*“. Ob eandem rationem inde a saeculo XVIII solebant theologo ante theologiam dogmaticam praemittere tractatus de vera religione, de ecclesia Christi, de locis theologicis. Ita theologo *wirceburgenses* et alii. Sed usque ad nostra tempora finis apologeticus in huiusmodi libris semper fere primarius habebatur, quamvis sine dubio in organismo disciplinarum theologiarum primarius finis sit propaedeuticus. Ex iis, qui nostris temporibus de hac re scripserunt, nonnullos nominasse sufficiat: *Liebermann* (Institutiones theologicae tom. I et II), *Berlage* (*Apologetik der Kirche*), *Drey* (*Apologetik*), *Schwetz* (*Theologia fundamentalis*), *Reinerting* (*Theologia fundamentalis*), *Jungmann* (*Tractatus de vera religione*), *Murray* (*De ecclesia Christi*), *Perrone* (*Praelectiones theologicae*), *Mazzella* (*De religione et ecclesia*), *Sprinzel* (*Handbuch der Fundamentaltheologie*), *Hettinger-Weber* (*Lehrbuch der Fundamentaltheologie*), *Zigliara* (*Propaedeutica ad sacram theologiam*), *Schanz* (*Apologie*), *De Groot* (*Summa apologetica de ecclesia*), *Egger* (*Enchiridion theologiae dogmaticae generalis*), *Ottiger* (*Theologia fundamentalis*), *Wilmers* (*De religione revelata; De ecclesia Christi*), *Gutberlet* (*Lehrbuch der Apologetik*), *Al. v. Schmid* (*Apologetik als spekulative Grundlegung der Theologie*), *Schell* (*Apologie des Christentums*), *Caesar Manzoni* (*De religione, de ecclesia, de fontibus revelationis*), *Sanctus Schiffini* (*De vera religione*). Nostro saeculo specialia opera apologetica ediderunt: *J. Ottiger* (*Theologia fundamentalis II*, Friburgi Br. 1911; prior tomus 1897), *A. Straub* (*De ecclesia Christi*, Oeniponte 1912), *J. V. Bainvel* (*De vera religione et apologetica*, Parisiis 1914), *J. Mausbach* (*Grundzüge der katholischen Apologetik*, Münster i. W. 1916), *J. Muncunill* (*De vera religione, de ecclesia Christi, de locis theologicis*, Barcinone 1908 1914 1916), *H. Felder* (*Apologetica*, Paderbornae 1920), *M. d'Herbigny* (*Theologia de ecclesia*, Parisiis 1920 1921), *R. Garrigou-Lagrange* (*Theologia fundamentalis secundum S. Thomae doctrinam, Pars apologetica, de revelatione*, ed. 2, Romae-Parisiis 1921), alii. Cf. *Ottiger* l. c. I, 24 sqq.

PARS PRIMA.  
DE CHRISTO LEGATO DIVINO.

SECTIO I.  
DE FONTIBUS HISTORIAE IESU CHRISTI.

ART. I.  
DE GENUINITATE EVANGELIORUM.

72. Quando ad factum praeteritorum saeculorum probandum documenta scripta afferuntur, ante omnia de genuinitate horum scriptorum constare debet. Unde imprimis nobis de genuinitate quattuor evangeliorum agendum est. Genuinitas autem, ut nomen ipsum indicat, in eo consistit, quod *scripta sunt eius auctoris, cuius nomen prae se ferunt, seu eius aetatis, cui attribuuntur*. Graeco nomine authentia vocari solet, quae interdum confunditur cum authenticitate, sed melius ab ea distinguitur. Est enim authenticitas ea proprietas alicuius scripti, vi cuius aptum est ad faciendam fidem iis in rebus, ad quas probandas assumitur. Ad hoc autem praeter genuinitatem etiam requiritur, ut auctor scripti possit et velit dicere verum.

73. Potest praeterea accidere, ut scriptum, quod profertur, non sit ipsum autographum scriptoris, sed *apographum* aliquod vel *versio*. Quod si fit, quaestio oritur de conformitate apographorum vel versionum cum textu originali, quae conformitas si adest, apographa vel versiones eiusdem sunt auctoritatis atque autographum scriptoris. Iam ubi de dignitate pure *scientifica* alicuius scripti agitur, plus postulari non potest quam genuinitas autographi et conformitas apographi. At non raro, ubi agitur de authenticitate *iuridica* alicuius scripti, certum tantum apographum vel certa versio exclusis aliis, licet etiam conformibus, ad probandum admittitur. Hoc saepe fit in litibus forensibus, et suo modo valet etiam de versionibus sacrorum librorum, quarum nulla coram tribunali ecclesiastico eandem auctoritatem habet quam versiones Septuaginta et Vulgata.

74. Sed nos hoc loco *non inquirimus in authenticitatem iuridicam* sacrorum librorum, quia volumus scire, non quid ecclesia de sacris libris sentiat, sed quomodo iis ad historicam argumentationem uti

possimus. Similiter nobis inquirendum non est in varias versiones et varia apographa evangeliorum; quamvis enim in his adsint multae lectiones variantes, nulla earum est, qua ullum factum historicum, de quo hic agitur, in dubium vocetur aut quomodocumque afficiatur. Inter omnes versiones, scripta, editiones, quod ad substantiam rerum attinet, perfecta harmonia viget, ut inspicienti editiones criticas statim apparet; quare ad nostrum finem prorsus indifferens est, quis textus, quae lectiones variantes, quae versiones adhibeantur. Itaque unica quaestio hic investiganda haec est, *utrum evangelia vere conscripta sint ab iis, quibus attribuuntur*, i. e. a Matthaeo et Ioanne ut a testibus immediatis eorum, quae narrant, et a Marco et Luca ut a testibus, qui res a se narratas ab immediatis testibus audierint. Interim vero consideramus hos libros non ut inspiratos et sacros, sed simpliciter ut libros historicos, quibus neque maior neque minor fides habenda est quam aliis libris historicis. Quare quaestio de canonicitate librorum, utrum scilicet hi vel illi libri semper fuerint recepti in canonem sacrorum librorum, ad nos directe non pertinet, quamvis indirecte eatenus nostram inquisitionem tangat, quatenus multi libri a canone sunt exclusi, quia non erant genuini, nullique admissi sunt in canonem, nisi qui genuini habebantur. Ideo saepe eadem argumenta valent ad utramque quaestionem solvendam.

75. *Quaestio de genuinitate alicuius libri est quaestio historica, quae non subiectivis praeiudiciis, sed argumentis historicis diiudicanda est.* Subiectiva norma ad diiudicandam genuinitatem sacrorum librorum utebantur communiter haeretici, reicientes ut suppositicia, quae cum erroribus eorum pugnabant. Huic normae statuendae *Lutherus* suis asseclis ansam dedit in praefatione ad secundam editionem versionis germanicae S. Scripturae (a. 1523 et 1524), ubi epistolam S. Iacobi ut ineptam reicit, quia non concordat cum doctrina de sola fide, ideoque eam vocat „stramineam“<sup>1</sup> et consentit iis, qui dicunt „hanc epistolam non esse apostoli Iacobi nec apostolico spiritu dignam, licet consuetudine auctoritatem, cuiuscumque sit, obtinuerit“ (De captiv. babilon. Sacram. extr. unct.). Similis est procedendi modus modernorum „criticorum“ infidelium, qui dicunt Scripturam non posse esse genuinam, quod narret miracula, cum miracula fieri nequeant<sup>2</sup>. Haec est prin-

<sup>1</sup> „Darum ist St. Jakobs Epistel eine recht stroherne Epistel gegen sie [die Episteln Pauli, Petri etc.], denn sie doch keine evangelische Art an ihr hat.“

<sup>2</sup> Ita *David Friedrich Strauß*: „Es gibt überhaupt kein rein historisches Bewußtsein ohne die Einsicht in die Unzerreißbarkeit der Kette endlicher Ursachen und in die Unmöglichkeit des Wunders. . . . Die neuere Zeit hat einer durch Jahrhunderte fortgesetzten Reihe der mühsamsten Forschungen die Einsicht zu danken, daß alles in der Welt durch eine Kette von Ursachen und Wirkungen zusammenhängt, welche keine Unterbrechung duldet. . . . Von diesem Standpunkte aus, welcher in Natur und Geschichte ein festes Gewebe endlicher Ursachen und Wirkungen erblickt, konnten die biblischen Erzählungen, in welchen dieses Gewebe auf unzähligen



cipalis ratio, ob quam hi „critici“ negent genuinitatem evangeliorum; alia argumenta, quae afferunt, eo solo fine conquiruntur, ut hanc levitatem quodam scientiae velamine honeste tegant. Impossibilitatem miraculorum probare vix et ne vix quidem conantur, sed ut per se evidentem supponunt, quemadmodum *Renan* diserte fatetur. Si interdum argumenta proferunt, non sunt seria argumenta, sed cavillationes, quarum solutiones in quolibet compendio philosophiae scholasticae inveniuntur. Itaque in evangelia inquirendum est sicut in alia documenta historica, et si pro eorum genuinitate criteria historica exstant, quae pro omni alio documento sufficiunt, etiam hic sufficere debent. Non quidem negamus valorem criteriorum interiorum, sed negamus haec in inquisitione historica primum locum obtinere, et negamus talia criteria esse opiniones, quas pro suo quisque libitu sibi fingit. Quousque veniremus, si talia criteria admitteremus, ostendit exemplum *Strausii*; ipse enim bene intellexerat Deum confiteri et ei velle interdiceri, ne unquam hominibus sese revelaret, nequaquam cohaerere; unde usque ad apertum atheismum progressus est<sup>1</sup>. Hinc si ipsi credimus, de factis historicis nemo sine praeiudiciis sentire potest, nisi qui Deum esse negaverit. Revera Deum et providentiam divinam agnoscere et ex altera parte possibilitatem miraculorum et veritatem historicam eorum factorum negare velle, quibus nititur christiana religio, aperta est contradictio. Ideo plus vel minus omnes, qui genuinitatem evangeliorum negant, sunt ii, qui aut diserte atheismum profitentur aut nomen quidem Dei retinent, sed conceptum plane pervertunt.

76. Quaedam hic ex philosophia in memoriam revocanda sunt. Evidens imprimis est *argumenta historica non posse effici eadem ratione*

Punkten durch Einschreitungen der göttlichen Ursächlichkeit durchlöchert ist, unmöglich als Geschichte erscheinen“ (Das Leben Jesu, kritisch bearbeitet<sup>3</sup>, Tübingen 1838, 86 94 sq.). Hoc est, quod vocat esse sine praeiudiciis: „Voraussetzungslosigkeit“ (ib. p. ix). Item *Ernest. Renan*: „Si le miracle et l'inspiration de certains livres sont choses réelles, notre méthode est détestable. Si le miracle et l'inspiration des livres sont des croyances sans réalité, notre méthode est la bonne. Or, la question du surnaturel est pour nous tranchée avec une entière certitude par cette seule raison qu'il n'y a pas lieu de croire à une chose dont le monde n'offre aucune trace expérimentale. Nous ne croyons pas au miracle, comme nous ne croyons pas aux revenants, au diable, à la sorcellerie, à l'astrologie“ (Vie de Jésus<sup>19</sup>, Paris 1879, ix). Nuper *A. Harnack* (qui tamen de origine evangeliorum non consentit cum *Strauß* et *Renan*) scripsit: „Vor einigen Wochen bemerkte mir ein holländischer Theologe: Wer den Rahmen, in welchem die Tradition die altchristlichen Urkunden angesetzt hat, anerkennt, verzichtet darauf, eine natürliche Geschichte des Urchristentums zu zeichnen, und ist gezwungen, an eine supranaturale zu glauben. Das wäre freilich, wenn unter ‚supranatural‘ eine Geschichte verstanden werden soll, die wie eine Heiligenlegende oder wie eine Fabel verläuft, ein tödliches Argument“ (Die Chronologie der altchristlichen Literatur, Leipzig 1897, x).

<sup>1</sup> „Seit er (Gott) so alle Attribute persönlichen Seins und Waltens verloren hat, wie könnten wir uns Gott noch persönlich denken?“ (Der alte und der neue Glaube<sup>8</sup>, Bonn 1875, 110.)

*qua argumenta metaphysica*. Nam cum in his ex uno certo principio alia syllogistice deducantur, in quaestionibus historicis saepe multa indicia colligenda sunt, quorum vis probandi non est in singulis per se solis, sed in omnibus simul sumptis. Hoc enim est de natura *argumenti moralis*, quale est historicum, ut tot facta colligenda sint, quot requiruntur ad constituendam illam certitudinem, quae ex legibus moralibus excludit prudentem dubitationem. Ita singuli testes per se possunt falli et fallere, sed suppositis supponendis certa multitudo testium excludit periculum erroris.

Praeterea aliud est *rationabilis dubitatio* de valore argumentorum, aliud est *difficultas*, quae forte facto firmiter stabilito explicanda remanet. Quamdiu rationabilis dubitatio de ipsis argumentis non sufficienter excluditur, res non est certa; sed si in re certa aliquid apparet, quod difficile sit, immo a nobis explicari nequeat, non ideo certitudo tollitur. In ipsis etiam rebus physicis multa facta sunt certa, quamvis explicatio factorum difficultatibus non solutis sit obnoxia. Numquid ideo vita neganda est, quia eius origo explicari nequit? Ita persaepe in rebus historicis inde difficultates oriuntur, quod non omnia et singula facta nota sunt; at stultum est velle propterea etiam ea, quae nota sunt, in dubium vocare. Saepe autem „critici“ ita se gerunt, quasi proponendo aliquas difficultates argumenta certa everterint; neque cogitant, quanto plures et maiores difficultates contra ipsorum hypotheses obstant. Sane si genuinitas evangeliorum propter tales difficultates dubia fit, omnes hypotheses „criticae“ hactenus inventae a fortiori omni solido fundamento carent; neque enim bona illa voluntas, quam quaelibet inquisitio historica postulat, comparari potest cum ingenti credulitate, quam „critici“ pro suis hypothesis postulant.

**Prop. I. Quattuor evangelia secundum Matthaeum, Marcum Lucam, Ioannem genuina agnovit antiquitas christiana.**

77. *Evangelia vocantur quattuor libri, quibus facta et dicta Iesu Christi narrantur, et quorum scriptores esse dicuntur duo apostoli, Matthaeus et Ioannes, et duo discipuli apostolorum, Marcus et Lucas*. Marci tantum liber hunc titulum prae se fert: „Initium evangelii Iesu Christi, Filii Dei.“ Vocabulum evangelii (evangelizationis, evangelizandi) iam invenitur in versione Septuaginta Veteris Testamenti (e. g. 2 Reg. 4, 10; 18, 20 22 25 27. 4 Reg. 7, 9. Is. 40, 9; 61, 1 etc.) et inde in Novum Testamentum transiit (e. g. Luc. 4, 18 sqq. etc.)<sup>1</sup>. Ex etymo significat „bonum nuntium“, qui bonus nuntius ex mente sacrorum scriptorum est annuntiatio salutis messianicae. Neque igitur evangelium idem est atque biographia Iesu Christi (cf. Luc. 16, 16. Matth. 24, 14. Marc. 8, 35), cum ne propositum quidem esset evangelistis

<sup>1</sup> Est tamen haec differentia, quod eo sensu, quo in Novo Testamento dicitur εὐαγγέλιον, in Septuaginta dicitur εὐαγγελία, εὐαγγέλιον vero significat nuntii praemium.

omnia narrare, quae de vita Christi scirent (cf. Io. 20, 30; 21, 25). Potius voluerunt brevem conspectum dare eorum, quae de salute messianica scitu necessaria sunt. Libri igitur sunt dogmatici, sed argumenta, quibus dogmata proponuntur, ex historia desumpta sunt. Haec est ratio, cur libri illi antiquitus non vocati sint evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, sed Iesu Christi evangelium secundum Matthaëum, Marcum, Lucam, Ioannem, quia hi libri non continent bonum nuntium Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, sed bonum nuntium Iesu Christi certo modo propositum a Matthaëo, Marco, Luca, Ioanne. Ab initio nomen evangelii non significabat scriptum librum (ne Marc. 1, 1 quidem), sed praedicationem salutis messianicae (Rom. 1, 1 9 16 etc.). Postquam autem haec praedicatio litteris consignata est, hi quoque libri prius solebant dici evangelium numero singulari, et paulatim evangelia numero plurali vocari coepti sunt. *S. Iustinus M.* semel hos libros appellat evangelia (Apol. I. n. 66; *M.* 6, 429), saepius evangelium (Dial. c. Tryph. n. 10 100; De resurr. n. 10; *M.* 6, 496 709 1589). *S. Augustinus*, monet potius loquendum de „quattuor libris unius evangelii“ quam de „quattuor evangeliiis“ (In Io. tr. 36, n. 1; *M.* 35, 1662). Cum his consentit dictum Irenaei: Τετράμορφον τὸ εὐαγγέλιον (Adv. haer. l. 3, c. 11; *M.* 7, 889). Cf. *Origenes*, In Io. tr. 1, n. 7 sqq.; *M.* 14, 31 sqq.

78. Fuerunt quidem praeter hos quattuor alii libri satis multi, qui eandem materiam simili ratione tractabant; sed hi omnes aut perierunt aut ut apocryphi reiecti sunt. Eos obiter tantum respiciemus, quatenus ratione reiectionis eorum auctoritas evangeliorum eo magis patebit. Ceterum sufficet nobis ostendisse quattuor evangelia esse fontes fide dignos, quia nihil noceret, etiamsi alii fontes fideles existerent.

In proponendo argumento non incipiemus a primis scriptis post aetatem evangelistarum confectis, in quibus citationes quaedam tacitae ex evangeliiis leguntur, sed audiemus prius scriptores illos, qui diserte testantur de quattuor nostris evangeliiis. Citationes enim tacitae per se solae non sunt argumentum efficax; nam dicta et facta Christi per multos annos ore tantum tradebantur, antequam scripto consignarentur. Unde etiam multa agrapha apud christianos scriptores leguntur, quae non ideo reicienda sunt, quia non sunt in evangeliiis scripta. Maxime antiquis temporibus, quando legendi scribendique ars et librorum copia rarior erat, multo magis memoriae quam scriptis fidebant homines, ut integra litterarum monumenta per saecula sola orali traditione servata sint (*Edda, Sagas, Folklore*). Ergo ex eo, quod a scriptoribus christianis antiquis quaedam eodem vel simili modo traduntur, quo in evangeliiis leguntur, non statim colligitur eos ex hoc scripto fonte hausisse. At si constat fuisse scriptos libros, ex quibus scriptores christiani dicta et facta Christi depromebant, recte etiam tacitae citationes ad hos fontes reducuntur. E. g. quod *Iustinus* de Christo scribit:

„Cum spiritum in cruce redderet, dixit: πᾶτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθειαι τὸ πνεῦμά μου“ (Dial. n. 105; *M.* 6, 721), non certo sciremus, utrum ex traditione an ex evangeliiis haberet, nisi adderet: „Ut ex apostolorum commentariis id quoque didici.“ Ergo ut certi simus illos antiquos scriptores ex nostris quattuor evangeliiis hausisse, prius probamus haec scripta evangelia iam primo saeculo exstitisse et scriptoribus christianis fontes doctrinae fuisse (cf. *J. Schäfer*, Die Evangelien und die Evangelienkritik<sup>2</sup>, Freiburg 1911).

79. Ultimum ex quattuor evangeliiis saltem non multo ante finem saeculi I scriptum esse inter omnes convenit, immo quidam sunt, qui posteriori tempore adscribunt. Iamvero certum est circa annum 150 nostra quattuor evangelia in omnibus totius orbis ecclesiis christianis genuina agnita esse. Ergo inter compositionem ultimi evangelii et universalem et publicam agnitionem quattuor evangeliorum in oriente et occidente spatium tantum dimidii saeculi, immo minus, interiacet. Quae testificatio universalis et deinceps per omnia saecula constanter, serie testium numquam interrupta, continuata tam splendida est, quam numquam ulli libro profano contigit. Neque enim hic agitur de opinione huius vel illius hominis privati, sed de testimonio, quod reddit tota ecclesia. Prorsus autem intellegi nequit, quomodo omnes christiani variarum nationum et linguarum, habitantes in regionibus maxime disitis, potuerint in unum errorem conspirare erroremque tanta efficacia per omnia saecula conservare circa rem, cuius veram notitiam habere omnium summopere intererat. Nisi haec probatio genuinitatis sufficiens censenda est, iam de omni testimonio historico desperemus oportet. Audiamus prius illos testes, qui de omnibus quattuor evangeliiis simul testantur.

80. *Argumenta.* Circa annum 150 Marcion haereticus (qui ab ecclesia defecerat a. 144) ad errores suos commendandos evangelium Lucae corruerat et ex eo novum evangelium composuerat. Contra quem scribens *Tertullianus* provocat ad auctoritatem ecclesiarum apostolicarum, quae omnes ante Marcionem nostra evangelia receperint, Marcionis vero scriptum vel ignoraverint vel respuerint. „Ego meum [evangelium] dico verum, Marcion suum; ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, et ei praeiudicans vitationem, quod posterius revincetur. . . . In summa si constat id verius, quod prius, id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab apostolis; pariter utique constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. . . . Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur; Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum, ut non eo damnatum. Habet

plane et illud ecclesias, sed suas, tam posteras quam adulteras; quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias quam apostolicum, Marcione scilicet conditore vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et marcionitae. Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrociniabitur evangeliiis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico atque Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpret Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent" (Adv. Marc. 4, 4 5; *M* 2, 365 sqq.). „Nobis fidem ex apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant" (ib. 4, 2; *M* 2, 363). „Sed enim Marcion . . . conititur ad destruendum statum eorum evangeliorum, quae propria et sub apostolorum nomine eduntur, vel etiam apostolicorum, ut scilicet fidem, quam illis adimit, suo conferat" (ib. 4, 3; *M* 2, 364). Hoc argumento Tertullianus tam fidenter usus non esset (cf. Praesc. 36 et 38; *M* 2, 49 et 51), nisi ubique quattuor evangelia iam ante Marcionem ut unice genuina recepta fuissent. Iam si eo tempore traditio erat tam antiqua et universalis, multo ante medium saeculum II omnia et sola quattuor nostra evangelia iam ubique recepta erant, quia receptio tam universalis neque uno die neque omnino subito fieri potest (cf. infra n. 109).

*Harnack* ait: Cum Marcion pugnet contra quattuor evangelia, „haec ut collectio autoritativa iam tum existebant" (Marcion: Das Evangelium vom fremden Gott, Leipzig 1921, 73). Nihilominus contendit Marcionem habendum esse „creatorem S. Scripturae christianae" (189). Marcion enim e libris sacris, qui inter christianos de vita et doctrina Christi circumferebantur, elegit unum evangelium et decem epistulas paulinas, quae scripta violento modo castigata asseclis suis tradidit ut verum evangelium boni Dei, plane reiecta tota Scriptura Veteris Testamenti pertinentis ad alium deum, mundi opificem et legiferum iudeorum. Hoc suo facto Marcion creavit Novum Testamentum scriptum suae ecclesiae, et simul compulit ipsam ecclesiam catholicam, quae usque ad id tempus talem Scripturam non habebat, ad eam acceptandam (68).

Haec est immodica exaggeratio et constructio a factis historicis aliena. Ante Marcionem quattuor evangelia iam habebant firmam auctoritatem, eamque non minorem quam libri Veteris Testamenti, ut patet ex modo, quo S. Iustinus et alii iis utuntur. Nisi talem auctoritatem habuissent, non erat cur Marcion tam rudi audacia eam impugnet; neque intellegitur, cur opus Marcionis ab ecclesia catholica sine ulla haesitatione statim ut immane facinus reiectum sit.

Ceterum Marcion scripturam suam non evulgavit ut immutabilem canonem, sed teste Tertulliano (Contra Marc. 4, 5; *M* 2, 367) eius discipuli constanter multas mutationes in ea fecerunt, ut ipse *Harnack* ait (39 sq.). E contra, in ecclesia catholica iam ante Marcionem initia formationis canonis aderant, qui canon ex natura rei paulatim tantum

perfici et finiri poterat, quia complectitur libros, qui variis locis et occasionibus scripti neque statim in universam ecclesiam divulgati erant ut libri canonici. Neque quando Marcion suam scripturam edidit, ecclesia quam citissime canonem sacrorum librorum confecit, sed simpliciter opus Marcionis damnavit, quaestionem vero de canone habere convenientem progressum permisit. Primum catalogum sacrorum librorum ecclesiae romanae habemus ex anno 382 (*Denz.* n. 84). Ergo impulsus Marcionis serum effectum habuit. Ceterum vera historia canonis traditur in Introductionibus in S. Scripturam.

Marcionis opus, ut necesse erat, mox periit, quia erat monstrum quoddam litterarium, principio vitali carens (cf. Theologische Revue 1915, 164 sq.). Fragmenta, quae a scriptoribus ecclesiasticis servata sunt, varii collegerunt, ut *Th. Zahn*, Geschichte des neutestamentlichen Kanons II 409 sqq., et *Harnack* 39\* sqq.

Ecclesia catholica, fideliter insistens traditioni apostolicae, nobis servavit genuina evangelia et ceteros libros Novi Testamenti; et ea imposterum servabit cum libris Veteris Testamenti.

*Harnack* studet imponere communitatibus protestanticis obligationem resumendi et perficiendi opus Marcionis et aperte declarandi Vetus Testamentum non esse librum canonicum christianorum ullo vero sensu, solum Novum Testamentum retinendum esse ut canonem ecclesiasticum, non quod sit inspiratum, sed „quia melior collectio documentorum ad determinanda ea quae christiana sunt, haberi nequit; ad hunc canonem Vetus Testamentum non pertinet; nam quid christianum sit, ex eo colligi nequit" (249 sq. 254). Sic instillat protestantismo, iam tot morbis afflicto, germina illius tabis, qua Marcionis opus periit. Ecclesia catholica, sicut antiquo Marcioni suo restitit, ita recenti resistet et thesaurum caelitus nobis allatum fideliter custodiet.

81. Ante Tertullianum alius testis insignis non minus definite loquitur, *S. Irenaeus*, episcopus lugdunensis, qui secundum alios anno 115, secundum alios probabilius circa annum 140 natus, sub Eleuthero papa (175—189) magnum opus quinque libris adversus haereses scripsit<sup>1</sup>, in quo luculentum testimonium reddit de quattuor evangeliiis. Ab initio libri tertii dicit se contra haereticos eam defendere fidem, „quam ab apostolis ecclesia percepit et distribuit filiis suis" (Praef. l. 3; *M* 7, 843). „Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praekonaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. . . . Ita

<sup>1</sup> Cf. *J. Hoh*, Die Lehre des hl. Irenäus über das Neue Testament (Münster i. W. 1919); *Zahn*, Gesch. des neutestamentl. Kanons I 13 23. Secundum *Harnack* Irenaeus opus suum scripsit inter a. 181 et 189 (Chronol. der altchr. Lit. 320). *Bardenheuer* censet Irenaeum natum esse a. 140, opus eius per intervalla scriptum esse, tempus exactius definiri non posse (Gesch. der altkirchl. Lit. I<sup>2</sup>, 399 sqq.).

Matthaeus in hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent ecclesiam. Post vero horum excessum<sup>1</sup> Marcus, discipulus et interpret Petri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Ioannes, discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans" (ib. 3, 1, 1 sq.; M 7, 844 sq. Cf. *Euseb.*, H. E. 5, 8; M 20, 450). „Tanta est autem circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant iis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam [nominat ebioneos, Marcionem, Valentinum]. Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio. Neque autem plura numero quam haec sunt neque rursus pauciora capit esse evangelia. Quoniam enim quattuor regiones mundi sunt, in quo sumus, et quattuor principales spiritus, et disseminata est ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum ecclesiae est evangelium et spiritus vitae, consequens est quattuor habere eam columnas undique flantes incorruptibilitatem et vivificantes homines.“ Dein explicat symbola evangelistarum et ita concludit: „His igitur sic se habentibus vani omnes et indocti et insuper audaces, qui frustrantur speciem evangelii et vel plures, quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas evangelii, quidam, ut plus videantur, quam est veritatis, adinvenisse, quidam vero, ut reproberent dispositiones Dei“ (ib. 3, 11, 7 8 9; M 7, 884 sq.). De symbolis evangeliorum cf. *Hoh* I. c. 18 sqq.

82. Ut *vis huius testimonii* intellegatur, in memoriam revocandum est, quantopere Irenaeus ex una parte insistat traditioni apostolicae, ut nihil velit admittere, quod ea non nitatur, et quam arta sit ex altera parte eius necessitudo cum viris, qui ipsi immediati apostolorum discipuli fuerunt: „Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus adnumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his [marcionitis et valentinianis] deliratur“ (ib. 3, 3, 1; M 7, 848). Ostendit successionem apostolicam in ecclesia romana: „Ad hanc enim ecclesiam propter potentior[em] [al. potior[em]] principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio“ (ib. n. 2). Tum provocat ad Polycarpum: „Et Polycarpus autem non solum ab apostolis edoctus et conversatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia in ea, quae est Smyrnis, ecclesia

<sup>1</sup> Alii legunt: Μετά τούτου τοῦ κατὰ Ματθαίου εὐαγγελίου τὴν ἔκδοσιν (M 7, 845, nota 41; cf. M 20, 449, nota 60). Cf. de hoc loco *J. Hoh* I. c. 8 sqq.

constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate; multum enim perseveravit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita; haec docuit semper, quae ab apostolis didicerat, quae et ecclesiae tradidit et sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quae sunt in Asia ecclesiae omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo, qui vir multo maioris auctoritatis et fidelior veritatis est testis quam Valentinus et Marcion et reliqui, qui sunt perversae sententiae“ (ib. 3, 3, 4; M 7, 851 sq.).

In epistula vero ad Florinum de quibusdam falsis dogmatis ait: „Haec dogmata hi, qui ante nos exstiterunt presbyteri, quique apostolorum discipuli fuere, minime tibi tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, cum in imperatoria aula splendide ageres et illi te probare conareris. Nam ea, quae tunc gesta sunt, melius memoria teneo, quam quae nuper acciderunt... adeo ut et locum dicere possim, in quo sedens beatus Polycarpus disserebat, processus quoque eius et ingressus vitaeque modum et corporis speciem, sermones denique, quos ad multitudinem habebat, et familiarem consuetudinem, quae illi cum Ioanne ac reliquis, qui Dominum viderant, intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat, quaeque de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam ac de doctrina, quae ab iis, qui Verbum vitae ipsi conspexerant, acceperat Polycarpus, qualiter referebat, cuncta Scripturis consona. Haec iam tunc temporis per Dei clementiam, quae mihi obtigit, studiose audiebam, non in charta sed in corde meo ea consignans, et semper per Dei gratiam exacte ea mente revolveo. Atque in conspectu Dei contestari possum beatum illum et apostolicum presbyterum, si tale quid audivisset, exclamaturum sane ac obturatis auribus suis pro more dicturum fuisse: Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem! atque ex loco ipso effugiturum, in quo sedens vel stans eiusmodi sermones audivisset“ (*Irenaei Opera* ed. Stieren, Lipsiae 1858, 822 sq.; M 7, 1227. Cf. *Euseb.*, H. E. 5, 20; M 20, 483 sq.). Hic igitur habemus exemplum traditionis, quae usque ad ipsa apostolorum tempora ascendat et contra haereticos omnia et sola quattuor evangelia genuina esse asserat. De relatione Irenaei ad Polycarpum agit *Gutjahr* in opere, quod infra (n. 87 in fine) citatur, p. 125 sqq.

Discipulus S. Irenaei fuit *Hippolytus*, qui „quadripartitum evangelium“ et „apostolos“ ut libros Novi Testamenti saepe allegat eisque non minus quam libris Veteris Testamenti dignitatem „Sacrae Scripturae“ attribuit (cf. *Bonwetsch*, Studien zu den Kommentaren Hippolyts, Leipzig 1897, 19 sqq.).

83. Addamus his testimonium ecclesiae alexandrinae, cuius maximum decus est *Origenes* (185—254), qui dicit se ex (vetere) traditione accepisse de quattuor evangeliiis, „quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur“ (In Matth. tom. 1;

M 13, 829. Cf. *Euseb.*, H. E. 6, 25; M 20, 581). „Quattuor tantum evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata“ (In Luc. hom. 1; M 13, 1803). „Sacerdotali tuba primus in evangelio suo Matthaeus increpuit; Marcus quoque, Lucas et Ioannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt“ (In lib. Iesu Nave hom. 7, n. 1; M 12, 857; cf. 13, 1801).

84. Ante Origenem *Clemens Alexandrinus* († circa 217) inde fere ab a. 180 Alexandriae docuit. Hic Cassiano haeretico, qui verba quaedam ut a Christo dicta attulerat, inter alia respondet: „Primum quidem in nobis traditis quattuor evangelii non habemus hoc dictum“ (Strom. 3, 13; M 8, 1194). Alio loco, quem postea (n. 121 125) allegabimus (cf. *Euseb.*, H. E. 6, 14; M 20, 551), exponit, quo ordine quattuor evangelia orta sint secundum „traditionem quandam, quam a vetustioribus presbyteris acceperit“. Immo, ut Eusebius ibidem ait, breves commentarios in omnes libros Scripturae edidit. Saepe provocat ad dicta evangeliorum ut ad auctoritatem, contra quam nulla exceptio valeat. Plerumque quidem sola verba affert, non addito nomine evangelistae; interdum vero nomen addit, ut e. g.: „In evangelio secundum Matthaeum, quae ab Abraham deducitur genealogia, usque ad Mariam matrem Domini terminatur. Sunt enim, inquit, ab Abraham usque ad David quattuordecim generationes“ (Strom. 1, 21; M 8, 890).

85. Ex ecclesia romana provenisse videtur fragmentum, quod Muratori Mediolani in bibliotheca ambrosiana invenit et „Antiquitatibus italicis medii aevi“ (III 854) inseruit; unde *fragmentum muratorianum* vocatur. Est catalogus librorum, quos ecclesia romana saeculo II aut ut inspiratos recipiebat aut ut haereticos vel spurios reiciebat. Scriptor inter alia ait: „Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Hermas conscripsit, sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo, fratre eius.“ Pius sedit ab a. 142 usque ad a. 157. Ex his et aliis indiciis satis certum est scriptum confectum esse ante a. 200. Originalis textus videtur fuisse graecus; latina autem versio, quam solam habemus, scribarum ignorantia vel neglegentia miserum in modum depravata est. Textum ipsum vide apud *Cornely* (Introd. gen.<sup>2</sup> 182 sq.). Studuerunt autem viri docti non errores tantum librorum corrigere, sed etiam textum originalem reconstruere. Initium catalogi deest, quod sine dubio exhibebat ea, quae desunt de evangeliiis Matthaei et Marci. Textum latinum *Zahn*<sup>1</sup> putat ita corrigendum:

„[Ali]quibus tamen interfuit et ita posuit.

„Tertium evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi, cum eum Paulus quasi itineris studiosum secum

<sup>1</sup> Geschichte des neutest. Kanons II 139 sq., ubi etiam habes reconstructionem graecam. Novam editionem textus paravit E. S. Buchanan, The Journal of theological studies (Oxford 1907) 540. Recensionem ab H. Lietzmann editam habes apud C. Kirch, Enchir. Fontium Historiae ecclesiasticae antiquae<sup>3</sup>, n. 156 sqq.

assumpsisset, nomine suo ex ordine conscripsit; Dominum tamen nec ipse vidit in carne. Et idem prout assequi potuit, ita et a nativitate Ioannis incipit dicere.

„Quartum evangeliorum Ioannis ex discipulis. [Is] cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit: ‚Conieunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus.‘ Eadem nocte revelatum Andreae ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis Ioannes suo nomine cuncta describeret.

„Et ideo licet varia singulis evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de [Domini] nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum discipulis suis ac de gemino eius adventu [al. advento], primo in humilitate despecto, quod fuit; secundo potestate regali praeclaro, quod futurus [al. futurum] est.

„Quid ergo mirum, si Ioannes tam constanter singula etiam in epistulis suis proferat, dicens in semetipsum: ‚Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis.‘ Sic enim non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur.“

Sequuntur similes expositiones de aliis libris S. Scripturae; reiciuntur quaedam epistolae, „Pauli nomine finctae ad haeresim Marcionis et alia plura, quae in catholicam ecclesiam recipi non potest; fel enim cum melle misceri non congruit“; Hermae Pastor permittitur ad usum privatum, excluditur ab usu publico; Arsinoi, Valentini, Miltiadis scripta reprobantur.

Itaque habemus hic aliud testimonium, quo constat circa annum 200 in ecclesia catholica iam diu omnia et sola nostra quattuor evangelia genuina habita esse. Iamvero *testimonia, quae hucusque adduximus, fidem firmam variarum ecclesiarum tam manifeste enuntiant, ut dubitatio nulla relinquatur, quin inde a medio saeculo II nostra evangelia a tota ecclesia ut genuina recepta fuerint*; id quod plane explicari nequit, nisi revera sunt genuina. Habemus tamen alia quoque antiquorum testimonia, quibus eadem conclusio confirmatur.

86. **Obiectiones.** Priusquam vero procedimus in afferendis testimoniis, audiamus principales obiectiones, quae contra auctoritatem testium nostrorum moventur.

Imprimis *contra totam nostram argumentationem ita obiciunt*: Omnes scriptores, quorum testimonia afferuntur, sunt asseclae ecclesiae catholicae, a qua quattuor evangelia illis temporibus recepta fuisse non negamus. Atqui praeterea multae aliae sectae exsistebant, quae alium canonem habebant. Ergo testimonium unanime scriptorum catholicorum nequaquam est testimonium totius antiquitatis christianae<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> „Sie alle [Irenäus, Clemens Alex., Tertullian, Hippolyt, Origenes] haben den evangelischen Kanon der Evangelien nach ‚Matth., Mark., Luk., Joh.‘ als der allein Pesch. Praelectiones dogmaticae. I. Ed. 6/7.

*Resp.* Haec obiectio nihil valet; nam plerumque haeretici non negabant genuinitatem evangeliorum, sed dicebant ipsos evangelistas non tradidisse totam et sinceram Christi doctrinam. Praeterea scriptores catholici ex hoc ipso contra haeticos argumentantur, quod historia teste haeretici veterem et constantem traditionem reliquerint et ad fines dogmaticos S. Scripturam corruerint, cum catholici fidelissime servent traditionem a patribus acceptam. Iam hanc argumentationem non tam fidenter proposuissent, nisi innovationes haeticorum indubitatum factum fuissent. Ergo catholica illa testimonia revera traditionem totius antiquitatis christianae exhibent.

*Irenaeus* accusat haeticos, quod sint novatores, qui, cum ipsi nullam traditionem habeant, totam traditionem conentur pervertere, dicentes se habere doctrinam secretam, quam apostoli non omnibus sed quibusdam electis tradiderint, immo in ipsa apostolorum doctrina distinguenda esse ea, quae sint perfecta, ab iis, quae sint imperfecta (*Adv. haer.* 3, 2; *M* 7, 846 sq.). Contra hos igitur haeticos provocat *Irenaeus* ad traditionem omnium ecclesiarum et ad viros, qui apostolorum discipuli fuerint. Ab his descendam esse traditionem vere apostolicam, haeticorum vero errores posterioribus temporibus ortos esse. „Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione. . . . Omnes autem hi multo posterius, mediantibus iam ecclesiae temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam“ (*ib.* 3, 4, 3; *M* 7, 856 sq.). Testes igitur invocat eos, qui ante hos haeticos fuerunt, et haeticorum ortum posteriorem omnibus notum contra ipsos ut firmissimum argumentum producit. Itaque non *Irenaeus* ob fines dogmaticos conatur stabilire genuinitatem evangeliorum, sed haetici, ut errores suos tuerentur, evangelia universaliter agnita corrumpebant. Sed si hodiernis „criticis“ credimus, iam tunc non minus quam hodie catholici, quia erant catholici, inepti erant ad sentiendum sine praeiudicio, cum e contra quaelibet doctrina anticatholica hominem statim reddat a praeiudiciis liberum et testem fide dignissimum.

kirchlichen; sie alle deuten das ‚nach‘ auf ‚von‘; sie alle sind ohne Zweifel, daß alle vier Evangelien von Aposteln ausgehen, das erste und vierte unmittelbar vom Apostel Matthäus und Johannes, das zweite und dritte mittelbar von Petrus durch Markus und von Paulus durch Lukas. Aber alle diese Väter sind nur Anhänger der katholischen Bischofskirche und nehmen deren Symbolum, die neutestamentliche Sammlung mit den vier Evangelien, welche jene Kirche auserlesen hatte, und die Schriften darin als die allein echten Apostelschriften hin, aus dogmatischem Grunde gegen die gnostische Entmenschlichung Jesu wie gegen ebionitische Judaisierung Christi. Und zeugen sie für die allgemein kirchliche, d. h. katholische, Anerkennung dieses Neuen Testaments, so ist damit noch keine wirkliche ‚allgemeine Anerkennung‘ in christlichen Kreisen ausgesprochen, worauf auch Tischendorf allzu rasch schließt. Im Gegenteil will man nur immer wieder verschweigen und vergessen machen, daß diese Anerkennung im Beginn der altkatholischen Bischofskirche keineswegs eine allgemeine war“ (*Volkmann*, Der Ursprung unserer Evangelien, Zürich 1866, 24 sq.). Haec obiectio etiam nostris temporibus repetitur. Cf. *Hoh*, Die Lehre des hl. Irenäus über das Neue Testament 170 sqq.

87. *Contra Irenaeum ipsum obiciunt* ei nequaquam tantam fidem adhibendam esse, quantam ei tribuimus, et quidem ob has rationes:

1. Idem *Irenaeus*, qui serie non interrupta traditionem ab *Ioanne* apostolo accepisse videtur, ignorat significationem numeri 666 in *Apocalypsi* (13, 18).

2. Dicit *Lucam* scripsisse evangelium secundum praedicationem *Pauli*; hoc autem hodie non iam quisquam admittit.

3. *Irenaeus* ut traditionem *ioanneam* affert et acceptat verba *Papiae* de fertilitate futura tempore millennii: „Venient dies, in quibus vineae nascentur singulae decem milia palmitum habentes, et in uno palmitum dena milia brachiorum, et in uno vero palmitum dena milia flagellorum, et in unoquoque flagello dena milia botruum, et in unoquoque botro dena milia acinorum, et unumquodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini“ (*l. c.* 5, 33, 3; *M* 7, 1213). Hanc fabulam nemo credit; cur igitur *Irenaeo* credamus, si testatur ex apostolica traditione de libris sacris?

4. Saepe accidit, ut antiquissimi illi testes inter se dissentiant et ita incertam suam fidem clare manifestent. E. g. de ordine, quo evangelia orta sunt, nulla est consensus; et quod ad diem paschatis attinet, traditiones *petrina* et *ioannea* vehementissime colliduntur.

Ita *H. I. Holtzmann* in *Introductione* in novum testamentum (ed. 3, 196), quam „criticam“ vocat. Quid valeant hae obiectiones, satis quidem per se patet; sed videamus singula.

*Resp. ad 1.* De illo numero 666 et de nomine per hunc numerum significato ait *Irenaeus*: „Certius et sine periculo est sustinere adimplerem prophetiae quam suspicari et divinare nomina quaelibet, quando multa nomina inveniri possunt habentia praedictum numerum. . . . Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asservantes pronuntiabimus hoc eum nomen habiturum, scientes, quoniam, si oporteret manifeste praesenti tempore praeconari nomen eius, per ipsum utique editum fuisset, qui et *Apocalypsim* viderat“ (*l. c.* 5, 30, 3; *M* 7, 1205 sq.). Ergo *Irenaeus* dicit de hac re nihil esse dictum a *S. Ioanne* neque ullam exstare traditionem. Quia igitur fatetur non adesse traditionem, ubi revera non adest, „critici“ concludunt eum non esse fide dignum, si testatur existentiam traditionis ab omnibus ecclesiis agnitam. Ecce exemplum logicae eorum!

*Ad 2.* Quod ait *Irenaeus*: „*Lucas*, sectator *Pauli*, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit“ (*l. c.* 3, 1, 1; *M* 7, 845), falsum esse volunt, cum *Lucas* dicat se ex variis fontibus hausisse. Numquid igitur ideo, quia alios quoque testes adhibuit, non potuit ea scribere, quae *Paulus* praedicavit? Quam inane autem sit, quod *Holtzmann* scribit non iam a quoquam admitti tertium evangelium scriptum esse secundum praedicationem *Pauli*, vide apud *Cornely* (*Introduct.* III, ed. 2, 128 sqq.). Quia praesto non est integrum evangelium a *Paulo* praedicatum suo modo, non potest comparari cum evangelio a *Luca* scripto, ut diiudicemus, num et quae *Lucas* aliunde hauserit.

*Ad 3.* Quod ad chiliasmum Irenaei attinet, distinguendum est inter ea, quae dicit se ex traditione accepisse, et explicationem huius traditionis. Ex traditione igitur acceperat futura esse tempora, quando vites et arbores forent ingentis fertilitatis et animalia deponerent suam feritatem et solos fructus terrae comederent. Iam similes descriptiones gloriae regni messianici etiam inveniuntur apud Isaiam (11, 6 sqq.; 65, 25), Ezechielem (c. 37 sqq.), in Apocalypsi (c. 21) etc. Nihil invenitur in illa traditione, quod cum his locis S. Scripturae non consentiat; sed quaestio est, utrum haec vaticinia sensu proprio an translato sint intellegenda. Huius quaestionis solutionem Irenaeus non dicit se habere ex traditione, sed argumentando studet invenire. Concedit enim a multis haec allegorice intellegi: „Si autem quidam tentaverint allegorizare haec, quae eiusmodi sunt, neque de omnibus poterunt consonantes sibimetipsis inveniri et convincuntur ab ipsis dictionibus differantibus“ (*Irenaeus* l. c. 5, 31, 1; *M* 7, 1218). Aliunde quoque constat duas de hac re tum fuisse in ecclesia opiniones, quarum alteram, eamque falsam, Irenaeus multis argumentis propugnat. Atqui ex eo, quod Irenaeus quaedam dicta Scripturae et traditionis false interpretetur, non recte concluditur eum esse testem suspectum, quando concorditer cum aliis testatur quosdam libros ab universa ecclesia genuinos esse habitos. Haec ipsa unanimitas vetustissimorum testium de genuinitate quattuor evangeliorum et fiducia, qua contra haereticos provocant ad apostolicam traditionem, est testimonium historicum omni rationabili exceptione maius. Non enim agitur de opinione privata huius vel illius hominis sed de publica et universali traditione. Quomodo autem multo ante finem saeculi II in ecclesiis romana, africana, lugdunensi, alexandrina, aliis potuit esse vetus, universalis, firma illa traditio, nisi evangelia essent genuina? De chiliasmo vide infra n. 584 et tom. IX, n. 695 sqq.

*Ad 4.* Testimonium antiquorum non est per se argumentum, ubi testes dissentiant, *transeat assertum*; ergo neque est argumentum, quando omnes consentiunt, *nego consequens et consequentiam*. Licet forte nullus sit inter illos testes, qui non interdum aliquid falsi dixerit<sup>1</sup>, inde nihil efficitur contra nostram argumentationem, cum non ideo quicquam admittamus, quia aliquis privatus scriptor testatur de re iam multo ante facta, sed quia exstat universalis traditio ab apostolicis temporibus descendens. Ostendant adversarii vel unum scriptum, quod tali traditione genuinum agnoscatur et tamen suppositivum sit. Hoc

<sup>1</sup> Ita e. g. Irenaeus dissentit ab aliis veteribus scriptoribus in iis, quae dicit de aetate Christi (2, 22, 5), ideoque in hac re, in qua non fuit consensus omnium ecclesiarum, eius testimonium non est paria auctoritatis atque in iis, quae dicit de evangeliiis. Immo testimonium non profert nisi hoc: secundum „seniores“ Christum omnes aetates vitae humanae percurrisse, etiam illam, quae iam declinet in aetatem seniore, et ex hoc dicto et ex lo. 8, 56 sq. concludit Christum circiter quadraginta annos vixisse, quae conclusio neque Scriptura neque traditione fulcitur et reiicienda est.

numquam praestiterunt neque praestabunt, et ideo obtusis telis dimittant. Irenaei testimonia, maxime pro evangelio Ioannis, defendit erudita dissertatio *F. S. Gutjahr*, Die Glaubwürdigkeit des Irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des vierten kanonischen Evangeliums (Graz 1904).

**88. *Alia argumenta.*** Documenta, quae hactenus adduximus, ea fere sunt, quibus genuinitas quattuor evangeliorum contra haereticos diserte propugnatur. Iamvero nullius libri genuinitas de industria defenditur, quamdiu non impugnatur. Ergo testimonia similia his, quae adduximus, statim post evangelia edita non sunt exspectanda. Nihilominus etiam ex prioribus temporibus documenta adsunt, in quibus genuinitas evangeliorum non quidem defenditur, sed simpliciter affirmatur vel supponitur.

Ita *S. Iustinus M.* (circa a. 100—166) loquitur de „apostolorum commentariis (Ἀπομνημονεύμασιν), quae vocantur evangelia“ (Apol. 1, n. 66; *M* 6, 429), et testatur haec „commentaria apostolorum aut scripta prophetarum“ legi in conventibus christianorum, qui diebus dominicis fiant (ib. n. 67; cf. supra n. 77). Idem in Dialogo cum Tryphone (n. 103; *M* 6, 717) ait: „In commentariis, quos ab eius [Christi] apostolis eorumque discipulis scriptos dico, proditum est sudorem veluti guttas sanguinis ex eo defluxisse, cum precaretur ac diceret: Si fieri potest, transeat calix iste!“ Hoc exemplum ostendit, quomodo Iustinus et generatim SS. Patres saepe verba evangelistarum referre soleant, videlicet non quidem semper ad litteram, sed tamen ita, ut satis appareat, unde sumpta sint. Illa enim verba, quae dicit Iustinus in „commentariis“ legi: ἰδρῶς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο, allegantur ex Luca: ἐγένετο ὁ ἰδρῶς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος (Luc. 22, 44); sequentia vero: παρεθέτω, εἰ δυνατόν, τὸ ποτήριον τοῦτο, sunt ex Matthaeo: εἰ δυνατόν ἐστιν, παρεθέτω ἅπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο (Matth. 26, 39). Nemo rationaliter dubitare potest, in quibus evangeliiis Iustinus verba illa legerit. Nihilominus propter liberiores hunc citandi modum „critici“ volunt non nostra evangelia, sed alia quaedam, quae perierint, Iustinum prae oculis habuisse<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Bene *Tischendorf*: „Es ist eine offenbare und haltlose Willkür, für solche seiner (Justins) Zitate, die sich teils genau teils ungenau unsren kanonischen Texten anschließen, eine verloren gegangene, dem Gebiet vager Konjektur verfallene Quelle anzunehmen. Eine solche Annahme ist um so weniger statthaft, weil freiere Anführungen aus unsren Evangelien dem Charakter der Zeit, in die sie fallen, völlig angemessen sind; ist es doch dieselbe Zeit, die erste Hälfte des 2. Jahrhunderts, auf welche wir vorzugsweise die Vielgestaltigkeit unsres kanonischen Schrifttextes, zumal des evangelischen, zurückzuführen haben. Und dazu kommt, daß sich mit ähnlicher Freiheit gegebene Zitate aus dem Alten Testamente bei demselben Justin nachweisen lassen, wenn man auch seinen Text nicht ausschließlich nach unsren Textautoritäten der Septuaginta messen darf. Ebensowenig ist zu übersehen, daß die evangelischen Texte Justins nicht ohne weiteres nach den uns überlieferten Dokumenten des neutestamentlichen Textes oder gar unsren üblichen Druckausgaben

89. Itaque *notanda sunt haec*: a) Neque scriptores inspirati (cf. Matth. 2, 6 18; 11, 10; 12, 18 sqq. etc.) neque scriptores ecclesiastici neque scriptores profani illorum temporum solent semper ad litteram citare, sed plus minusve libere aliorum verba afferunt (cf. *E. Jacquier*, *Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne I<sup>2</sup>*, Paris 1911, 10 sqq.).

b) Idem scriptor eosdem locos allegat modo magis ad litteram, modo vocabulis paulo mutatis. Ita e. g. Matth. scribit: Οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ, οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱός (Matth. 11, 27). Iustinus autem ait: Ἰησοῦς... εἶπεν· Οὐδεὶς ἔγνω τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱός· οὐδὲ τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ (Apol. 1, n. 63; *M* 6, 424). Alio vero loco scribit: Ἐν τῷ εὐαγγελίῳ γέγραπται εἰπών... Οὐδεὶς γινώσκει τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱός· οὐδὲ τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ (Dial. c. Tryph. n. 100; *M* 6, 709). Estne rationabile dicere Iustinum non habuisse nostrum evangelium Matthaei, quod scribat ἔγνω loco ἐπιγινώσκει, vel quod secundum membrum textus priore loco ponat? Plurima autem, quae afferuntur a „criticis“ ad probandum SS. Patres non habuisse nostra evangelia, sunt etiam minoris momenti.

c) Non est mirum, quod in libris, qui per tot regiones circumferebantur et toties legebantur, et quorum dicta magis ad vitam quam ad scholam pertinebant, mox oriebantur lectiones variantes. Quod autem SS. Patres habent alias lectiones, atque quae sunt in nostris codicibus, non valet ad probandum eos habuisse alia evangelia.

d) Etiam posteriores Patres, quos nemo nostra evangelia habuisse negat, liberiore citandi modo utuntur. Maxime vero primis temporibus religionis christianae facta et dicta Christi adeo in omnium memoria erant, ut simul in omnium ore essent; quare in iis allegandis nequaquam statim ad libros scriptos recurrebant, sed memoriter ea recitabant. Praeterea antequam adesset versio latina, illi, qui latine scribebant, textus originales modo sic modo aliter vertebant<sup>1</sup>. Postea vero permultae lectiones variantes inde ortae sunt, quod librarii putabant se recte agere, si in S. Scriptura pro vocabulis, quae illis temporibus vel in illis regionibus inusitata erant, magis usitata ponerent (cf. *de Lagarde*, *Symmicta I* 68 sqq.).

e) Ceterum Iustinum illa evangelia prae oculis habuisse, quae omnibus nota erant, efficitur ex eius loquendi modo: τὸ εὐαγγέλιον, τὰ ἀπομνημονεύματα. Praeterea toties allegat dicta evangeliorum nostrorum, ut ipsi quoque rationalistae fateantur eum tria evangelia syn-

beurteilt werden dürfen; es ist sicher, daß manche unserer verbreitetsten Lesarten aus früherer oder späterer Korruption des Urtextes hervorgegangen; die evangelischen Texte überhaupt waren schwerlich auch nur einige Jahrzehnte im Gebrauch, ohne in ihrer vollen Texteinheit gestört zu werden“ (Wann wurden unsre Evangelien verfaßt? <sup>4</sup>, Leipzig 1880, 30). Quae Iustinus ex evangeliiis citat, collegit *E. Preuschen*, *Antilegomena*<sup>2</sup> (Gießen 1905) 33 sqq. 156 sqq.

<sup>1</sup> Exempla vide apud *Zahn*, *Geschichte des neutestamentl. Kanons I* 51 sqq. 174 sqq. 481 sqq.

optica habuisse. Ita e. g. *Volkmar* (*Der Ursprung uns. Evang.* 91) et *Reuss* (*Gesch. der hl. Schriften N. T.*, ed. 5, n. 294). Illustremus rem saltem uno exemplo: Ἰωάννου γὰρ καθεζομένου ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου καὶ κηρύσσοντος βάπτισμα μετανοίας, καὶ ζώνην δερματίνην καὶ ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου μόνον φοροῦντος καὶ μηδὲν ἐσθίουντος πλὴν ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον (Marc. 1, 4 6), οἱ ἄνθρωποι ὑπελάμβανον αὐτὸν εἶναι τὸν Χριστόν (Luc. 3, 15), πρὸς οὓς καὶ αὐτὸς ἔβόα· Οὐκ εἰμι ὁ Χριστός, ἀλλὰ φωνὴ βοῶντος (Io. 1, 20 23), ἤξει γὰρ ὁ ἰσχυρότερός μου (Luc. 3, 16), οὐ οὐκ εἰμι ἰκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι (Matth. 3, 11)... Hic igitur intra paucarum linearum seriem dicta allegata habemus ex omnibus quattuor evangeliiis (Dial. c. Tryph. n. 88; *M* 6, 688); simili autem modo Iustinus magnam omnino partem, maxime trium priorum evangeliorum excerpit. Cf. e. g. ib. n. 78 (*M* 6, 658 sq.) cum narratione Matthaei.

Iustinum novisse Ioannis evangelium iam ostendunt illa verba: Οὐκ εἰμι ὁ Χριστός, ἀλλὰ φωνὴ βοῶντος, ut quae apud solum Ioannem a Baptista dicta legantur. Praeterea appellatione τοῦ Λόγου, qua in solo evangelio Ioannis Christus nominatur, saepius utitur (Apol. 1, n. 33. Dial. c. Tryph. n. 105; *M* 6, 381 721). Citat Io. 3, 3 5: Καὶ γὰρ ὁ Χριστός εἶπεν· Ἄν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν (Apol. 1, n. 61; *M* 6, 420). Alia similia non pauca occurrunt (cf. *Cornely*, *Introduct. III*, ed. 2, 220 sqq.).

In ea, quae S. Iustinus ex evangeliiis allegat, multi inquisierunt. Ita *K. A. Credner* (*Beiträge zur Einleitung in die biblischen Schriften*, Halle 1832), qui studet ostendere Iustinum usum esse aliquo evangelio nunc perduto, i. e. evangelio Petri. Contra quem scripsit *C. Semisch*, qui ostendit Iustinum usum esse nostris evangeliiis synopticiis, variationes vero explicat ex liberiore citandi modo (*Die apostolischen Denkwürdigkeiten des Märtyrers Justin*, Hamburg und Gotha 1848). *A. Hilgenfeld* enervare conatur, quae Semisch scripsit, et putat Iustinum partim usum esse aliis fontibus praeter nostra evangelia, partim aliter legisse, atque in nostris editionibus legatur (*Kritische Untersuchungen über das Evangelium Justins*, Halle 1850). *Th. Zahn* firmiter sibi persuasit Iustinum non agnovisse ut authentica nisi nostra evangelia, habuisse tamen multas lectiones a nostris variantes et etiam interdum usum esse quibusdam apocryphis, quae non computaverit inter ἀπομνημονεύματα (*Geschichte des neutestamentlichen Kanons I* 463 sqq.). *W. Bousset* concedit Iustinum legisse et adhibuisse nostra evangelia synoptica et probabiliter etiam evangelium Ioannis<sup>1</sup>, sed vult eum habuisse aliud evangelium magis primitivum, ex quo plurima explicanda sint, quibus Iustinus differt a nostris evangeliiis (*Die Evangelienzitate Justins des*

<sup>1</sup> Postea dixit Iustinum certo respexisse evangelium Ioannis (*Theol. Literaturzeitung* 1897, 75). Quidam censent Iustinum usum esse harmonia evangeliorum (*Diatessaron Tatiani*). Cf. *Bardenheuer*, *Geschichte der altkirchl. Literatur I*<sup>2</sup> 253.



Martyrers, Göttingen 1891). Sed argumenta, quae pro hoc quinto evangelio proferuntur, sunt tam tenuia, ut vix hypothese ponendae sufficiant, nedum certitudinem efficiant. Ad eius opinionem e catholicis satis prope accessit *A. Baldus* (Das Verhältnis Justinus des Märtyrers zu unsern synoptischen Evangelien, Münster 1895). E protestantibus e. g. *G. N. Bonwetsch* censet Iustinum omnia et sola nostra evangelia agnovisse (Realenzyklopädie für protestantische Theologie IX, ed. 3, 649 sqq.). Usque nunc nemo probabile ostendit a Iustino alii quinto evangelio eandem auctoritatem tributam esse atque nostris quattuor evangeliiis. Non negatur Iustinum varia, quae in nostris evangeliiis non leguntur, hausisse vel ex orali traditione vel ex scriptis documentis. Sed quaestio est, num quinto cuidam libro eandem, quam evangeliiis canonicis, dignitatem et auctoritatem adscribat. Hoc plerique recte negant, quia argumenta, quae proferuntur, statim corruunt, si serio examinantur (cf. *Gutjahr*, Die Glaubwürdigkeit des irenäischen Zeugnisses 19 sqq.)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Volunt nonnulli Iustinum usum esse *evangelio Petri* apocrypho, cuius fragmentum ante aliquot annos a *Bouriant* in Aegypto superiore inventum est. Dicunt igitur *Iustinum* ex hoc pseudoevangelio sumpsisse, quae dicit *Apol. 1*, n. 35: Διασφροντες αὐτὸν ἐκάθισαν ἐπὶ βήματος καὶ εἶπον· Κρίνον ἡμῖν (*M 6*, 384). In fragmento autem legitur v. 3: Οἱ δὲ λαβόντες τὸν Κύριον ὤθουν αὐτὸν τρέχοντες καὶ ἔλεγον· σὺρωμεν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἔξουσίαν αὐτοῦ ἐσχηκότες. Καὶ πορφύραν αὐτὸν περιέβαλον καὶ ἐκάθισαν αὐτὸν ἐπὶ καθέδραν κρίσεως λέγοντες· δικαίως κρίνε, βασιλεῦ τοῦ Ἰσραὴλ. Porro fragmentum v. 4 habet λαχμὸν ἔβαλον, ubi in evangeliiis legitur βάλλοντες κλῆρον (*Marc. 15*, 24). *Iustinus* autem in his consentit cum fragmento (*Dial. c. Tryph. n. 97; M 6*, 705). Tandem *Iustinus* dicit post Iesu crucifixionem omnes discipulos ab eo defecisse eumque negasse (*Apol. 1*, n. 50; *M 6*, 404), quod volunt desumptum ex fragmento. At hoc ultimum possumus statim dimittere. Nam in fragmento solum narratur discipulos se occultasse (v. 7), quod non magis concordat cum Iustino, quam quae in evangeliiis narrantur de fuga discipulorum. Secundus vero textus non magni momenti est, nam *Iustinus* eo loco utrumque habet: ἔβαλον κλῆρον et λαχμὸν βάλλοντες eodem fere modo quo *Ioannes* (19, 24): Λάχωμεν... ἔβαλον κλῆρον. Ergo *Iustinus* magis concordat cum *Ioanne* quam cum fragmento; ceterum alibi (*Apol. 1*, n. 35; *M 6*, 384) simpliciter dicit: ἔβαλον κλῆρον. Quod vero ad primum textum attinet, harmonia verbalis inter *Iustinum* et fragmentum est satis mediocris; maioris ponderis videri potest consensus realis, quod iudaei ponunt Christum in sede iudiciali et dicunt: „Iudica“. Sed imprimis *Iustinus* in contextu provocat non ad aliquod evangelium, sed ad acta *Pilati*: Καὶ ταῦτα ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων (*Apol. 1*, n. 35; *M 6*, 384). In apocryphis quidem actis *Pilati*, quae ad nos pervenerunt, verba illa non leguntur; sed non sunt haec acta, de quibus *Iustinus* loquitur. Ceterum cum *Iustinus* ibidem alleget verba prophetarum: Αἰτοῦσί με νῦν κρίσιν δικαίαν (*Is. 58*, 2), facile perspicitur, quomodo et ipse et apocrypha potuerint cum his verbis prophetarum componere, quae *Ioannes* narrat 19, 13-14, ea sic intellegendo: „Et posuit eum in sede iudiciali et dixit: Ecce rex vester.“

Dein vero *Iustinus*, si habebat illud pseudoevangelium et censebat a *Petro* scriptum, non potuit ei in plurimis tam aperte contradicere. Ita e. g. secundum fragmentum (v. 1 et 2) *Herodes* Christum condemnat ad crucem, *Pilatus* vero ab *Herode* petit corpus Iesu; secundum *Iustinum* apud *Pilatum* iudicium peragitur (*Apol. 1*, n. 40; *M 6*, 389), et *Pilatus*, ut *Herodi* gratum se exhibeat, ad eum mittit Christum (*Dial. c. Tryph. n. 103; M 6*, 717). Secundum fragmentum (v. 4) *Christus* in cruce „silebat

90. Reliquorum Patrum dicta, quae singula evangelia respiciunt, infra afferemus. Id unum hic notandum etiam illos antiquissimos scriptores, qui non diserte loquantur de quattuor evangeliiis, tamen ita de determinatis evangeliiis scriptis loqui, ut manifeste supponant hanc esse rem omnibus notam. E. g. *Theophilus Antiochenus* († 181) inter alia haec scribit: Περὶ δικαιοσύνης, ἧς ὁ νόμος εἶρηκεν, ἀκόλουθα εὐρίσκεται καὶ τὰ τῶν προφητῶν καὶ τῶν εὐαγγελίων ἔχειν διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἐνὶ πνεύματι θεοῦ λελαληκέναι (*Ad Autol. 3*, 12; *M 6*, 1137). Διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἄγιοι γραφαὶ καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*ib. 2*, 22; *M 6*, 1088).

*Ignatius M.* de quibusdam haereticis ait: Ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων, ὅτι, εἰ μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὐρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, οὐ πιστεύω· καὶ λέγοντός μου αὐτοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται (*Ad Philad. 8*)<sup>1</sup>.

Sed haec interim sufficiant. Unum tantum praeterea testimonium afferamus, quod alia ratione valde efficaci probat genuinitatem quattuor evangeliorum.

91. Iam inde a saeculo II existunt *harmoniae evangeliorum*, quarum una facta est a *Tatiano Syro*, discipulo S. Iustini, sed postea haeretico. De quo scribit *Theodoretus*: „*Tatianus Syrus*... evangelium, quod *Diatessaron* vocatur, composuit, abscissis genealogiis omnibusque illis reiectis, quae Dominum secundum carnem ex semine *Davidis* ortum esse demonstrant. Quo non ipsius tantum sectae asseclae utebantur, sed etiam illi, qui apostolicam fidem profitentur, cum operis illius malitiam non perspicerent, sed illo tamquam compendio uterentur. Equidem plus ducentos eiusmodi libros in nostris ecclesiis reperi in honore haberi, quos omnes collectos removi eorumque in locum quattuor evangelistarum evangelia introduxi“ (*Haer. fab. 1*, 20; *M 83*, 369). Etiam *Eusebius* (*H. E. 4*, 29; *M 20*, 401) testatur *Tatianum* composuisse evangeliorum catenam, quam *Tō diὰ τεσσάρων* vocaverit. Ergo circa a. 170, quo tempore *Tatianus* librum suum conscripsit, quattuor nostra evangelia iam diu existebant, immo secundum communioem opinionem doctorum in linguam syriacam iam erant translata (*Peschito*), eorumque, et

ut nullum dolorem habens; *Iustinus* docet „*Patrem* voluisse, ut *Filius* vere in perpressionibus esset propter nos“ (*Dial. c. Tryph. n. 103*, cf. n. 99; *M 6*, 720 707). Secundum fragmentum (v. 5) *Iesus* crucifixus clamat: „*Potentia* mea, *potentia* mea, dereliquisti me“; secundum *Iustinum* vero: „*Deus*, *Deus* meus, propter quid dereliquisti me?“ (*Dial. c. Tryph. n. 99; M 6*, 707.) Et sic alia, quae satis ostendunt aut *Iustinum* hoc pseudoevangelium non novisse aut pro apostolico scripto non habuisse (cf. *Cornely*, *Introd. I*<sup>2</sup>, 178 sq.; *Th. Zahn*, *Das Evangelium des Petrus*, Erlangen und Leipzig 1893, 66 sqq.; *O. Bardenhever*, *Geschichte der altkirchlichen Literatur I*<sup>2</sup> 524 sqq.; *E. Jacquier*, *Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne I*<sup>2</sup> 107 sqq.).

<sup>1</sup> Haec verba non posse verti ita: „*Nisi* invenero in *Vetere Testamento*, non credo evangelio“, ut volunt *Hort* (*Judaistic Christianity*, Cambridge 1894, 185) et alii, iam inde efficitur, quod *Ignatius* et graecis generatim *Vetus Testamentum* non est ἀρχαία διαθήκη, sed παλαιὰ δ. (cf. *Funk* in hunc locum).

quidem eorum solorum, auctoritas tam universaliter agnita erat, ut eorum in unam continuam narrationem collectio desideraretur.

92. **Obiectio.** Contra hoc argumentum obicit *Volkmar*: Plane non constat, num Tatianus harmoniam ex nostris quattuor evangeliiis composuerit. Eusebius nihil accurati novit de libro Tatiani, Theodoretus diserte indolem eius haereticam effert. Sane deducendum est ex verbis Theodoreti loco nostri Matthaei fuisse evangelium hebraeorum. Probabilius compositio libri erat huiusmodi: initio positus erat prologus evangelii τοῦ Λόγου, sequebatur evangelium secundum hebraeos, dein textus compositus ex evangelio Marcionis et evangelio Marci. Ergo quis gentium poterit ex opere Tatiani inferre nostra quattuor evangelia iam saeculo I exstitisse?<sup>1</sup>

93. *Resp.* a) Theodoretus, qui librum Tatiani vidit, nihil ex illis apocryphis additum invenit, sed dicit fuisse compendium, in quo quaedam ex nostris evangeliiis ommissa erant. Unde igitur *Volkmar*, qui librum non vidit, tanta certitudine novit Tatianum usum esse apocryphis?

b) S. Ephraem in exponendo evangelio usus est textu Tatiani. Iam non solum improbable est eum textus apocryphos pro genuinis accepisse, sed ea quoque, quae in commentariis allegat, sumpta sunt ex nostris tantum evangeliiis, paucis forte particulis exceptis.

c) Quamvis textus Tatiani interierit, exstat tamen versio eius arabica, quam P. *Augustinus Ciasca* O. E. S. Aug. a. 1888 Romae secundum duos codices inter se independentes edidit. Ex textu autem arabico apparuit illam latinam harmoniam evangeliorum, quae habetur in codice fuldensi, non esse aliud nisi versionem operis Tatiani seu potius harmonicam dispositionem versionis hieronymianae secundum exemplum Tatiani. Nunc igitur, quamvis multae particulae quaestiones de originali textu Tatiani adhuc disputatae maneant, hoc tamen manifestum est Tatianum harmoniam confecisse ex nostris quattuor evangeliiis, et non ex illis apocryphis. Ergo quae *Volkmar* fabulatur de evangelio secundum hebraeos et de evangelio Marcionis, sunt inane figmentum altioris criticae rationalisticae<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *Volkmar*, Der Ursprung unserer Evangelien 35 sqq.

<sup>2</sup> Cf. *Zahn*, Erforschungen zur Gesch. des neutestam. Kanons I (Erlangen 1881) 220 sqq.; Gesch. des neutestam. Kanons II (Erlangen 1890) 530 sqq. *Hamlyn Hill* haec scribit: „If, as there seems no reason to doubt, the work published by Ciasca is substantially the Diatessaron of Tatian, subject only to such alterations as would naturally be made in it in the course of centuries, to make it conform more in details to the accepted form of the canonical Gospels, then this controversy is decisively closed in favour of the orthodox view; for beyond all question the book in its present form is a Harmony of our four Gospels and of no others“ (The earliest Life of our Lord ever compiled from the four Gospels, being the Diatessaron of Tatian, Edinburgh 1894, 22).

94. **Conclusio.** Ex iis, quae hactenus allata sunt, habetur firmum argumentum ad probandam genuinitatem nostrorum evangeliorum. Medio enim saeculo II nostra quattuor evangelia in omnibus ecclesiis orientalibus et occidentalibus genuina habebantur et in publico cultu praelegebantur. Iamvero prisci illi episcopi et alii viri christiani, qui adeo traditioni sacrae inhaerebant, non leviter libros ut sacros recepissent, nisi eorum genuinitas extra dubium posita fuisset, praesertim cum ageretur de libris, quibus propter auctoritatem singularem virorum, a quibus scripti dicebantur, summum pondus inerat ad normam fidei et morum constituendam. Neque ulla probabilis explicatio afferri potest, quomodo tam brevi tempore omnes illae ecclesiae in re gravissima se adeo decipi passae sint, ut ne ullum quidem vestigium reclamationis contra has sacrilegas fraudes appareat. Omnes evangelia ut divina oracula recipiunt, omnes iis se submitunt; et tamen, si adversariis quibusdam fidem habemus, brevi ante, saeculo fere II, haec scripta orta et falso apostolis vel apostolorum discipulis adscripta erant. Cuius placiti tam incredibilis si argumenta quaeris, nulla habent nisi expostulationes, quarum exempla quaedam vidimus, et vanas hypotheses et figmenta. Certe viri illi prisci, quorum testimoniis genuinitatem evangeliorum probavimus, sub omni respectu meliores duces sunt in hac quaestione quam rationalistae, qui toties falsam esse suam artem criticam ostenderunt.

Erraret igitur, qui diceret: Haec quidem est vetus traditio; sed inquirendum est critice, sitne haec traditio vera an falsa. Nam traditio tam universalis, tam constans, usque ad ipsam originem librorum evangelicorum ascendens, cum tanta sinceritate et fortitudine accepta et servata, est testimonium historicum omni exceptione maius. Unde si qui evangelia secundum internas rationes examinantes ad conclusionem perveniunt, quae cum hac traditione conciliari non potest, argumentum est eos in usu rationum criticarum a veri tramite aberrasse. Illud testimonium historicum per se stat independenter ab omni critica interna librorum sacrorum. Potest quidem ars critica servire ad illud testimonium accuratius explicandum et ab objectionibus vindicandum; sed quoties critici conati sunt illud testimonium evertere, non hoc testimonium sed ipsi corruerunt. Posteriores critici refutarunt priores; et quamvis multi ex iis, qui nunc vivunt, se tandem rectam viam invenisse gloriantur ad quaestiones evangelicas ad ultimam et immutabilem solutionem perducendas, non alia eorum erit sors quam praedecessorum, quamdiu despecto argumento historico internas rationes criticas solam normam veri statuunt.

Dolendum est, quod hac via quidam catholici usque ad apostasiam a fide pervenerunt, praesertim ex iis, qui *modernistae* appellantur, de quibus *Pius X* in encyclica „Pascendi dominici gregis“ die 8 septembris 1907 ait: Secundum eorum systema „non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae

passim non dubitant asserere illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. . . . Addunt vero huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt tam non dubitanter, ut suis ipsos oculos vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. Haec autem ut confirment, critice, quam textualem nominant, adiutricem appellant; nitunturque persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. . . . Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros voluisse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorum. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit, ut Scripturas Sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. . . . Iam igitur patere arbitramur, cuiusmodi in re historica modernistarum sit methodus. . . . Quam ob rem mirum magnopere videri possit apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam: foedus imprimis, quo historici critice huius generis artissime inter se iunguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita; tum vero audacia maxima, qua quae quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiae progressionem tribuunt; qua qui novum portentum aestimare per se volet, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiae accusent; qui amplectitur ac tuetur, laudibus exornent. Inde haud pauci decepti, qui si rem attentius considerarent, horrerent" (Denz. n. 2100).

Iam antea *Leo XIII* in encyclica „Providentissimus Deus“ die 18 novembris 1893 monuerat: „Perperam et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda; illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam nisi ad quandam confirmationem possint vocari. . . . Illud ipsum, quod extollunt, genus criticae sublimioris eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando recensetur“ (Denz. n. 1946). In eadem encyclica inter „errorum portenta“ recensetur „evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuere“.

Si secundum haec sana principia iudicium fertur de quattuor evangelis, nulla rationabilis dubitatio de eorum genuinitate remanet, cum historiae testimonia sint prorsus certa et consona.

95. *Neque putandum est antiquos christianos falsa pietate ductos quaelibet avide et indiscriminatim recepisse, quae ad laudem religionis christianae facere posse viderentur.* Historia enim testis est ecclesiarum antistites cautissimos fuisse in recipiendis talibus libris, quos sola novitas iis reddebat suspectos. Unde videmus eos omnia evangelia, quae censebant apocrypha, sive continebant haereses sive non continebant, indubitanter reiecit. Praeter documenta, quae iam allata sunt, pauca in hanc rem sufficiant. *Tertullianus* narrat: „In Asia presbyterum, qui eam scripturam [acta Pauli] construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse“ (De bapt. c. 17; *M* 1, 1219). *Eusebius*, in historia ecclesiastica versatissimus, qui diligenter distinguit inter libros sacros genuinos, spurios, dubios (*H. E.* 3, 25; *M* 20, 268 sq.), testatur sola quattuor nostra evangelia semper omnium consensu ut genuina recepta esse. Unicum evangelium apocryphum, quod vocabatur Petri, ab aliqua ecclesia, eaque a sede episcopali satis dissita, rhossensi videlicet in Cilicia, receptum fuit. Sed ubi hoc *Serapioni* (190—211 episcopo antiocheno) innotuit, scripsit epistolam ad fideles illius ecclesiae, in qua ait: „Nos enim, fratres, et Petrum et reliquos apostolos perinde ac Christum ipsum suscipimus. Sed quae nomen illorum falso inscriptum praeferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus, quippe qui contemptum habeamus ea nos a maioribus minime accepisse.“ Secundo tantum loco contra illum librum affert rationes dogmaticas (*Euseb.*, *H. E.* 6, 12; *M* 20, 546). Ergo constat illis temporibus non quoslibet libros, qui apostolorum nomine insigniti circumferebantur, sine crisi receptos esse. Immo quod ecclesia ingentem multitudinem apocryphorum tanta constantia reiecit et tot alios libros antiquos, ceteroquin optimos, numquam S. Scripturae accensuit, satis ostendit evangelia et alios libros sacros non sine sufficienti sensu critico recepta esse.

96. *Si Holtzmann et alii contra hoc obiciunt, quod apologetae immerito ad illum sensum criticum provocent, cum ipsi nolint recipere iudicium quorundam Patrum de epistulis Iacobi, Iudae vel secunda Petri aliisque similibus, haec obiectio prodit insignem defectum logicae ratiocinationis.* Apologetae enim concludunt ita: Quia vetus ecclesia prudenti iudicio usa est in admittendis libris sacris, omnis rationabilis dubitatio excluditur, quotiescumque universalis et constans traditio testatur genuinitatem alicuius libri sacri. At ex hac argumentatione nulla ratione legitime infertur nobis omnes libros reiciendos esse, de quibus unus alterve ex veteribus dubitaverit. Ubi veterum testimonia non sunt consona, in hac, ut in omni alia quaestione historica, singu-

lorum auctoritas et rationes expendendae sunt ad iudicium certum formandum; sed statim reicere omne id, de quo aliquando unus alterve dubitavit, virum cordatum dedecet. De evangeliiis vero traditio constans et unanimes est, eaque publica et omnibus iis condicionibus circumdata, quae cuiuslibet libri profani genuinitatem omnibus prorsus certam redderet. Ergo prudenter dubitari nequit.

Postquam igitur firmum fundamentum posuimus, reliqua, quae ad eandem doctrinam confirmandam spectant, brevius referre libet.

**Prop. II. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex evangeliiis apocryphis.**

97. *Apocrypha*, i. e. abscondita, dicebantur apud gentiles scripta quaedam religiosa, quae non cum communi populo, sed cum quibusdam tantum viris initiatis communicabantur. Similiter iam ante Christi tempora apud iudaeos praeter S. Scripturam libri quidam circumferebantur, qui a patriarchis conscripti esse et secretas doctrinas continere dicebantur. Hi libri, quatenus iis nomina magnorum virorum falso affinguntur, dicuntur pseudepigrapha. Etiam in ecclesia christiana multitudo librorum mox orta est, qui dicta et facta Christi et apostolorum vel revelationes supernaturales se narrare praetendebant et nomina apostolorum vel virorum apostolicorum plerumque prae se ferebant (cf. S. Ambros., In Luc. 1, 1 sqq.; M 15, 1533; S. Hieronym., Prol. in Matth.; M 26, 15 sqq.). Itaque apocrypha sunt scripta specie sed non re canonica, quae saepe notam fabulosarum narrationum admixtam habent<sup>1</sup>. Et revera si evangelia apocrypha cum quattuor evangeliiis genuinis comparantur, facile apparet, quantopere ab horum simplicitate differant ludicris narratiunculis et phantasticis descriptionibus. Nihilominus non omnia apocrypha eadem censura digna sunt; nam „apocrypha alia ab haereticis sunt composita, ut apostolorum vel etiam interdum patriarcharum nominibus errores suos condecorantes, facilius fidelium animos perverterent; alia piae cuidam fraudi originem suam debent piaeque cuidam curiositati inservire volunt, quatenus nimirum fideles multo plura, quam in libris nostris canonicis sunt tradita, de vita gestisque Domini et apostolorum scribere desiderent“ (Cornely, Introd. I, ed. 2, 213). Cf. „Apocryphen“ in lexico ecclesiastico friburgensi, in Dictionnaire de théologie catholique, in The Catholic Encyclopedia; Migne, Dictionnaire des Apocryphes (Paris 1856) préface; Bardenhever, Geschichte der altkirchlichen Literatur I<sup>2</sup> 498 sqq.; Batiffol, Orpheus et l'Évangile 58 sqq.

98. *Argumenta*. Iamvero haec apocrypha confirmant genuinitatem nostrorum evangeliorum. Nam

<sup>1</sup> De vocibus „canon, apocrypha“ cf. E. Jacquier, Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne I<sup>2</sup> 21 sqq.

a) *apocrypha sunt imitationes evangeliorum* et aut eo tendunt, ut apostolorum nomine alia doctrina proponatur, atque quae est in evangeliiis, aut eo, ut suppleantur, quae in evangeliiis deesse videbantur. Atqui ut falsi nummi supponunt veros nummos, ita falsa evangelia supponunt vera evangelia. Apocrypha vero esse imitationes evangeliorum patet tum ex testimoniis SS. Patrum tum ex eorum compositione, cum multa recipiant ex evangeliiis, multarum rerum fabulosarum narrationem addant, nova miracula fingant similia iis, quae in evangeliiis narrantur. Hoc autem ubique in documentis historicis accidit, ut apocrypha eo distinguantur a genuinis, quod multa narrant, quae veteribus fontibus ignota erant, et quod in exaggerationes incidunt et maiore verborum pompa utuntur. Sic etiam apocrypha evangelia a veris evangeliiis toto dicendi genere distant.

b) Iam *Hegesippus* „agens de libris, qui apocryphi dicuntur, quosdam eorum sua aetate ab nonnullis haereticis compositos esse scribit“ (Eusebius, H. E. 4, 22; M 20, 383). Hegesippus autem Romae fuit circa a. 160, et post reditum in patriam scripsit opus suum<sup>1</sup>. Ergo iam circa medium saeculum II multae imitationes evangeliorum aderant; id quod Irenaeus quoque testatur: „Inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperum [adulterinarum] scripturarum, quas ipsi [haeretici] finxerunt, afferunt ad stuporem insensatorum... Quaedam autem eorum, quae in evangelio posita sunt, in hunc characterem transformant“ (Adv. haer. 1, 20, 1 2; M 7, 654). Itaque cum iam illa aetate tot imitationes evangeliorum adessent, genuina evangelia multo ante orta sunt.

c) Ut autem appareat, *quomodo apocrypha se habeant ad nostra evangelia*, sufficit e. g. *Pseudo-Matthaeum* cum nostro Matthaeo comparare. Matthaeus e. g. paucissima tantum narrat de infantia Salvatoris. Pseudoevangelista vero per quadraginta duo capita de nativitate, infantia, desponsatione B. Virginis loquitur et vitam Christi a nativitate usque ad adulescentiam perducit; ea vero, quae a Matthaeo et Luca narrantur, breviter suae historiae inserit. Ita de nativitate Christi haec narrat c. 13: „Factum est autem post aliquantum tempus, ut... profiteretur universus orbis, unusquisque in patria sua. Haec professio facta est a praeside Syriae Cyrino. Fuit ergo necesse, ut Ioseph profiteretur cum Beata Maria in Bethlehem, quia inde erant Ioseph et Maria, de tribu Iuda et de domo et familia David. Cum ergo Ioseph et Beata Maria irent per viam, quae ducit Bethlehem, dixit Maria ad Ioseph: Duos populos ante me video, unum flentem et alium gaudentem. Cui Ioseph respondit: Sede in iumento tuo et noli superflua verba loqui. Tunc apparuit puer quidam speciosus ante

<sup>1</sup> Eusebius de tempore, quo Hegesippus scripsit, ita loquitur, ut certum iudicium fieri non possit (cf. H. E. 4, 8 11 21; M 20, 322 sq. 330 378). Nam tribus locis indicat tempora imperatorum Adriani (117–138), Antonini Pii (138–161), Marci Aurelii (161–180). Cf. O. Bardenhever, Geschichte der altkirchlichen Literatur I<sup>2</sup> 389.

eos, indutus veste candida, qui dixit ad Ioseph: Quare dixisti verba superflua esse...? Et cum haec dixisset, angelus iussit stare iumentum, quia tempus pariendi advenerat; et praecepit Beatae Mariae, ut descenderet de animali et ingrederetur speluncam subter caverna, in qua lux numquam erat, sed semper tenebrae, quia lumen diei recipere non poterat. Cumque ingressa fuisset Beata Maria in eam, coepit tota splendore clarescere, quasi hora diei sexta esset: ita speluncam lux divina illustrabat, ut nec in die nec in nocte lux ibi defuerit, quamdiu ibi fuerat Beata Maria. Et ibi peperit masculum, quem angeli statim circumdederunt nascentem, quem natum et super pedes suos mox stantem adoraverunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Iam enim nativitas Domini advenerat, et Ioseph perrexit quaerere obstetrices...<sup>1</sup>, quae obstetrices virginitatem Mariae testantur, et statim multa miracula fiunt (*Tischendorf*, *Evangelia apocrypha*, Lipsiae 1853, 73 sqq.). Nemo prudens dubitabit, utrum evangelium signa genuinitatis prae se ferat, noster Matthaeus an hic Pseudo-Matthaeus. Plane eiusdem farinae est narratio nativitat in protoevangelio Iacobi (*Tischendorf* l. c. 30 sqq.), quod saeculo II ortum esse videtur et Pseudo-Matthaeo exemplar scribendi et materiam praebuit (cf. *Cornely*, *Introd.* I 237 sqq.).

Vetustissimum inter apocrypha videtur fuisse *evangelium secundum hebraeos*, quod interdum duodecim apostolorum vel nazaraeorum vocatur. Hoc ultimum nomen ideo habet, quia nazaraei hoc solum evangelium admittebant<sup>1</sup>. Erat autem conscriptum hebraice et tantam affinitatem cum evangelio Matthaei prae se ferebat, ut *S. Hieronymus* (*De vir. ill.* 3; *M* 23, 613, et *Comment. in Matth.* 12, 13; *M* 26, 78) putaret esse hebraicum archetypum nostri evangelii. Nihilominus ex paucis, quae supersunt, satis apparet evangelium secundum hebraeos esse evangelium Matthaei partim mutatum partim additamentis interpolatum. Exempla habes apud *Cornely* (*Introd.* III 52), apud *Migne* (*Dictionnaire des Apocryphes* II 247 sqq.), apud *Belser* (*Einleitung in das Neue Testament*<sup>2</sup>, Freiburg 1905, 792 sqq.).

99. *Haec igitur apocrypha serviunt ad solvendam obiectionem rationalistarum* dicentium a priori non posse admitti omnia, quae in evangelii narrentur, esse genuina facta historica, cum semper accidere soleat, ut insignes viri mox corona mythorum et fabularum circumdantur; unde mirum esset, si simile quid de Iesu Christo factum non fuisset. Iamvero si fabulas et mythos desideramus, haec quaerenda sunt in apocryphis, non vero in quattuor evangeliiis, quae ab illis fabulosis narrationibus toto caelo distant. Ecclesia vero sensum suum criticum eo ostendit, quod reiectis omnibus fabulosis libris, licet fortasse non haereticis, sola quattuor evangelia approbavit (de qua re cf. *Epist.*

<sup>1</sup> Cf. *Zahn*, *Gesch. des neutestam. Kanons* II 662 sqq.

*Innoc. I ad Exup. Episc. tolos.* apud *Mansi* III 1041 et *Decretum Gelasii de libris recip. et non recip.* apud *M* 59, 162; *Denz.* n. 96 166).

100. Regula autem, quam ecclesia in hac re sequebatur, alia non erat nisi *traditio apostolica*: quod traditum erat recipiebatur; quod traditum non erat, reiciebatur. Id praeter Irenaeum (supra n. 81 sq.) et alios, quorum testimonia iam audivimus, testatur disertis verbis *Eusebius*, qui de libris apocryphis ait: „Quos quidem libros nullus umquam, qui continuata ab apostolis successione in ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est. Sed et ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat. Sensus quoque ipse, et quae ibidem traditur fides, cum a vera et catholica doctrina plurimum quantum aberret, haec haereticorum hominum figmenta esse manifeste coarguit. Quocirca ne quidem inter spurios [i. e. dubios] collocandi sunt hi libri, sed tamquam absurdi et impii prorsus repudiandi“ (*H. E.* 3, 25; *M* 20, 270 sq.). Item iam multo ante Eusebium *Origenes*: „Sicut olim in populo iudaeorum multi prophetiam pollicebantur, et quidam erant pseudoprophetae, e quibus unus fuit Ananias, filius Agot (= Azur Ier. 28], alii vero prophetae; et erat gratia in populo discernendorum spirituum, per quem alii inter prophetas recipiebantur, nonnulli quasi ab exercitatissimis trapezitis reprobabantur, ita et nunc in novo testamento multi conati sunt scribere evangelia, sed non omnes recepti. Et ut sciatis non solum quattuor evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec, quae habemus, electa sunt et tradita ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae cognoscamus... Ecclesia quattuor habet evangelia, haereses plurima... Quattuor tantum evangelia sunt probata... In his omnibus nihil aliud probamus nisi quod ecclesia, i. e. quattuor tantum evangelia recipienda“ (*Hom. 1 in Luc.*; *M* 13, 1801 sqq.). Apposite *S. Ambrosius*: „Ecclesia, cum quattuor evangelii libros habeat, per universum mundum evangelistis redundat; haereses, cum multa habeant, unum non habent“ (*In Luc. 1, 2*; *M* 15, 1533 sq.).

Itaque ex paucis his, quae de apocryphis diximus, tria ostensa sunt: a) revera mox ortas esse fabulas varias de Iesu Christi factis et dictis; b) ecclesiam nequaquam credulam fuisse in omnibus his recipiendis, sed fabulosas narrationes, quantumvis forte in se ad aedificationem aptas, reiecisse; c) regulam discernendi apocrypha et genuina fuisse apostolicam traditionem.

### Prop. III. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex impugnatione scriptorum gentilium.

101. Apud scriptores gentiles primorum saeculorum aerae christianae admodum raro sermo est de scriptis sacris christianorum. Ratio est, quia gentiles despiciebant christianos, quos sectam iudaicam putabant, et libros eorum barbaros et rudes censebant. Hoc testatur inter alios *Lactantius*: „Haec imprimis causa est, cur apud sapientes et doctos

et principes huius saeculi Scriptura Sancta fide careat, quod prophetae communi ac simplici sermone ut ad populum sunt locuti. . . . Assueti enim dulcibus et politis sive orationibus sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur" (Instit. 5, 1 et 6, 21; *M* 6, 550 713). Ex altera parte gentiles, quia sciebant, quanti aestimarentur libri sacri a christianis, tempore persecutionum studebant omni ope eorum traditionem extorquere. Contra evangelia scripserunt *Porphyrius, Proclus, Celsus*, alii (*Epiphanius, Haer.* 51, 8; *M* 41, 902). Sed ceteris omissis unum testimonium consideremus, quod saeculo II philosophus gentilis nostris evangelii reddidit (de *Porphyrio* cf. *Der Katholik* 1901 II 338 sqq.).

**102. Argumentum.** *Celsus* refutationem religionis christianae aggressus, sacros christianorum libros legit, et quid in iis invenisset, exposuit. Origene teste *Celsus* „Adriani aetate et postea vixit“ (*Origenes, Contra Cels.* 1, 8; *M* 11, 670). Librum, cui titulus Ἀληθῆς λόγος, circa a. 178 edidisse videtur<sup>1</sup>. Opus quidem ipsum periit, sed Origene magnam eius partem in octo libris contra *Celsum* nobis servavit. *Celsus* dicit Iesum „paucis admodum abhinc annis (πρὸ πάνυ ὀλίγων ἐτῶν) hanc doctrinam invexisse et fuisse Dei Filium a christianis existimatum“ (1, 26; *M* 11, 710). Iactat se omnes doctrinas christianorum bene nosse: Πάντα γὰρ οἶδα (1, 12; *M* 11, 677), et promittit, quamvis sciat de iis multa, quae scripta non sint, se velle ex solis eorum libris eos refutare: „Atque haec vobis ex vestris ipsorum scripturis protulimus; praeter quas nullo alio teste opus est; ipsi enim vos vestro gladio iugulatis“ (2, 74; *M* 11, 910). Obicit quidem varia falsa, quae in Scriptura non inveniuntur; at repetit se nolle his insistere, sed ex solis libris christianorum se velle argumentari. Eum legisse nostra evangelia prudenter negari nequit. Latius id ostendit *J. F. Muth, Der Kampf des heidnischen Philosophen Celsus gegen das Christentum* (Mainz 1899) 68 sqq. 175 sqq.

**103. Ipse Celsus testatur libros, quibus utatur, scriptos esse a discipulis Christi:** „Discipulos haec de Iesu scripsisse, ut, quae contra illum erant, excusarent“ (2, 16; cf. 2, 13 15 et passim; *M* 11, 819 sqq.). Scit multos haereticos exstitisse et a „magna [i. e. catholica] ecclesia“ descivisse, eosque ad suos errores tuendos evangelia mutasse (5, 59; *M* 11, 1275). Enumerat multas sectas haereticas (5, 62; *M* 11, 1279 sqq.), et earum errores christianis omnibus obicit, ut ubi dicit: eos, „quos eo impellit ebrietas, ut sibi manus inferant, primum evangelii contextum (ἐκ τῆς πρώτης γραφῆς τὸ εὐαγγέλιον) ter, quater et pluries mutasse, ut habeant, quo res sibi obiectas inficientur“ (2, 27; *M* 11, 847);

<sup>1</sup> Cf. *Keim, Celsus' Wahres Wort* (Zürich 1873) 219 sq.; *Aubé, La polémique païenne à la fin du deuxième siècle* (Paris 1878).

ubi Origene censet eum loqui de Marcionis, Valentini, fortasse etiam Lucani sectatoribus, quorum vitia non possint christianis omnibus opprobrio verti.

**104. Ea, quae Celsus affert ex libris christianorum, non sunt alia, quam quae in nostris evangelii habentur;** quare Origene interdum notat, unde ea desumpserit, ut: „Deinde ex Matthaeo, fortasse et ex aliis evangelii, arripit, quod dicitur de columba, quae in Salvatore nostrum, a Ioanne baptizatum, descendit, idque pro figmento haberi vult“ (1, 40; *M* 11, 734 sqq.). Ex Ioannis evangelio affert, quod Iesus ut Filius Dei vocetur Λόγος (2, 31; *M* 11, 851), quod „siti compulsus eamque impatienter ferens, quam tamen vel quivis e plebe patienter saepe sustinet, fel et acetum avidis faucibus hauserit“ (2, 37; *M* 11, 858). Scribit „ad ipsius Iesu sepulchrum venisse duos, ut quidam narrant, angelos, ut alii, unum“. Ad quae verba Origene notat: „Observaverat, opinor, a Matthaeo et Marco unum quidem, sed a Luca et Ioanne commemorari duos“ (5, 56; *M* 11, 1270). Simili modo *Celsus* plurima ex evangelii allegat. *Muth* l. c. 176 sqq. enumerat 58 facta a Celso ex evangelii desumpta. Cum igitur *Celsus* dicat hos libros scriptos esse a discipulis Christi et postea tantum ab haereticis falsatos, novum testimonium pro genuinitate nostrorum evangeliorum habemus, et testimonium quidem, quod eo maioris momenti est, quod procedit ab homine, qui non pietate ducitur, sed potius inimicus acerrimus religionis christianae est<sup>1</sup>.

**105. Obicit Volkmar** negari quidem non posse *Celsum* novisse nostra evangelia, sed hoc testimonium nullius esse momenti, quod *Celsus* vixerit aetate Origene, cum Origene dicat se exspectare, num *Celsus* alium librum editurus sit contra christianos. Ad quod probandum provocat ad ea, quae Origene in fine operis ad Ambrosium, amicum suum, scribit: „Scito aliud opus a Celso promissum fuisse. . . . Quodsi de secundo illo opere non liberavit fidem, his octo contra primum libris contentos nos esse non incommodum fuerit. Sin secundum illud incepit perfecitque, quaesitum ad me mittendum curato“ (8, 76; *M* 11, 1631).

*Resp.* Haec obiectio non valet; nam statim ab initio operis (Praef. 4; *M* 11, 647) Origene dicit *Celsum* iam diu mortuum esse (ἤδη καὶ πάλαι νεκρόν), et postea addit eum sub Adriano et deinceps vixisse. Neque igitur in fine operis exspectat novum librum hominis diu mortui, sed dicit se ignorare, num *Celsus* alium librum scripserit, et rogat, ut sibi hic liber mittatur, si forte inveniatur. Nunc inter omnes fere convenit librum *Celsi* scriptum esse non post a. 180. *Bardenheuer* ait: circa 178 (*Geschichte der altkirchlichen Literatur* I<sup>2</sup> 172).

<sup>1</sup> Cf. *Tischendorf, Wann wurden unsere Evangelien verfaßt?* 71 sqq.

**Prop. IV. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex veterum haereticorum agendi modo.**

**106.** Mox post originem religionis christianae multae sectae haereticae exstiterunt. Solebant autem catholici haereticos refutare iis maxime, quae in evangelii leguntur. Facillimum igitur responsum fuisset negare genuinitatem evangeliorum, si haec cum ulla specie probabilitatis negari potuisset. At, ut ait *S. Irenaeus*, „tanta est circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant iis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam“ (Adv. haer. 3, 11, 7; *M* 7, 884). Plerique haeretici unum alterumve ex quatuor evangelii eligebant, quo melius ad finem suum uti posse sibi videbantur; dein huius evangelii dicta partim mutilabant, partim novis additamentis adulterabant, partim genuinos textus in pravum sensum detorquebant. Evangelia autem aliquamdiu exsistebant, antequam ab haereticis corrumpentur. Ergo cum ante medium saeculum II tales corruptiones iam frequentes essent, evangelia initio eius saeculi iam scripta erant.

De illis haereticis *Irenaeus* ait: „Ebionaei etenim eo evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id, quod est secundum Lucam, circumcidens, ex his, quae adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant a Christo . . . id, quod secundum Marcum est, praeferentes evangelium, cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem, qui a Valentino sunt, eo, quod est secundum Ioannem, plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso deteguntur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo libro. Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio“ (Adv. haer. 3, 11, 7; *M* 7, 884 sq.).

Itaque ab his haereticis evangelia genuina agnita sunt eo tempore, quo sine dubio poterant scire, quis evangelia scripsisset, et quamvis eorum permagni interesset negare genuinitatem evangeliorum, quibus ipsi refutabantur. Videamus aliqua exempla (cf. *Bardenhewer*, *Geschichte der altkirchl. Literatur* I<sup>2</sup> 343 sqq.)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Quidam, quos *alogos* vocat *S. Epiphanius* (Haer. 51, 3; *M* 41, 892), respuebant Ioannis evangelium, quod attribuebant Cerintho. Iam *S. Irenaeus* loquitur de quibusdam, qui „illam speciem non admittunt, quae est secundum Ioannis [fortasse: Ioannem] evangelium“ (Adv. haer. 3, 11, 9; *M* 7, 890). De iisdem loquitur *Philastrius* (Haer. 60) secundum Hippolyti Syntagma. Utrum illi alogi (in urbe Thyatira) fuerint secta haeretica an catholici in hac re non recte sentientes, disputatur. Eorum oppositio contra evangelium Ioannis successum non habuit, sed tota haec factio mox disparuisse videtur. *Th. Zahn* ait: „Die Partei der ‚Aloger‘ verschwand, nachdem sie eben erst aufgetaucht war. Sie hat weder eine neue Kirche des synoptischen Evangeliums gestiftet noch einen Bruchteil der alten Kirche zu sich herübergezogen. Hippolyt, der

**107. Argumenta.** *Basilides* gnosticus († circa a. 130) vult Iesum Nazarenum ad tempus accepisse virtutem divinam, quam vocat evangelium, narrat autem vitam Iesu Christi „similiter atque in evangelii scriptum est“ (*Hippolytus*, *Contra haer.* 7, 27; apud Migne inter opera Origenis, *M* 16c, 3320). Sed ea, quae in evangelii sunt, suo modo explicat. „Basilides igitur et Isidorus, Basilidae filius genuinus et discipulus, aiunt dixisse sibi Matthiam sermones absconditos, quos audiverit a Salvatore peculiariter edoctus. Videamus igitur, quam aperte Basilides simul et Isidorus omnisque eorum cohors non simpliciter unum Matthiam calumniatur, verum etiam Salvatorem ipsum“ (ib. 7, 20; *M* 16c, 3301). Secundum Hippolytum Basilides evangelia allegat praemissis verbis: „Scriptura dicit“, „sicut scriptum est“ vel similibus, quibus citari solent libri sacri; sed dubitare licet, utrum hae loquendi formulae sint Basilidis an discipulorum eius an ipsius Hippolyti. Quidquid id est, Basilides novit nostra evangelia. E. g.: „Factum est, inquit [Basilides], ex non entibus semen mundi, verbum, quod dictum est: ‚Fiat lux‘, et hoc, inquit, est, quod dictum est in evangelio; ‚Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum““ (ib. 7, 22; *M* 16c, 3305). „Suum autem cuique rei esse tempus, inquit, idoneus testis Salvator est, cum ait: ‚Nondum venit hora mea [Io. 2, 4], et magi stellam conspiciati“ (ib. 7, 27; *M* 16c, 3317). Ex evangelio Lucae allegat verba: „Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi“ (ib. 7, 26; *M* 16c, 3316). Apud *Clem. Alex.* (*Strom.* 3, 1; *M* 8, 1099) Basilides citat Matth. 19, 11 12, apud *Epiphanius*. (*Haer.* 24, 5; *M* 41, 314) Matth. 7, 6. *Agrippa Castor* apud *Euseb.* (*H. E.* 4, 7; *M* 20, 317) testatur Basilidem scripsisse viginti quattuor libros *Εἰς τὸ εὐαγγέλιον*. Haec ostendunt initio saeculi II genuinitatem evangeliorum fuisse indubitam.

**108.** Aequalis Basilidis fuit *Valentinus* gnosticus, secundum quem prophetae Veteris Testamenti loquebantur solum „per demiurgum, stultum deum“ Veteris Testamenti. „Propterea ait Soter: ‚Omnes, qui ante me venerunt, fures sunt et latrones [Io. 10, 8], et apostolus: ‚Mysterium, quod prioribus aevis non innotuit [Col. 1, 26]. Nemo enim, inquit, ex prophetis dixit de his quidquam, quae nos dicimus; ignorabantur enim. . . . Postquam igitur oportuit tolli velamen conspicique haec mysteria, natus est Iesus per Mariam virginem, secundum id, quod scriptum est: ‚Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te, sanctum vocabitur““ (*Hippolytus*, *Contra*

sie zuerst auf den Ketzerkatalog gesetzt hat, hielt es später nicht mehr für der Mühe wert, sie darin fortzuführen“ (*Gesch. des neutestam. Kanons* I 262). Ceterum ille conatus alogorum testimonium est ea aetate (post medium saeculum II) evangelium Ioannis in ecclesia iam agnitum fuisse, neque ipsi illud impugnabant propter contrariam traditionem, sed ex rationibus internis, quod Ioannes contradiceret synopticis et doctrinam proponeret indignam, quae in ecclesia doceretur.

haer. 6, 35; *M* 16c, 3248). Apud *Irenaeum* ex Matthaeo affert historiam centurionis [Matth. 8, 9] et ex Luca historiam filiae Iairi [Luc. 8, 41 sqq.] aliaque, quae in evangeliiis narrantur (Adv. haer. 1, 7, 4; 1, 8, 2; *M* 7, 517-524). Ex primo capite evangelii Ioannis deducebat seriem aeonum (ib. 1, 8, 5; *M* 7, 532), et generatim evangelio Ioannis prae ceteris utebatur (ib. 3, 11, 7; *M* 7, 884). Vixit autem Valentinus saltem usque ad a. 160. *Heracleon*, Valentini discipulus, scripsit commentarium in evangelium Ioannis, ut auctoritate huius evangelii confirmaret placita gnosticorum. Fragmenta huius operis nobis servavit Origenes in Commentario in Ioannem (*M* 14)<sup>1</sup>.

**109.** De *Marcione*, qui ante medium saeculum II ab ecclesia defecit (supra n. 80), *Irenaeus* ait: „Marcion ponticus . . . id, quod est secundum Lucam, evangelium circumcidens et omnia, quae sunt de generatione Domini conscripta, auferens . . . semetipsum esse veraciorem, quam sunt hi, qui evangelium tradiderunt, apostoli, suasit discipulis suis, non evangelium, sed particulam evangelii tradens iis“ (Adv. haer. 1, 27, 2; *M* 7, 688): „Et apostolos quidem adhuc, quae sunt iudaeorum, sentientes, annuntiasse evangelium, se autem sinceriores et prudentiores apostolis esse. Unde et Marcion, et qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt Scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes, secundum Lucam autem evangelium et epistulas Pauli decurtantes, haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi minoraverunt“ (ib. 3, 12, 12; *M* 7, 906). *Tertullianus* vero ait: „Tot originalia instrumenta [S. Scripturae] Christi delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur . . . rescindendo, quod retro credidisti, sicut et ipse confiteris in quadam epistula, et tui non negant, et nostri probant“ (De carne Christi 2; *M* 2, 755). Lucae evangelium Marcion ita mutavit et nomine auctoris non indicato edidit, ut simpliciter Marcionis evangelium vocaretur. De qua re *Tertullianus*: „Transeo nunc ad evangelii, sane non iudaici sed pontici, interim adulterati demonstrationem, praestructuram ordinem, quem aggredimur. Constituimus imprimis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis et post apostolos. . . . Contra Marcion evangelio, scl. suo, nullum adscribit auctorem, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere. . . . Nam ex iis commentatoribus, quos habemus, Lucam videtur Marcion elegisse, quem caederet. Porro Lucas non apostolus, sed apostolicus, non magister, sed discipulus, utique magistro minor; certe tanto posterior, quanto posterioris apostoli sectator, Pauli sine dubio, ut, etsi sub ipsius Pauli nomine evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti, destituta patrocinio anteces-

<sup>1</sup> Cf. *Tischendorf*, Wann wurden unsere Evangelien verfaßt? 47 sqq.

sorum“ (Adv. Marc. 4, 2; *M* 2, 363 sq.). „Sed enim Marcion nactus epistulam Pauli ad Galatas, etiam ipsos apostolos sugillantibus . . . conititur ad destruendum statum eorum evangeliorum, quae propria et sub apostolorum nomine eduntur vel etiam apostolicorum, ut scl. fidem, quam illis adimit, suo conferat. . . . Si apostolos praevericationis et simulationis suspectos Marcion haberi queritur usque ad evangelii depravationem, Christum iam accusat accusando, quos Christus elegit“ (ib. 3).

Ergo Marcion non negabat evangelia scripta esse aetate apostolorum, sed dicebat iam apostolos corrupisse veram doctrinam, quam ipse puram hausisset e Paulo et tertio evangelio, cuius scriptorem Lucam esse negat, cum sit primitivum evangelium, a Christo traditum Paulo, dummodo eliminarentur ex his scriptis, quae iudaizantes adiecissent, ut sic purum evangelium Christi restitueretur. „Quod ergo pertinet ad evangelium Lucae, quatenus communio eius inter nos et Marcionem de veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion aliquando crediderit, cum et pecuniam in primo calore fidei catholicae ecclesiae contulit, projectam mox cum ipso, posteaquam in haeresim suam a nostra veritate descivit. . . . Si enim id evangelium, quod Lucae refertur penes nos (viderimus, an et penes Marcionem), ipsum est, quod Marcion per antitheses suas arguit ut interpolatum a protectoribus iudaismi . . . utique non potuisset arguere, nisi quod invenerat. Nemo post futura reprehendit, quae ignorat futura: emendatio culpam non antecedit. Emendator sane evangelii, a tiberianis usque ad antoniana tempora eversi, Marcion solus et primus obvenit, exspectatus tam diu a Christo paenitente iam, quod apostolos praemisisse properasset sine praesidio Marcionis. . . . Itaque dum emendat, utrumque confirmat: et nostrum anterius, id emendans, quod invenit, et id posterius, quod de nostri emendatione constituens suum et novum fecit“ (ib. 4).

Itaque cernitur, quam vere S. *Irenaeus* dixerit ipsos quoque haereticos testimonium reddere nostris evangeliiis (cf. *E. Jacquier*, Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne I<sup>2</sup> 144 sqq.).

**Prop. V. Genuinitas evangeliorum confirmatur ex discordia, quae regnat inter recentes eorum impugnatores.**

**110.** Sicut veritas simplex est et sibi constans, ita *error multiplex et versipellis*. Unde mirum non est, quod supposita veritate evangeliorum testimonia historica secundum nativum et obvium sensum accipiuntur et omnia sine ulla vi explicantur; negata vero hac veritate ad varia artificia recurrendum est, quae, quia a vero aliena sunt, necessario continuae mutationi subiciuntur. Harum mutationum progressum breviter exponere iuvat, ut ita melius appareat ultima ratio, ob quam tandem pervenerint ad negandam genuinitatem evangeliorum.

Rationalistae non primo loco inquirebant in veritatem historicam evangeliorum, sed, ut vidimus (n. 75), prius e principiis falsae philo-



sophiae statuebant facta, quae in evangeliiis narrarentur, non posse esse vera, cum miracula repugnarent. Tum cogitabant de modo explicandi evangelia, in qua explicatione alii alias vias inierunt<sup>1</sup>.

**111. Argumenta.** Initio saeculi XIX *Gottlob Paulus*, professor theologiae prius ienensis, dein heidelbergensis, sectator philosophiae kantianae, genuinitatem quidem evangeliorum synopticorum defendit (*Exegetisches Handbuch I*, Heidelberg 1830, 1 sqq.), sed „sublimiore hermeneutica“ seu, ut ipse ait, „methodo notiologico-philologica (ib. Vorbericht p. III) usus, omnia miracula, quae in evangeliiis narrantur, secundum leges naturales facta esse demonstrare conatur. Quo in coepto tam infelix fuit, ut hodie omnium, etiam rationalistarum, risu excipiatur. Dicit distinguendum esse inter factum, quod narretur, et iudicium, quod scriptor de hoc facto ferat; factum admittendum et explicandum esse, iudicium vero de natura facti formandum esse secundum proveciorem notitiam rerum naturalium, quam nunc habemus. Si e. g. secundum S. Lucam Zacharias vidit angelum (Luc. 1, 11), hoc ita intellegendum est: Fumus incensi formabat figuram, quam Zacharias pro incitato mentis statu angelum putabat. Verba angeli nihil sunt nisi alucinationes Zachariae, qui non per angelum usu vocis privatur, sed ipse sibi silentium imponit (ib. 75 sq.). Tres magi Ierosolymam veniunt, non ad quaerendum Messiam, sed mercaturae causa; postquam autem ibi audierunt de Anna et Simeone et iis, quae facta erant in templo, dicunt se etiam miram constellationem in oriente vidisse, quae probabiliter puerum recens natum indicaverit, ideo se velle quaerere puerum (ib. 201). Quinque milia hominum saturantur quinque panibus, non per multiplicationem panum, sed Iesus distribuit paucos panes, quos habet, et hoc exemplo incitati alii, qui escas habent, eas communicant cum iis, qui non habent (ib. II 212 sqq.).

**112.** *David Friedrich Strauss* in „Vita Iesu“ hanc methodum reicit ut violentam, arbitrariam, ficticiam, a sana ratione prorsus alienam<sup>2</sup>. Itaque loco huius naturalis explicationis Strauss ponit *explicationem mythicam*, quae admittit quaedam facta historica in vita Iesu, prout ab evangelistis narrantur, sed ea omnia, quae secundum leges naturales explicari nequeunt, vult esse mythos, i. e. fictiones, quae eo ortae sint, quod christiani omnia, quae de Messia in Vetere Testamento praedicta videbantur, Iesu Christo applicarint. Cum praeterea fieri soleat, ut de quolibet viro eximio mox fabulae circumferantur, pia credulitas augebat mira, quae de Christo narrabantur, et ita vita Iesu, qualis in evangeliiis invenitur, non quidem fructus praemeditatae fraudis, sed inconconsultae fictionis est (ib. 71 sqq.). Nihilominus ut mythi orientur, requiritur

<sup>1</sup> Cf. *L.-Cl. Fillion*, Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les Évangiles et la vie de Jésus-Christ (Paris 1911).

<sup>2</sup> Das Leben Jesu kritisch bearbeitet I<sup>3</sup> 41 sq.; cf. 24 sqq.

longius tempus; neque enim fieri potest, ut ii, qui referunt, quae ipsi viderunt et audiverunt, sine fraude mythos conficiant. Unde actum erit de hac mythica explicatione, si vel unum ex nostris evangeliiis est genuinum, id quod Strauss ipse fatetur (ib. 73).

Quare summi momenti erat ostendere nullum evangelium scriptum esse saeculo I, quia intra tam breve tempus non poterant produci mythi, qui mox per omnes ecclesias ut facta historica indubitanter recipiebantur (cf. *Cornely*, Introd. I 752 sqq.). Quapropter asseclae huius theoriae mythologicae acri studio conati sunt omnium evangeliorum originem saeculo II assignare. Sed post omnes labores ipsi rationalistae hodie concedunt aliqua evangelia saeculo I conscripta esse, quamvis inter eos maximus sit dissensus, cui evangelio prioritas concedenda sit. *Keim* censet evangelium Matthaei scriptum esse a. 70 (*Geschichte Iesu von Nazara I*, Zürich 1867, 47). Secundum *Volkmar* evangelium Marci ortum est a. 73 (*Marcus*, Zürich 1876, 50). Lucae evangelium communiter inter a. 70—80 ortum esse volunt. *Harnack* (*Chronologie*) vult evangelium Marci ortum esse inter a. 65—70, evangelium Matthaei inter 70—75, evangelium Lucae inter 78—93, evangelium Ioannis inter 80—110. In „*Neue Untersuchungen zur Apostelgeschichte und zur Abfassungszeit der synoptischen Evangelien*“ (Leipzig 1911) dicit Matthaeum scripsisse mox post interitum Ierusalem, Marcum non posterius quam inter a. 60—70, Lucam ante mortem Pauli. Nullus autem rationalistarum omnia evangelia saeculo II attribuit. Itaque fundamentum, cui Straussii theoria inimitur, ab ipsis rationalistis eversum est.

**113.** *Ferd. Christ. Baur* quidem, professor tubingensis et Straussii magister, demonstrare conatus est omnia evangelia scripta post a. 130, et quidem ad fallendum ex consilio composita esse (*Kritische Untersuchungen über die kanon. Evangelien*, Tübingen 1847). Sed „schola tubingensis“, quae dicitur, cum auctore suo mortua est, et magister a discipulis suis, quod attinet ad tempus originis evangeliorum, derelictus et refutatus est; et quamvis multa illius scholae principia hodie in exegesi protestantica vigeant, omnes tamen titulum „neotubingensium“ respuunt. (Cf. n. 115 nota et *La Science Catholique*, Arras 1894, 906 sqq.)

**114.** Iam res eo devenit, ut, quemcumque ex rationalistis sequi velis, omnes alios contra te habeas. Quamvis enim omnibus commune sit studium exterminandi auctoritatem evangeliorum, tamen in assertionibus ponendis acerrime inter se dimicant. Alii supponunt exstitisse aliquod „primitivum evangelium“, cuius nostra evangelia sint retractationes et amplificationes. Quam hypothesim invenit *I. G. Eichhorn*. Alii hoc negant. *Griesbach* scripsit commentationem, „qua Marci evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis scriptum esse monstratur“. *Griesbachii* propositiones ut evidentes („zur Evidenz erhoben“)

Strauss in sua Vita Iesu supponit. Sed eandem hypothesim *B. Weiss* inter omnes maxime absurdam denuntiat<sup>1</sup>. Alii admittebant multitudinem parvorum scriptorum et traditionum, quae collecta essent in nostra evangelia. Ita *Clericus, Semler, Michaelis, Loppe; Credner* autem, *Lachmann*, plurimi alii censent Matthaei evangelium esse combinationem ex evangelio Marci et vetere collectione dictorum Christi. *Ewald* putat Philippum prius collegisse quasdam historias, Matthaeum vero quaedam dicta Christi, et ex utroque fonte fluxisse nostra evangelia synoptica. *H. J. Holtzmann* vero censet haec omnia „memorabilia“, „corpusecula“, „diegeses“, de quibus loquuntur, nihil esse nisi spectra litteraria, quae iam diu in nebulas abierint et omnem fidem apud homines prudentes amiserint<sup>2</sup>.

*Holtzmann* ex sua parte in „Introductione“ multa proponit, quae nunc inter „criticos“ sint communiter admissa, citra dubitationem certa etc.; et quidam eius asseclae affirmant ab eo usque ad evidentiam evectam esse „theoriam duorum fontium“ (*Urmakus, Matthaeus-Logia*). Sed ubi vix liber in lucem prodiit, *B. Weiss* aliam introductionem scripsit ad *Holtzmann* refutandum (*Lehrbuch der Einleitung in das Neue Testament*, ed. 3, Berlin 1897, cf. 4 44 51). *I. Weiss* contendit exegesim criticam, non obstante magna diversitate opinionum in singulis quaestionibus, eo devenisse, ut omnes critici de summa rei consentiant, et ut omnes conclusiones principales sint immutabiliter firmatae (*Die Schriften des Neuen Testaments I*, ed. 2, Göttingen 1907, 35). Hoc eatenus tantum verum est, quatenus rationalistae ex „primitivo evangelio“ excludunt omnem revelationem divinam supernaturalem, omnem prophetiam, omne miraculum, omnem ecclesiam a Christo institutam, omnia sacramenta, et sola tenuia quaedam lineamenta religionis naturalis relinquunt. Sed de qualibet fere singulari quaestione inter se dissentiunt, ut patet ex libro *Fillion* iam laudato „Les étapes du rationalisme“ (cf. etiam *H. Felder, Jesus Christus II*, Paderborn 1914, 380 sqq., 2. ed., Paderborn 1921, et *Eug. Mangenot, Les Évangiles synoptiques*, Paris 1911, ubi p. 45 citantur verba *Loisy*: „La plus grande confusion règne encore sur le problème fondamental de la critique néotestamentaire et conséquemment des origines chrétiennes“). Quia scilicet rationalistae testes historicos audire nolunt, sed ob praedicta aprioristicae constructiones pro suo quisque ingenio excogitant, numquam ad concordiam pervenire possunt, et dissensione sua signum certum erroris ostendunt.

115. Hac igitur ratione solvitur obiectio, quam quis facere posset contra evangelia in hunc modum: permulti viri docti et bene versati

<sup>1</sup> Das Markus-Evangelium (Berlin 1872) 9.

<sup>2</sup> Einleitung<sup>3</sup> (Freiburg 1892) 352. Cf. praeterea *O. Hertwigs* Tabellen zur Einleitung ins Neue Testament<sup>4</sup> (Berlin 1872) 26 sqq., ubi brevi conspectu exhibentur haec systemata tam diversa et inter se pugnantia.

in historia antiquitatis christianae dubitant de genuinitate evangeliorum et consequenter de veritate multorum, quae in iis narrantur. Ergo haec genuinitas et haec veritas iam ob solam auctoritatem illorum virorum rationabiliter in dubium vocatur.

*Resp.* Illi viri non ob rationes historicas genuinitatem evangeliorum in dubium vocarunt, sed ne facta supernaturalia admittere cogantur; et omnia fere argumentis et criteriis internis absolvunt, argumenta vero externa, quae primaria sunt in quaestione historica, eatenus tantum respiciunt, quatenus eorum vim enervare conantur. Quia autem subiectiva sua placita sequuntur, fit, ut inter se mutuo conficiant et alter alterius auctoritatem destruant. Ergo eorum contradictio nihil probat contra genuinitatem et veritatem evangeliorum. „Illa enim, quae ante aliquot annos proposita sunt, hodie iam oblivione sunt obruta, et illa, quae hodie praedicantur, cras novis destruentur“ (*Cornely, Introd. III* 21). Cf. *Stimmen aus Maria-Laach XXII* 121 sqq. 419 sqq.; *XXIII* 109 sqq.

Apud cordatos quidem rationalistas paulatim praevalere coepit sententia scripta Novi Testamenti talia esse, qualia per tot saecula in ecclesia habita sint, veracia et fide digna<sup>1</sup>. Erraret tamen qui putaret cum hoc iudicio critico de litteraria qualitate scriptorum illorum coniunctum esse reditum ad iudicium ecclesiae de interna indole eorum, quae in illis scriptis narrantur vel docentur. Sub hac ratione *Harnack* e. g. non minus quam *Strauss* omnia miracula et omnia facta supernaturalia a priori excludit (cf. supra n. 75); sed cum alii requirerent saltem centum annos ad omnia naturaliter explicanda, ipse censet quadraginta annos sufficere. Ita in praefatione libri „*Lukas der Arzt*“ (*Leipzig* 1906) ait: „Diserte declaro, si agatur de rebus diiudicandis, multas positiones traditas fieri in dies improbabiliores et inopinatis sententiis locum cedere debere. . . . Annis 30—70 omnia, et quidem in Palaestina, in ipsa urbe Ierusalem, orta et facta sunt, quae postea sese evolverunt. . . . Saepe iudicia et explicationes primorum auctorum accipere non possumus.“ Ita *Lucas* sincere quidem narrat, quae vidit

<sup>1</sup> *A. Harnack* scribit: „Es hat eine Zeit gegeben — ja das große Publikum befindet sich noch in ihr —, in der man die älteste christliche Literatur einschließlich des Neuen Testaments als ein Gewebe von Täuschungen und Fälschungen beurteilen zu müssen meinte. Diese Zeit ist vorüber. Für die Wissenschaft war sie eine Episode, in der sie viel gelernt hat und nach der sie vieles vergessen muß. Die Ergebnisse aber der folgenden Untersuchungen gehen in ‚reaktionärer‘ Richtung noch über das hinaus, was man etwa als den mittleren Stand der heutigen Kritik bezeichnen könnte. Die älteste Literatur der Kirche ist in den Hauptpunkten und in den meisten Einzelheiten, literar-historisch betrachtet, wahrhaftig und zuverlässig. Im ganzen Neuen Testament gibt es wahrscheinlich nur eine einzige Schrift, die als pseudonym im strengsten Sinne des Wortes zu bezeichnen ist, der zweite Petrus brief. . . . Auch die Anzahl der im 2. Jahrhundert interpolierten Schriften (wie die Pastoralbriefe) ist sehr gering, und ein Teil der Interpolationen ist so harmlos wie die Interpolationen in unsren Gesangbüchern und Katechismen“ (*Chronol. d. altchristl. Lit. I VIII*).

vel ab aliis audivit, sed est vir superstitiosus, cui religio christiana maxime placet propter miracula et miraculosas sanationes; Christus ei praecipue est vir medicus superhumanus et exorcista („Christus der übernatürliche Medizinnmann und Exorzist“). Quare „soteriologia“ est pessimum elementum in scriptis lucanis (Lukas der Arzt 100). Artis criticae est exacte distinguere inter ea, quae Lucas historice refert, et inter ea, quae bona fide ex fontibus suspectis hausit vel quae ex suis superstitiosis ideis iudicavit. Inter testes eius fuerunt homines visionarii, omni sensu historico carentes, ut Philippus et filiae eius prophetissae (ib. 108). Exemplum Lucae ostendit, quot res disparatae et inconcinnae ea aetate in capite unius hominis pacifice cohabitare potuerint (ib. 117).

Quare Harnack monet, etsi conclusiones suae saepe cum placitis „criticorum conservativorum“ congruant, esse tamen essentialem differentiam. „Illi viri docti partim dependent ex praeiudiciis de canone Novi Testamenti, partim ex persuasione miracula vere facta esse, partim ex utraque re. Quare eorum positio suspecta reddidit eorum solidas investigationes et iudicia vel iis in rebus — quod utique maxime dolendum est —, quae cum illis praeiudiciis non cohaerent“ (Die Apostelgeschichte, Leipzig 1908, 224 sq.).

De his verbis quidam ex „criticis conservativis“, theologus anglicanus, *W. Sanday*, ait: „In fine operis sui [de Actibus apostolorum] Harnack se convertit contra eos, ex quorum parte percipit se plerumque argumentatum esse. . . . Videtur insinuare consensum esse magis accidentalem et apparentem, differentias vero esse essentielles. Maxime effert quaestionem de miraculis. . . . Iam audeo dicere nos in Anglia, non omnes, sed eos, qui ex officio in universitatibus theologiam docent, sentire in hac re cum illis [criticis conservativis], quorum socius sum in scribendo, et contra Harnackium stare, vel potius non tam contra Harnackium quam contra illam scholam, pro qua loquitur in illa paragrapho. . . . Mihi videtur maxime differentia inter nos et oppositantes nostros in eo esse, quod nobis magis conscius sumus tam methodum quam conclusiones nostras, praecipue in materiis maxime sublimibus, esse tentamina quaedam, neque censemus nos finem attingisse, neque volumus dogmata statuere neque ex cathedra loqui. . . . Interim non placet ponere propositiones absolutas, quibus sentimus investigationes nostras non posse nisi impediri. . . . Propositiones, qualis haec est: miracula non fieri, a priori decidunt quaestiones, quae non ita decidendae, sed diligenter et patienter examinandae sunt. . . . Methodus cauta multum praeferenda est praecipitatis assertionibus („Macht-sprüche“), quae — ut in hac quaestione de miraculo — tam promptae sunt ad concidendum nodum, quem non possunt solvere“ (Theologische Studien, Theodor Zahn zum 10. Oktober 1908 dargebracht, Leipzig 1908, 334 sq.).

Praecipue si audis de hac vel illa sententia ita constare inter „criticos“, ut de ea non iam rationabiliter dubitare liceat, maxima est

ratio dubitandi, quia tales assertiones iam toties inventae sunt falsae (cf. *H. Felder*, *Jesus Christus I*, Paderborn 1911, 80 sqq.).

### Prop. VI. Probatur genuinitas singulorum evangeliorum.

116. Hucusque ea argumenta protulimus, quae quattuor evangelia simul respiciunt. Exstant autem praeterea multa antiquorum testimonia, quibus huius vel illius evangelii genuinitas probatur. Haec igitur ad complendum argumentum nostrum breviter perstringenda sunt<sup>1</sup>. Ne tamen nimis excrescat materia, hic non intrabimus in quaestiones de vita sacrorum scriptorum, de fine, origine, lingua librorum sacrorum aliisque, quae in introductionibus in *S. Scripturam* videri possunt (cf. *Cornely*, *Introd. III* 15 sqq.). Quae a veteribus scriptoribus citantur ex evangeliiis et aliis scriptis Novi Testamenti, collegit *E. Jacquier*, *Le Nouveau Testament etc. I*<sup>2</sup> 39 sqq.

#### DE EVANGELIO MATTHAEI.

117. Genuinitatem evangelii Matthaei testatur *Papias*, episcopus ecclesiae hierapolitanae in Phrygia, de quo *Eusebius* ait: „Papias quoque, hierapolitanus episcopus, eadem aetate [atque Polycarpus] celebris fuit, vir imprimis disertus et eruditus ac Scripturarum peritus“ (*H. E.* 3, 36; *M* 20, 287; cf. *Hieron.*, *Ep.* 75, n. 3; *M* 22, 687). „Papiae vero quinque omnino feruntur libri, quorum titulus est Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως. Horum quinque dumtaxat Papias librorum meminit *Irenaeus* [Adv. haer. 5, 33, 4; *M* 7, 1214] his verbis: ‚Testatur‘, inquit, ‚haec Papias, Ioannis auditor<sup>2</sup> et sodalis Polycarpi, scriptor antiquus in

<sup>1</sup> Quae ab auctoritate ecclesiastica de singulis evangeliiis et eorum inter se relatione statuta sunt, infra in appendice (n. 651 sqq.) habentur.

<sup>2</sup> Papiam fuisse discipulum Ioannis apostoli *Irenaeus* (l. c. coll. n. 3) diserte testatur. Non dicit se hoc apud Papiam legisse, cum aliunde nosse potuerit. *Eusebius*, actus desiderio impugnandi chiliasmum et denegandi Ioanni apostolo Apocalypsim, ad quam chiliastae provocabant, studuit praeter Ioannem apostolum statuere alium Ioannem, qui esset scriptor Apocalypsis et magister Papias (*H. E.* 3, 39; *M* 20, 295 sq.). Quam sententiam multi posteriores amplexi sunt, multi alii impugnarunt. Verba Papias, de quibus maxime agitur, sunt haec: Εἰ δὲ πού καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τί Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Ματθαῖος ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν, ἅτε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ κυρίου μαθηταί, λέγουσιν. Propter duplicem igitur nominationem Ioannis multi censent sermonem esse de duobus, quibus nomen Ioannis fuerit. Alii hoc negant. Rationes negandi sunt haec: *Irenaeus* unum tantum Ioannem, Ephesi commorantem, eumque apostolum, novit. De alio Ioanne, auctore Apocalypsis, altum silentium apud omnes veteres. Alii, qui opus Papias legerunt, eum discipulum Ioannis apostoli habent, non obstante *Eusebii* conatu contrario, qui ceteroquin in Chronico cum ceteris con-sentit. Porro non potuit Papias in una eademque sententia per illa verba ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, ὁ μαθητὴς τοῦ κυρίου, velle significare duos diversos homines, nullo addito signo distinctionis. Immo in praecedentibus expresse dicit: παρὰ τῶν πρεσβυτέρων ἔμαθον, ergo ipse fuit discipulus apostolorum. Bis Ioannem nominat,

quarto operis sui libro. Sunt enim quinque ab eo libri compositi. Et haec quidem Irenaeus (Euseb., H. E. 3, 39; M 20, 295). Illud opus Λογιῶν κυριακῶν ἐξηγήσεως συγγράμματα (vel βιβλία) πέντε scripsit Papias circa a. 130. Pauca tantum fragmenta huius operis supersunt, quae collecta exstant apud Migne (5, 1255 sqq.), apud Funk (Opera Patr. apost., ed. 1901, I 346 sqq.), partim apud Kirch (Enchir. n. 48 sqq.).

In uno ex his fragmentis (secundo, Kirch n. 49; apud Euseb., H. E. 3, 39; M 20, 300) Papias ait: Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραϊδὶ διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο [Schwartz: συνετάξατο], ἡμῆνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος. Quid sunt ista λόγια, quae Matthaeus conscripsit? Hoc ex contextu videndum est. Iamvero in immediate praecedentibus (n. 48) ait: Μάρκος μὲν ἑρμηνευτῆς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν, οὐ μέντοι τάξει, τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα. Addit dein rationem, cur Marcus verba et facta Christi non τάξει conscripserit: Οὔτε γὰρ ἤκουσεν τοῦ κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ, ὕστερον δέ, ὡς ἔφη, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας, ἀλλ' οὐχ ὡσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λογίων (Funk I 358). Manifeste hic idem est: τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα οὐ τάξει γράφειν ἐτ: τῶν κυριακῶν λογίων οὐ σύνταξιν ποιείσθαι. Ergo nomine τῶν κυριακῶν λογίων Papias intellegit dicta et facta Christi. Quare si pergat: Matthaeus vero τὰ λόγια hebraice conscripsit, λόγια sunt eodem modo dicta et facta Christi, quo in praecedentibus. Praeterea Papias liber erat λογίων κυριακῶν ἐξήγησις. Atqui in hoc libro exposuit non dicta tantum, sed etiam facta, ut e. g. in eodem fragmento dicitur:

quia tempore, de quo loquitur, ceteris apostolis iam mortuis, Aristion et Ioannes etiamtum vivebant (τί εἶπεν, ἃ λέγουσιν). Ille vero alius Ioannes Eusebii est merum figmentum. Plura si cupis, invenies apud Cornely (Introd. III<sup>2</sup> 210 sq.), Knabenbauer (Commentar. in Ioan.<sup>2</sup> 3 sqq.), Michiels (L'origine de l'épiscopat, Louvain 1900, 301 sq.), Revue biblique 1900, 226 sqq. Diligentissime in hanc rem inquisivit Gutjahr (Die Glaubwürdigkeit des Irenäischen Zeugnisses 71 sqq.), qui loco illius ἀνέκρινον ponit συνέκρινον, sequens versionem syriacam, mox post Eusebii mortem factam, et verba Papias ita interpretatur: Papias olim a discipulis Domini (presbyteris) multa didicerat, quae in evangeliiis scripta non sunt, maxime ab Aristione et Ioanne. Haec omnia memoriae commendaverat et postea litteris consignare volebat. Quare si qui ex iis, qui comites apostolorum fuerant, ad eum veniebant, sciscitabatur, quid apostoli dixissent, et responsa accepta comparabat cum iis, quae ipse a magistris suis audierat, ut sic de omnibus maiorem certitudinem acquireret. Hic modus investigandi verum videbatur ei securior quam lectio scriptorum, quae fortasse unus alterve ex comitibus presbyterorum reliquerat (p. 94). Nomen presbyteri fuisse titulum honoris Ioanni datum, qui sub hoc nomine in tota Asia notus erat. Hunc Ioannem esse apostolum; alium autem Ioannem, qui in ecclesiis Asiae magna auctoritate et dignitate floruerit, non existisse, sed esse purum figmentum (p. 81 sqq. 97 sqq. 112 sqq. 119 sqq.). O. Bardenheuer ait: „Zu bedauern ist, daß namentlich in Schriften, die sich mit der Einleitung in das Neue Testament befassen, der Presbyter Joannes auch heute noch sein Spiel treibt. . . . Dieser Presbyter Johannes hat gar nicht existiert“ (Geschichte der altkirchlichen Literatur I<sup>2</sup> 447 sq.). Idem dicit J. Chapman, John the Presbyter and the Fourth Gospel (Oxford 1911) 41 sqq. Cf. tamen J. Hoh, Die Lehre des hl. Irenäus über das N. T. 150 sqq.

Ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἀμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου (Funk I 360). Ergo iterum ostenditur Papiam λόγια intellegere dicta et facta, quemadmodum revera in paucis illis fragmentis, quae supersunt, plura facta referuntur, „in quibus miracula quaedam et alia“ (Fragm. 2, n. 8. Funk I 357. Item fragm. 3 etc.). Tandem Eusebius et alii, qui opus Papias prae manibus habebant, intellexerunt eius testimonium de nostro evangelio Matthaei; neque quidquam notum fuit toti antiquitati christianae de alio opere Matthaei praeter nostrum evangelium. Atqui illi veteres testes sine dubio melius iudicare poterant de Papias testimonio quam quidam recentes „critici“, qui numquam eius libros conspicati, cum tanta confidentia affirmant Papiam locutum esse de collectione solorum sermonum Christi a Matthaeo facta, non de nostro evangelio tamquam a Matthaeo scripto<sup>1</sup>.

Audiamus quosdam ex veteribus de Matthaei evangelio testantes.

Origenes: „Sicut ex traditione accepi de quattuor evangeliiis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub caelo est citra controversiam admittuntur: primum scilicet evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero apostolo Iesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum iudaeis ad fidem conversis publicavit“ (apud Euseb., H. E. 6, 25; M 20, 582).

Eusebius Caes.: „Soli ex cunctis Domini discipulis Matthaeus et Ioannes scriptos nobis rerum commentarios reliquerunt; quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuisse perhibent. Nam Matthaeus, cum hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit.“ Dein addit tres priores evangelistas ea tantum narrare, quae post coniectum in vincula Ioannem gesta sint. „Matthaeus certe post quadraginta dierum ieiunium et post illam tentationem, quae ieiunium subsecuta est, historiae suae tempus designat his verbis (Matth. 4, 12): Audiens, inquit, quod Ioannes traditus erat, ex Iudaea secessit in Galilaeam.“ Et post pauca dicit a Matthaeo describi genealogiam Christi (H. E. 3, 24; M 20, 266 sq.).

Sed ne longi simus, audiamus unum tantum ex latinis Patribus, S. Hieronymum: „Matthaeus, qui et Levi, ex publicano apostolus, primus

<sup>1</sup> Harnack haec scribit: „Wenn man [im ersten Jahrhundert] den Komplex von Taten und Worten Jesu bezeichnen wollte, so sagte man wohl mit dem Presbyter Johannes bei Papias τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα, bzw. auch τὰ λόγια κυριακά (Euseb. III 39).“ Et in nota addit: „Daß letzteres so zu verstehen ist, kann hier nicht bewiesen werden. Ich stimme in dieser Auslegung Zahn bei“ („Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechts in den zwei ersten Jahrhunderten“, Leipzig 1910, 224). Zahn autem docet τὰ λόγια κυριακά apud Papiam per se quidem significare sermones Christi, esse autem denominationem a potiori, qua indicentur nostra evangelia Matthaei et Marci (Geschichte des Neutestamentlichen Kanons I 849 sqq.; cf. 892). Cf. E. Jacquier, Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne I<sup>2</sup> 92 sqq.

in Iudaea propter eos, qui ex circumcissione crediderant, evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit; quod quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum hebraicum habetur usque hodie in caesariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a nazaraeis, qui in Beroea, urbe Syriae, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quod ubicumque evangelista, sive ex persona sua sive ex persona Salvatoris, veteris Scripturae testimoniis abutitur, non sequatur septuaginta translatorum auctoritatem sed hebraicam, ex quibus illa duo (Matth. 2, 15 23) sunt: Ex Aegypto vocavi filium meum; et: Quoniam Nazaraeus vocabitur" (De viris illustr. c. 3; *M* 23, 613). Hieronymus igitur, sive evangelium, quod descripsit, vere erat Matthaei, sive, quod probabilius est, illud, quod vocatur „secundum Hebraeos“, sibi, ut omnes alii scriptores ecclesiastici, ex traditione persuasum habuit, illud evangelium, quod nos habemus, a Matthaео fuisse conscriptum. Quod si verum non est, tota vetus ecclesia in unum errorem conspiravit. Ceterum iam aetate Papiae in communi usu fuisse versionem graecam ostendunt illa verba: Ἡρμῆνευσεν [aoristus] δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατός ἕκαστος.

118. *Pantaenus*, olim sectae stoicae philosophus, per aliquem discipulum apostolorum conversus, postea scholae exegeticae alexandrinae praeses et Clementis Alexandrini magister factus est. De eo refert *Eusebius*: „Pantaenus ad indos usque penetrasse dicitur ibique evangelium Matthaei, quod adventum ipsius iam praevenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos repperisse; quibus scl. Bartholomaeus, unus ex duodecim apostolis olim, ut fama est, praedicaverat et evangelium Matthaei hebraicis conscriptum litteris reliquerat; quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur. Hic ergo Pantaenus post multa praeclare gesta tandem alexandrinae praefuit scholae, ubi partim viva voce, partim scriptis divinatorum dogmatum thesauros exposuit“ (H. E. 5, 10; *M* 20, 455). *Hieronymus* addit Pantaenum evangelium a se repertum Alexandriam tulisse (De vir. ill. c. 36; *M* 23, 651). In ecclesia autem alexandrina nulla umquam vel minima dubitatio erat de genuinitate nostri evangelii Matthaei; ergo evangelium, quod Pantaenus in India repperit, erat nostrum evangelium Matthaei.

119. *S. Irenaei* testimonium iam audivimus (supra n. 81 sq.). Non putandus est Irenaeus in iis, quae de Matthaei evangelio dicit, Papiae auctoritate niti, tum quia ad eum non provocat, ut alibi (5, 33, 4), tum quia plura narrat quam Papias<sup>1</sup>. Ut autem ostendatur Irenaeum nostrum evangelium Matthaео attribuisse, sufficit in memoriam revocare c. 9 libri 3 adv. haer. (*M* 7, 868 sqq.), ubi haec leguntur:

<sup>1</sup> Cf. *O. Bardenheuer*, Geschichte der altkirchlichen Literatur I<sup>2</sup> 170.

„Matthaeus enim apostolus . . . ait Ioannem praeparantem Christo viam . . . eam paenitentiam, quae a malitia revocaret, annuntiantem dixisse: ‚Progenies viperarum, quis vobis monstravit fugere a ventura ira? . . .‘ (Matth. 3, 7 sq.). Iterum ait Matthaeus (3, 3), similiter autem et Lucas: ‚Hic est enim, qui dictus est a Domino per prophetam: Vox clamantis in deserto. . . .‘ Iterum autem et de angelo dicens Matthaeus ait: ‚Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph‘ (Matth. 2, 13). . . . Matthaeus autem magos, ab oriente venientes, ait dixisse: ‚Vidimus enim stellam eius. . . .‘ (Matth. 2, 2 sqq.). Adhuc ait in baptisate Matthaeus: ‚Aperti sunt ei caeli. . . .‘ (Matth. 3, 16).“ Multis aliis citatis concludit: „Et sic quidem Matthaeus.“ In summa 281 textus e Matthaео citantur. Ergo Irenaeus manifeste docet primum nostrum evangelium scriptum esse a Matthaео. Idem valet de *Clemente Alex.* (supra n. 84). De *Origene* et aliis, qui iam integros commentarios in Matthaеum ediderunt, nihil dicendum restat. Primum talem commentarium scripsisse videtur *Theophilus Antioch.*, quem *Hieronymus* se legisse testatur (Prol. in Matth.; *M* 26, 20).

*S. Iustinus M.* non indicat quidem nomina evangelistarum, sed multa ex Matthaео allegat, saepe addens haec scripta esse in „commentariis apostolorum“ vel „in evangelio“. Ita in Dialogo a numero 98 Tryphoni exponit psalmum 21 in Christo impletum esse. Provocat ad Matth. 26, 39 et 27, 46, dein pergit: „Etiam in evangelio dixisse scribitur: ‚Omnia mihi tradita sunt a Patre; et nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, et cui Filius revelaverit. . . .‘ (Matth. 11, 27). Et unum ex discipulis suis, qui eum revelante ipsius Patre Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur (Matth. 16, 17 sq.). Et cum eum Filium Dei esse in commentariis apostolorum scriptum legamus, et Filium Dei dicimus illum et esse intellegimus“ (l. c. n. 100; *M* 6, 710). „Quod autem tertio die, postquam crucifixus fuisset, resurrecturus erat, scriptum est in iisdem commentariis (Matth. 12, 38 sq.): homines vestri generis, cum disputarent cum eo, dixisse: ‚Ostende nobis signum‘; eumque respondisse: ‚Generatio prava et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionaе“ (l. c. n. 107; *M* 6, 723). Haec exempli causa dicta sufficiant. Iustinum non habuisse meram sermonum collectionem, ostendunt facta, quae ex Matthaео refert, ut adventus magorum, fuga in Aegyptum, caedes infantium, baptismus Christi, multa alia (n. 78 88 103 etc.). Praeterea a Iustino primum nostrum evangelium adhibitum esse inde quoque ostenditur, quod vaticinia messianica non raro eo modo citat, qui neque cum textu hebraico neque cum LXX, sed cum Matthaео consentit. Exempla habes apud *Cornely* (Introd. III 27). In *Barnabae* Epistula, quae certe ante a. 120 scripta est, habetur hoc: ὡς γέγραπται πολλοὶ κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί (4, 14). Hoc autem scriptum est Matth. 20, 16 et 22, 14. Idem scriptor ut verbum Christi refert se non venisse vocare iustos, sed peccatores (5, 9), quod invenitur apud

Matth. 9, 13. Idem citatum habetur apud *S. Clementem Romanum* (?) praemissis verbis: „Alia quoque Scriptura dixit“ (Epist. 2 ad Cor. 2, 4). Idem Clemens citat Matth. 26, 24 (Epist. 1 ad Cor. 46, 8) et quaedam alia. *S. Ignatius M.* allegat Matth. 3, 15 (Smyrn. 1, 1), Matth. 10, 16 (Polycarp. 2, 2), Matth. 12, 33 (Eph. 14, 2) etc., non addens: „sicut scriptum est“ vel simile quid. *S. Polycarpus*: „Dixit Dominus, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma“ (Phil. 7, 2 ex Matth. 26, 41 vel Marc. 14, 38. Cf. Phil. 2, 2 et 3, 1 cum Matth. 7, 15; 15, 13). In *Doctrina duodecim apostolorum* (8, 2) haec leguntur: „Neque orate sicut hypocritae, sed sicut praecepit Dominus in evangelio suo; ita orate: Pater noster . . .“ et sequentia, prout leguntur apud Matth. 6, 9 sqq. „Dominus dixit: Ne date sanctum canibus“ ex Matth. 7, 6 (9, 5), et alia, ut Matth. 24, 30; 26, 64 (16, 6—8)<sup>1</sup>.

Posteriores scriptores omittimus, quorum nullus est, qui verba huius evangelii ut a Matthaeo scripta non alleget; item veterum haeticorum testimonia iam audivimus.

Ceterum ipsum evangelium se prodit ut librum a iudaeo pro iudaeis scriptum. Ita iam initium: Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Neque enim graecus ita scriberet, bene vero iudaeus: *Sepher toledoth Jeshua hammashiach*. Ita illud: Καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ (Matth. 1, 21). Haec ratio: Iesus vocatur, quia salvum facit populum, a graeco intellegi nequit, sed iudaeo patet: *Jeshua, ki hu joshia*. Item verba Iesu ad Petrum: „Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi. . . . Et ego dico tibi, quia tu es Petrus [kepha], et super hanc petram [kepha] aedificabo ecclesiam meam; et portae inferi non praevallebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris . . . et quodcumque solveris . . .“ (Matth. 16, 17 sqq.), quae omnia non sunt graeca sed semitica.

Obiciunt quidam critici nostrum evangelium Matthaei non esse versionem, sed graece scriptum. Id inter alia probant ex tribus lusibus verborum, qui in lingua hebraica vel semitica fieri non possint. Ita 6, 16: ἀφανίζουσιν ὅπως φανώσιν; 21, 41: κακοὺς κακῶς ἀπολέσει; 24, 30: καὶ τότε κόψονται πάσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Respondet *Knabenbauer*: „Pauca sunt haec et tenuia valde. Nam quem fugiat eiusmodi lus in versione aliqua etiam casu oriri? Legitur 2 Mach. 7, 30: „Non oboedio praecepto regis, sed praecepto legis;“ num propterea dicendum erit librum ab origine esse latine scriptum? Similia habes in versione latina evangelii Matthaei 23, 14: *orationes orantes* [μακρὰ προσευχόμενοι]; 23, 24: *excolantes culicem* [διυλίζοντες τὸν κύνωπα]; 24, 29: *luna non dabit lumen* [ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος]; 24, 41: *molentes in mola* [ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλῳ];

<sup>1</sup> *E. Jacquier* ait: „La Didache puise à pleines mains dans l'Évangile de saint Matthieu“ (Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne 1<sup>er</sup> 65).

24, 46: cum *venerit, invenerit* [ἐλθὼν εὐρήσει] etc., quae omnia graece non exhibent talem lusum; num inde inferes librum esse primitus latine scriptum? (Comment. in Matth. 1<sup>er</sup> 10, ubi aliae quoque obiectiones rationalistarum solvuntur, quae etiam minoris momenti sunt.)

Totum evangelium Matthaei supponit lectores, quibus iudaeorum locutiones et consuetudines notae sunt, supponit cultum et templum Veteris Testamenti etiamtum existentia (cf. e. g. 6, 2 5 7; 11, 16 sq.; 15, 1—20; 17, 24 sqq.; 22, 15—44; 23, 1—38; 24, 20; 27, 3—10 65 sq.; 28, 11—15); ergo iudaeos respicit. His ostendit Iesum vere esse Messiam, quem iudaei exspectabant, et regnum messianicum non aliud esse nisi ecclesiam a Christo fundatam. Idea messianica ita praevallet in toto opere Matthaei, ut iam hinc concludere liceat illud primo loco pro iudaeis esse conscriptum, non pro gentilibus, qui Messiam non exspectabant neque in Iesu ut Messia recipiendo eas difficultates experiebantur, quas Matthaeus remove studet.

Quae rationes abunde sufficiunt, ob quas catholici scriptores omnes et multi etiam acatholici constanter doceant primum nostrum evangelium genuinum Matthaei opus et contrariam opinionem rationalistarum ut falsam reiciendam esse (cf. *Fr. X. Pözl*, Das Matthäusevangelium, Münster 1909).

#### DE EVANGELIO MARCI.

120. De evangelio Marci refert *Papias*: „Et hoc presbyter dicebat: Marcus, Petri interpres, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter conscripsit, non tamen ordine, quae a Christo aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim audiverat Dominum neque eum sectatus fuerat, sed, ut dixi, postea Petrum, qui pro audientium utilitate evangelium praedicabat, non autem velut sermonum Domini historiam contexens, ita ut Marcus nihil peccaret, nonnulla ita scribens, prout memoria repetebat; id quippe unum studebat, ut ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret, neve quid falsi iis affingeret“ (*Eusebius*, H. E. 3, 39: *M* 20, 299). Marcus revera „nonnulla, ἐνια“ miracula et sermones scripsit extra ordinem historicum; et ideo ex eo, quod Papias dicit Marcum non omnia ordine tradidisse, nullo modo concludere licet Papiam non locutum esse de nostro evangelio.

121. *Clemens Alex.* haec refert: „Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset et Spiritu Sancto afflatus evangelium promulgasset, multi, qui aderant, Marcum, utpote qui Petrum iam dudum sectatus esset et dicta eius memoria teneret, exhortati sunt, ut, quae ab apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur evangelium composuit illisque, qui illud ab ipso petierant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri nec, ut fieret, incitavit“ (*Eusebius*, H. E. 6, 14; *M* 20, 551. Cf. 2, 15; *M* 20, 172). Similia sunt testimonia *Irenaei*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Fragmenti murtoriani* (supra n. 80 sqq.). *Irenaeus* tricies allegat Marcum.

122. Verum quidem est evangelium Marci raro a SS. Patribus citari, sed ratio est, quia Marcus paucissima habet, quae ei propria sunt. Ita e. g. ipse solus narrat filios Zebedaei a Domino vocatos esse Boanerges seu filios tonitruum (Marc. 3, 17). Hoc autem factum S. Iustinus, qui evangelia vocat „commentarios apostolorum“, dicit scriptum esse in „Commentariis eius“ [Petri] (Dial. c. Tryph. n. 106; M 6, 724), quia scl. ad Petrum speciali modo referebatur evangelium Marci. Ceterum huius evangelii existentiam evidenter iam testantur *Tatianus* et veteres versiones syriacae.

Internae rationes, quae contra evangelii huius genuinitatem pugnent, adversarii nullas vel saltem nullas serias habent, sed quorundam versuum (16, 9—20) authenticam in dubium vocant (cf. infra n. 652, 2; *Cornely* III 93 sqq.; *Knabenbauer*, In Marc. 16, 9 sqq., ed. 2, p. 446 sqq.).

Criticorum iudicium de evangelio Marci miras vicissitudines subiit. Diu neglectum Marci evangelium ultimis decenniis saeculi XIX summis laudibus praedicarunt ut primum et optimum et fontem ceterorum. Sed inde ab initio fere saeculi XX coeperunt illud parvi pendere et conviciis proscindere. Ita *A. Harnack* queritur, quod Marcus inquisitorem rerum in desperationem agat contradictionibus suis, inconcinnitatibus, incredibilibus narrationibus (Beiträge zur Einleitung in das Neue Testament II, Leipzig 1907, 173). *Fr. Spitta* fundamentalem errorem, quo impediatur omnis progressus in solvenda quaestione synoptica, dicit esse illam Marci aestimationem, secundum quam eius evangelium sit primum et fons Matthaei et Lucae (Die synoptische Grundschrift in ihrer Überlieferung durch das Lukasevangelium, Leipzig 1912, p. v sq.). Ultima et propria ratio displicentiae est, quod Marcus describit Iesum ut verum Dei Filium, perfectionibus divinis instructum. Ita *I. Weiss* ait: Iam apud Marcum legimus maxime crassa et omnem vim imaginandi superantia miracula omnipotentiae; Iesus ambulat super aquam et multiplicat panes sine ulla virium exertione, quasi res aliter esse non possit. Itaque aut cum fidelibus priorum temporum haec agnoscimus ut miracula omnipotentiae, aut concedendum est has omnes res immoderatas per fidem veterum christianorum fictas et Christo attributas esse. Hoc alterum necessario admittendum est omni homini, cui scientifica mundi contemplatio non ludus est sed res valde seria (Die Schriften des Neuen Testaments I [Göttingen 1907] 49). Hoc obliviscendum non est: Principalis ratio impugnandi evangelia est falsa illa philosophia, quam appellant scientificam mundi contemplationem; rationes vero historicae vel criticae secundo tantum loco in auxilium vocantur (cf. supra n. 75).

Cum Marcus non scripserit biographiam Christi, sed solum ostendere voluerit Christum se proposuisse et probasse Filium Dei, et a Deo constitutum esse iudicem mundi, irrationabiliter ei obiciuntur omissio factorum gravium, quae ad biographiam Christi pertineant, vel neglectio ordinis chronologici, similia. Marcus in scribendo libro ipse sibi

certum finem proposuit, et media convenientia ad hunc finem elegit. Rationalistae autem inepte agunt volentes ei praecipere, ad quem finem et qua ratione scribere oportuerit. Dicunt contradictiones esse in evangelio, cum ex una parte Iesus ita doceat et tam manifesta miracula patret, ut omnes concludant eum esse Messiam, et ex altera parte prohibeat, ne miracula divulgentur neve dignitas messianica manifestetur (cf. Marc. 1, 21 sqq.; 2, 1 sqq.; 7, 32 sqq.; 8, 30; 9, 8; 11, 1 sqq. etc.). Sed quae in his sit contradictio, soli rationalistae sciunt. Nam Iesus statim ab initio progreditur ut legatus Dei ad annuntiandum regnum messianicum proxime instans; sed quando volebat cavere nimiam commotionem et concursum populi (cf. Marc. 1, 45; 2, 2), vetabat, ne miraculorum eius famam ubique spargerent; quando vero tale periculum non erat, non vetabat, immo contrarium iubebat (Marc. 5, 19). Quo magis homines intellegebant Iesum non venisse ad restituendum regnum politicum sed ad instituendum regnum spirituale, eo minus necessario erat prohibitio divulgandi miracula. Quare apostolos monet, ut omnia, quae de ipso viderant et audierant, non praedicarent nisi post mortem eius, quando periculum seditionis politicae ablatum erat. Iesus igitur ut bonus paedagogus agit, docens quae docenda erant, sed simul rationem habens circumstantiarum et dispositionis auditorum. Obiciunt etiam plane indignum esse Messiam obscuris sermonibus uti ad hunc finem, ut audientes ipsum non intellegant (Marc. 4, 11 sq.). Sed evangelista satis indicat, quo sensu hic agendi modus sit accipiendus; nam apud Is. 6, 9 sq., cuius verba citantur, indicitur populo poena infidelitatis; quia noluerunt audire Deum, clarior instructio iis subtrahitur. Similiter iudaei tempore Christi, cum doctrinae manifestae Christi infidelitatem opposuissent, ita ab eo instruuntur, ut qui bonae voluntatis sunt, verum sensum parabolarum invenire possint, qui vero malae voluntatis sunt, modo velato tantum doctrinam accipiant (cf. Marc. 3, 5; 4, 33).

Ceterum hae et aliae difficultates non sunt novae sed tritae, quae in commentariis et aliis libris iam saepissime ab exegetis catholicis explicatae sunt; rationalistae autem eas ut argumenta acris ingenii et indefessi laboris iactant. Quo agendi modo solum ostendunt se sensum rei ludicrae amisisse, cum simplicem Marci narrationem explicare studeant incredibilibus artificiis, quasi evangelium non exhibeat facta sed persuasiones dogmaticas christianorum ad instar rerum gestarum propositas („Gemeintheologie“). Haec thesis ad expositiones tam contortas eos seducit, ut quae alius statuit, alius irrideat; unde fit, ut critica criticam consumat (cf. *J. Rohr*, Die Glaubwürdigkeit des Markus-evangeliums, Münster 1909). Si demptis omnibus rebus supernaturalibus evangelium Marci est primitivum evangelium, totus fons christianae religionis fuit doctrina satis simplex alicuius doctoris iudaei, qui fuit vir bonus et pius, praeterea nihil. Vix quidquam magis ieiunum fingi potest quam evangelium ita mutilatum. Et ex hac imbecilli causa explicant tam ingentes effectus — nomine scientiae.

## DE EVANGELIO LUCAE.

123. Praeter haereticos Basilidem, Valentinum, Marcionem aliosque, qui iam initio saeculi-II evangelio Lucae abusi sunt, huius evangelii genuinitatem testantur Patres, quos in Prop. I (n. 80 sqq.) laudavimus.

In *Doctrina duodecim apostolorum* illa verba: „Si quis sustulerit pallium tuum, da ei et tunicam“ (1, 4), eodem modo occurrunt quo apud Lucam (6, 29); nam apud Matth. (5, 40) inverso ordine habentur. Ibidem (16, 1) allusio ad verba Lucae (12, 35) habetur. *S. Clemens* (vel alius scriptor initio saeculi II): „Dicit Dominus in evangelio: si parvum non servatis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis: Qui fidelis est in minimo, et in magno fidelis erit“ (2 ad Cor. 8, 5). Ultima verba ad litteram sunt ex evangelio Lucae (16, 10), priora secundum sensum tantum (16, 12). Sed rationi congruum non est propterea hunc textum ad ignotum quoddam evangelium apocryphum referre velle (cf. *Clem.* 1 ad Cor. 46, 8 cum Luc. 17, 2). Apud *Polycarpum* (2, 3) leguntur, quae apud Lucam (6, 36 37 38). *S. Iustinus* varia ex „Commentariis apostolorum“ affert, quae in solo evangelio Lucae leguntur, ut illud de sanguine sudore, quod supra (n. 88) iam vidimus. En aliud exemplum: „Apostoli in commentariis suis, quae evangelia vocantur, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt; eum scl. accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem“ (Apol. 1, n. 66; *M* 6, 429). Quae verba apud solum Lucam (22, 19) occurrunt. Etiam illa verba: „Pater, in manus tuas commendo spiritum meum“ (Dial. c. Tryph. n. 104; *M* 6, 721) sunt ex evangelio Lucae (23, 46). *S. Theophilus Antioch.* allegat Luc. 18, 27 (Ad Autol. 2, 13; *M* 6, 1072) et teste Hieronymo aliquas parabolas ex evangelio Lucae explicavit (*Hier.*, Ep. 121, 6; *M* 22, 1020). *Clemens Alex.* allegat evangelium secundum Lucam (Strom. 1, 21; *M* 8, 885). *Irenaeus* 200 citata ex Luca habet<sup>1</sup>.

124. Principalis obiectio contra tertium evangelium est haec, quod Lucas praesidi Cyrino seu Quirinio falso attribuat „descriptionem universi orbis“ (Luc. 2, 2), quae revera multo post locum habuerit.

Ad hanc obiectionem *varia respondenda* sunt:

a) Supponamus, quod quidam volunt, Lucam censum quendam, qui multo post factus sit, priori tempori assignasse; esset error, qui nihil probaret contra genuinitatem libri (historice spectati; nam de inspiratione hic non agimus), quia etiam in libro genuino potest talis error occurrere.

b) Lucas nequaquam posteriorem censum falso loco ponit: nam alteram „professionem“ bene novit (Act. 5, 37), utque ab hac distingueret eam, quae facta est circa tempus nativitatis Christi, videtur uti illis verbis: Haec descriptio *prima* facta est<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *M. Meinertz*, Das Lukasevangelium (Münster 1910).

<sup>2</sup> *M. J. Lagrange* magis probabilem censet versionem: „Haec descriptio facta est, antequam Cyrinus esset praeses Syriae.“ Sumit enim vocem πρώτη sensu comparativo et ἡγεμονεύοντος ut genitivum comparationis (Revue Biblique 1911, 80 sqq.).

c) Quod illa prior descriptio ab aliis scriptoribus non indicatur, est argumentum ex silentio, quod plane nihil probat. Lucas multa alia narrat, quae ab aliis scriptoribus tacentur quaeque satis mira videri possunt, ut; quod Sergius „proconsul“ Cypri dicitur (Act. 13, 7 etc.), cum praefecti provinciarum caesarearum vocarentur propraetores; quod magistratus thessalonicenses vocat πολιάρχας (Act. 17, 6), non πολιάρχους; quod Publium, Melitae insulae magistratum, vocat τὸν πρῶτον τῆς νήσου (Act. 28, 7). Iamvero quamvis hi tituli omnino sint inusitati ideoque suspicionem movere possint, ex inscriptionibus recens inventis patet haec omnia rectissime a Luca fuisse dicta (*Cornely*, Introd. III 155). Unde genuinitati et veritati evangelii Lucae novum testimonium accedit.

d) Itaque licet posteriores scriptores (Tacitus, Suetonius, Flavius Iosephus), quorum silentium contra Lucam urgent, nihil de illa descriptione dixerint, Lucas maiore fide dignus est, ut qui propior fuerit iis eventibus, quos narrat. Praesumptio omni modo stat pro Luca contra profanos scriptores. Certe Flavius Iosephus non minus caudicum quam historicum agit, ideoque multa tacet, quae iudaeis ingrata erant. Tacitus et Dio Cassius tempora, de quibus hic sermo est, non de industria tractant; Suetonius magis indolem quam res gestas Augusti depingit. Unde certe horum silentium nihil contra Lucae dictum probat.

e) Ceterum ne verum quidem est omnes alios scriptores silere de illa descriptione, quam Lucas commemorat. *Suetonius* enim et *Tacitus* testantur imperatorem Augustum confecisse „rationarium imperii“ (*Suet.*, Octav. 28; cf. 101), i. e. libellum, quo „opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones, quae cuncta manu sua perscripserat Augustus“ (*Tac.*, Ann. 1, 11). Haec autem scribere non potuit Augustus, nisi imperii descriptionem instituisset. *Cassiodorius* autem in epistula publica, quam pro ratione muneris ad agri mensores dedit, testatur: „Augusti temporibus orbis romanus agris divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda“ (Variarum l. 3, ep. 52; *M* 69, 608). *Suidas* s. v. ἀπογραφή ait: „Imperator Augustus viginti viros spectatae virtutis et integritatis delectos in omnem terram subditorum misit, qui et hominum et bonorum descriptionem facerent, partemque iustam inde iussit in aerarium inferri. Haec prima fuit descriptio, cum praedecessores eius nihil non eripissent possessoribus, adeo ut publicum crimen essent divitiae.“ Iamvero tum *Cassiodori* tum *Suidae* verba ostendunt eos ex aliis fontibus praeter Lucam hausisse. Etiam *Hippolytus* loquitur de hoc censu (In Dan. 4, 9; ed. Bonwetsch).

*Tertullianus* scribit: „Sed et census constat actos sub Augusto tunc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius [Christi] inquirere potuissent“ (Contra Marc. 4, 19; *M* 2, 405. Cf. Adv. iudaeos 9;



M 2, 624). Difficultas est, quod Tertullianus dicit censum factum per Saturninum, Lucas vero per Quirinium. Alii censent Saturninum fuisse praesidem, Quirinium autem procuratorem (M 2, 369, nota c); alii vero descriptionem incohatam esse sub Saturnino (746 U. C.), finitam sub Quirinio (750 U. C.), et ideo dictam esse Quirinii descriptionem (Cornely, Introd. III 158); alii eam incohatam esse sub Quirinio et finitam sub Saturnino (cf. Stimmen der Zeit CIV 234). Quo supposito facile apparet, cur Lucas omnino Quirinii mentionem fecerit; voluit enim cavere, ne haec prima descriptio cum altera sub Quirinio facta confunderetur. Itaque patet, quomodo ex hac re nulla solida obiectio contra Lucae dictum moveri possit. Plura de hac re vide apud Knabenbauer, In Luc. 103 sqq., et Hontheim, Der Katholik 1907, II 15 sqq.

## DE EVANGELIO IOANNIS.

125. Papias testimonium refertur in Prologo ad evangelium Ioannis (ex codice saeculi IX): „Incipit argumentum secundum Iohannem. Evangelium Iohannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Iohanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine Hierapolitanus, discipulus Iohannis carus, in exotericis, id est in extremis quinque libris retulit.“ De hoc testimonio diversimode iudicant docti (cf. Funk I 373, in Papias fragm. 18; Zahn, Gesch. des neutestam. Kanons I 898 sqq.; Belser, Einleit. in d. Neue Testam.<sup>2</sup> 239 244; Gutjahr, Die Glaubwürdigkeit des Iren. Zeugnisses 170 sq.; Corssen in Texte und Untersuchungen XV [1897] 114 sq.; Harnack, Marcion 9<sup>o</sup> sqq.). Clemens Alex. hanc traditionem priorum presbyterorum (τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων) refert: „Ioannes, omnium [evangelistarum] postremus, cum videret in aliorum evangelii ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, Divino Spiritu afflatus spiritale evangelium, familiarum suorum rogatu, conscripsit“ (Eusebius, H. E. 6, 14; M 20, 551). Eusebius, postquam ex Clemente Alexandrino varia narravit de Iohanne, haec addit: „Iam vero eiusdem apostoli scripta, quae omnium consensu ei adscribuntur, recenseamus. Et primo quidem evangelium ipsius, universis per orbem ecclesiis notissimum, sine ulla dubitatione suscipiendum est.“ Dein ex vetere traditione fusius loquitur de occasione et fine huius evangelii scribendi et maxime effert Ioannem voluisse supplere ea, quae ceteri evangelistae omiserint (H. E. 3, 24; M 20, 263 sqq.)<sup>1</sup>. Apud Irenaeum 115 citata ex Iohanne leguntur. Secundum eum (Adv. haer. 3, 11, 1; M 7, 880) Ioannes scripsit evangelium contra Cerinthum. Theophilus Antioch.: „Haec nos docent Scripturae Sanctae et quotquot Spiritu Sancto afflati erant, inter quos S. Ioannes dicit: In principio erat Verbum...“ (Ad Autol. 2, 22; M 6, 1088). De S. Iustino M. iam in thesi

<sup>1</sup> H. J. Cladder ostendit in specie evangelium Ioannis esse supplementum evangelii Marci: Johannes Zebedaei und Johannes Marcus (Stimmen aus Maria-Laach LXXXVII [1913/14] 136 sqq.).

prima (n. 89) dictum est, qui testatur se doctrinam de Verbo ex apostolicis commentariis hausisse: „Unigenitum illum Patris universorum esse, proprie Verbum et virtutem ex eo genitum atque postea hominem natum ex virgine, ut ex commentariis didicimus, iam antea demonstravi“ (Dial. c. Tryph. n. 105; M 6, 719 722)<sup>1</sup>. Hanc doctrinam de Verbo latius exponit Apol. II 6 (M 6, 454) eo modo, ut nisi irrationabiliter dubitari non possit, quin prae oculis habuerit primum caput evangelii Ioannis. S. Iustini aequalis fuit S. Claudius Apollinaris, ex cuius scriptis duo tantum fragmenta exstant, in quorum altero ait: Filius Dei „traditus est in manus peccatorum, ut crucifigeretur, qui exaltatus est super cornua unicornis, et cuius latus percussus est, et qui ex latere suo effudit duo purgatoria, aquam et sanguinem, verbum et spiritum, et qui sepultus est in die paschatis, lapide imposito sepulturae“ (M 5, 1297). Haec in solo evangelio Ioannis narrantur. Quibus adde testimonia Irenaei, Fragmenti muratoriani, Tertulliani, Tatiani<sup>2</sup> etc. Etiam apud Patres apostolicos varia inveniuntur, quae nostrum evangelium satis aperte respiciunt, ut illud S. Ignatii M.: „Spiritus non decipitur a Deo ortus; novit enim, unde veniat et quo vadat“ (Philad. 7, 1. Cf. Io. 3, 8), sed quia sunt minus evidenter, ea omittimus (cf. Cornely, Introd. III 222 sqq.). Ipse quoque evangelista se prodit ut testem ocularem eorum, quae narrat (1, 14; 19, 35; 21, 24. Cf. 1 Io. 1 et 2). Dein modus loquendi de „alio discipulo“ (1, 40; 13, 23; 18, 15; 19, 26; 21, 20 etc.) ita tantum aptus est, si scriptor se vult haberi Ioannem apostolum. Ergo scriptor aut est Ioannes aut fraudulentus homo. Fraus autem non gratis supponenda est, et hoc eo minus, quia non intellegitur, quomodo tam brevi tempore omnes ecclesiae potuerint decipi, ut opus falsarii tamquam genuinum apostoli librum reciperent (cf. M. Lepin, L'origine du quatrième Évangile, Paris 1907).

Neque infirmum argumentum pro genuinitate evangelii S. Ioannis est ingens illa confusio opinionum, quae statim oritur, si genuinitas negatur. Praecipue enim circa hoc evangelium „critici“ inter se vehementer dimicant, et quod alter fidenter adstruit, alter ut plane falsum negat (cf. Holtzmann, Einleit., ed. 3, 433 sqq.; P. Dausch, Das Johannes-evangelium, Münster 1909)<sup>3</sup>.

126. Difficultas praecipua contra genuinitatem huius evangelii est, quod evangelista et alia et ea modo prorsus diverso narrat atque reliqui evangelistae.

<sup>1</sup> In Apol. 1, n. 61 Iustinus ait: Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς εἶπεν Ἐγὼ μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τεκουσῶν τοὺς ἀπαξ γεννωμένους ἐμβῆναι, φανερόν πάνσιν ἐστὶ (M 6, 420). Qui non videt hic alludi ad Io. 3, 3 sq., vere caecus esse videtur.

<sup>2</sup> Tatianus in Oratione ad graecos n. 13 ait: Τοῦτό ἐστιν ἄρα τὸ εἰρημένον Ἡ σκοτία τὸ φῶς οὐ καταλαμβάνει (M 6, 833). Hoc autem citatur ex evangelio Ioannis 1, 5. Esse citatum biblicum ostendit illud τὸ εἰρημένον.

<sup>3</sup> Cf. A. Ceriani in La Scuola Cattolica (Milano 1904), Aprile sqq.

Sed haec difficultas facile solvitur, si admittimus, quod iam veteres tradiderunt, Ioannem voluisse supplere, quae alii evangelistae omiserunt, et cum alii magis praedicaverint ea, quae ad humanitatem Christi pertinent, ipsum voluisse maxime efferre divinitatem Christi, id quod ex ipso evangelio satis apparet. Sicut synoptici praecipue exhibent ea, quae in Galilaea acciderunt, ita S. Ioannes unice fere ea, quae in Iudaea facta sunt. Ipse igitur inducit Christum disputantem cum pharisaeis, cum in aliis evangeliis Christus plerumque ad communem populum loquatur; unde mirum non est, quod modus loquendi est saepe valde diversus; saepe, inquam, non semper; nam etiam apud synopticos Christus loquens cum pharisaeis alio dicendi genere utitur, quam ubi loquitur ad populum (cf. Matth. 11, 25 sqq.; 12, 24 sqq.; 15, 1 sqq.; 19, 1 sqq.; Marc. 7, 1 sqq.; 11, 27 sqq.; 12, 18 sqq.; Luc. 20, 1 sqq. etc.).

At, *inquiunt*, fieri non potuit, ut quisquam, qui cum homine Iesu vixerat, sibi persuaderet eum esse Deum incarnatum. *Resp.* Cum ipse Iesus sibi attribuerit perfectiones divinas, et cum divinitas Christi in omnibus scriptis Novi Testamenti doceatur vel supponatur, ut postea videbimus (IV, n. 11 sqq.), et cum haec fides statim ab initio fuerit in ecclesia et sit radix et principium religionis christianae, aprioristicae declamationes de impossibilitate psychologica et historica sunt irritus conatus negandi factum, quod adhuc luce sua mundum illustrat. Neque apud synopticos divinitas Christi neque apud Ioannem vera humanitas Christi tacetur.

Sed *dicunt* longos Christi sermones a Ioanne esse compositos, cum apostolus eos, si a Christo habiti essent, non potuerit usque ad exactam aetatem ad verbum memoria tenere. *Resp.* Inter fictionem et relationem ad verbum expressam multa esse intermedia. Christus locutus est aramaice, Ioannes scripsit graece. Ergo si Ioannes (vel eius in scribendo amanuensis) recte substantiam rerum graece reddidit, quas Christus dixit, et si in iis tantum, in quibus etiam ipsa sermonis forma ad substantiam pertinet, verba a Christo dicta retinuit, nemo dixerit sermones esse a Ioanne compositos, neque tale quid fieri non potuisse affirmaverit. Recte *Knabenbauer* ait: „Uti apud synopticos eadem verba Christi non semper eodem modo referuntur, ita etiam apud Ioannem non erit postulandum, ut sermones quasi verbatim recitarit. Sed sicut synoptici praecipuas sententias accurate, alia ad sensum litteris consignarunt, eodem modo Ioannem sermones referre putandum erit. Illae sententiae, quae argumentum primum et caput doctrinae constituunt, certe eius memoriae semper haerebant. . . . Cum memoriam eum habere prorsus bonam constet, etiam disceptationes et sermones eum potuisse fideliter referre concedendum omnino est, praesertim cum de rebus agatur, quas sane continuo a sua cum Iesu consuetudine per totam vitam menteolvebat“ (Comment. in Ioan., ed. 2, 54 sq., ubi 33 sqq. 50 sqq. aliae obiectiones discutiuntur).

127. *Quomodo vero singula facta, quae S. Ioannes refert, cum synoptico- rum narratione concilientur*, ostendit exegesis (cf. *Cornely*, Introd. III 261 sqq.). Breviter haec notentur: Secundum Ioannem iudaei pascha celebrarunt vespere eius diei, quo Christus crucifixus est. Huic narrationi non contradicunt alii evangelistae, secundum quos Iesus comedit pascha eo die, quo iudaei solebant immolare agnum paschalem (Marc. 14, 12), vel quo oportebat immolari agnum paschalem (Luc. 22, 7). Itaque Iesus comedit pascha eo die, quem lex praescripserat; iudaei vero festum in sequentem diem distulerant, ne duo dies festi se immediate exciperent (cf. *Cornely*, Introd. III 269 sqq.). Alii tamen alias dant solutiones, in quas accuratius inquirere non est huius loci (cf. De Verbo incarnato IV, n. 492 sqq.).

Crucifixus est Christus secundum Ioannem circa horam sextam (Io. 19, 14), secundum Marcum hora tertia (Marc. 15, 25). Alii putant in codicem evangelii Ioannis mendum irrepisse eo, quod librarii pro *Γ* posuerint *F*, pro qua explicatione non desunt veterum testimonia (*Cornely*, Introd. III 276). Alii dicunt iudaeos non solum noctem, sed etiam diem in quattuor partes divisisse, ut tempore aequinoctii hora tertia esset a nostra nona matutina usque ad meridiem, hora vero sexta a meridie usque ad nostram tertiam pomeridianam. Secundum hunc computandi modum Marcus dicit Christum crucifixum esse hora tertia, i. e. inter horam nonam nostram et meridiem; Ioannes vero dicit „hora quasi sexta“, i. e. ante meridiem. Alii explicant dictum Marci de integra crucifixione, quae censebatur incipere a flagellatione.

Apparentes differentiae in historia apparitionum Christi resuscitati satis explicantur eo, quod alii evangelistae alia, non vero omnes omnia narrant. Atque haec indicasse sufficiat (cf. *L. Murillo*, San Juan. Estudio crítico-exegético sobre el cuarto Evangelio, Barcelona 1908, ubi a p. 38 obiectiones recentiorum criticorum discutiuntur; *M. Lepin*, La valeur historique du quatrième Évangile, Paris 1910, qui in primo tomo facta, in altero autem sermones et doctrinam evangelii exponit).

128. *Conclusio.* Itaque pro evangeliorum genuinitate habemus talem traditionem, qualis pro nullo scriptore profano antiquo existit: antiquissimam, publicam, universalem, constantem. Quanto peior est condicio quorundam veterum scriptorum profanorum, quorum scripta omnes genuina habent! E. g. Herodoti mentio prima fit ab Aristotele, i. e. centum annis post illius obitum, secunda a Cicerone, i. e. post quadringentos annos. Thucydides primum allegatur a Cicerone, i. e. post annos amplius trecentos (cf. *W. Christ*, Geschichte der griechischen Literatur, ed. 3, München 1896, 326 331 336 344). Idem valet de aliis scriptoribus. Ergo inconcinnum est profanorum scriptorum veterum genuinitatem admittere et reicere genuinitatem evangeliorum, quae multo meliore auctoritate nititur. Revera non rationes historicae sed plane aliae rationalistas movent ad evangelia reicienda. *Strauss* fatetur se

non ob historicas rationes impugnare genuinitatem evangeliorum sed ob morales consequentias<sup>1</sup>. Zeller declarat se non crediturum esse historiam resurrectionis Christi licet certissimis testimoniis stabilitam<sup>2</sup>.

Testimonia pro genuinitate evangeliorum eo maxime excellunt, quod sunt *testimonia publica*, quae prodierunt a viris, quorum officium erat invigilare, ne historia vitae Iesu Christi ullis suppositiciis libris confunderetur; quare videmus eos omni conatui falsariorum fortissime resistentes. Talis autem publica traditio pro nullo profano scriptore exstat. Neque intellegitur, quomodo universalis ecclesia, quae tanto studio libros sacros conservabat, a falsariis in errorem, et quidem tam cito, induci potuerit.

*Simile quid dicendum est de apographis evangeliorum*, quae tanto numero et tantae antiquitatis existunt, quanta nulli codici scriptorum romanorum vel graecorum conveniunt. Ipsa quidem primitiva autographa evangeliorum non iam existunt, id quod mirum non est, cum nulla omnino autographa illorum temporum ad nos pervenerint. Praeterea apostoli non mittebant ad ecclesias scripta manu sua propria facta, sed amanuenses adhibebant (Rom. 16, 22. 1 Cor. 16, 21. Gal. 6, 11. 1 Petri 5, 12). Unde haec materialia scripta non tanti fiebant, quanti, si ab apostolis essent confecta; sed doctrinae, quae scriptis illis continebantur, utique summi aestimabantur. Ideo videmus tot apographa scriptorum sacrorum facta, quot nullius scriptoris profani. Codices evangeliorum graece scripti exstant ultra mille, quorum nonnulli usque ad VI et V, immo IV saeculum ascendunt. Gregory e. g. in Proleg. enumerat codices unciales ad evangelia pertinentes 66, codices minusculos 1273. Etiam sub hoc respectu profani libri nullo modo cum evangelis comparari possunt, cum e. g. Caesaris codices e saeculis X, XI, XII sint, et unus e saeculo IX (*M. Schanz*, Geschichte der römischen Literatur I, ed. 2, München 1898, 216), et codices sint numero multo pauciores (cf. *Pawlicki*, Der Ursprung des Christentums [1885] 59 sqq.). Similiter loquendum est de antiquis Scripturae versionibus.

Haec omnia ostendunt genuinitatem et integritatem evangeliorum singulari prorsus certitudine conspicuam esse. Dico non solam genuinitatem, sed etiam *integritatem*. Nam allegationes SS. Patrum, codices evangeliorum eorumque versiones et harmoniae ostendunt evangelia,

<sup>1</sup> „Wer über die Herrscher von Ninive oder die ägyptischen Pharaonen schreibt, der mag dabei ein rein historisches Interesse haben; das Christentum dagegen ist eine so lebendige Macht, und die Frage, wie es bei seiner Entstehung zugegangen, schließt so eingreifende Konsequenzen für die unmittelbare Gegenwart in sich, daß der Forscher ein Stumpfsinniger sein müßte, um bei der Entscheidung jener Fragen eben nur historisch interessiert zu sein“ (Leben Jesu für das deutsche Volk [Bonn 1895] xxii).

<sup>2</sup> „Wenn sie auch noch so stark bezeugt wäre“ (Vorträge und Abhandlungen. Erste Sammlung [Leipzig 1875] 543).

quorum genuinitatem probavimus, omni aetate substantialiter eadem fuisse, quae nunc sunt. Adsunt variantes lectiones, adsunt apographa plus minusve correctae; sed nulla additio, nulla mutilatio, nulla interpolatio universaliter recepta adest, qua vel unum factum vitae Iesu, quod sit gravioris momenti, vel una doctrina Iesu Christi dubia fiat. De integritate evangeliorum aequae atque de genuinitate multo luculentiora testimonia habemus quam pro ullo libro profano illorum temporum.

**129. Schol. 1.** Externis testimoniis respondent interna criteria, quibus evangeliorum genuinitas comprobatur.

*Linguae indoles.* Secundum testimonia traditionis primum et quartum evangelium scripta sunt ab apostolis, qui ea de Iesu Christo referunt, quae ipsi viderunt et audierunt; secundum vero et tertium ab aliis discipulis, qui ea, quae ab apostolis aliisque testibus oculatis acceperant, nobis tradunt. Itaque evangelia sive mediate sive immediate descendunt e fonte hebraico (aramaico), quamvis excepto evangelio Matthaei primum conscripta sint lingua graeca. Cum igitur tanta sit differentia inter linguas hebraicam et graecam, a priori *expectandum est fore, ut in evangelis hebraismi inveniuntur*. Revera permultas locutiones a lingua graeca plane alienas et hebraicam indolem redolentes in omnibus evangelis inesse notum est. Totus enim modus formandi phrases est valde simplex sine artificiosis constructionibus, et loco periodorum singulae partes per particulam *et* (vav copulativum) coniunguntur. Modus loquendi hebraicus est e. g. hic: Ἐρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω μου, οὐ οὐκ εἰμι ἰκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ (Marc. 1, 7). Similiter illae locutiones: „filius pacis, iniquitatis, lucis, resurrectionis . . .“ pro pacifico, iniquo, illuminato, resuscitando (cf. Luc. 10, 6; 20, 36; Matth. 23, 15 etc.); σὰρξ pro σῶμα (Matth. 19, 5. Io. 6, 53 etc.); καρδία pro parte intellectiva hominis (Matth. 15, 19. Marc. 2, 6. Luc. 2, 35 etc.). Praeterea multa occurrunt vocabula hebraica (Io. 1, 42. Matth. 5, 22; 23, 7 8. Marc. 3, 17 etc.). De hoc argumento plura videri possunt apud alios, qui copiose illud tractaverunt, ut *M. F. Vigouroux* (Revue des questions historiques, Oct. 1889, 353 sqq.).

Ceterum non eodem modo singula evangelia hanc indolem prae se ferunt. Nam cum primum evangelium adeo hebraismis scateat, ut ex his solis quidam voluerint demonstrare Matthaeum hebraice scripsisse, tertium et quartum evangelium puriore lingua graeca insigniuntur. Lucas, ubi ipse loquitur, ut in exordio evangelii, graece scribit; ubi autem res ab aliis acceptas narrat, non caret hebraismis, ut ἐνώπιον αὐτοῦ (Luc. 1, 17 etc.).

Ex altera parte vocabula latina recepta sunt in textum graecum, id quod congruit scriptoribus, qui inter romanos degebant. Ita κῆσος = census (Matth. 22, 17 19), Καῖσαρ = Caesar, κεντυρίων = centurio (Marc. 15, 39), τίτλος = titulus (Io. 19, 19 sq.).

130. *Accurata notitia rerum historicarum* illorum temporum indicat scriptores fuisse aequales illarum rerum. Nam ex una parte obiter solum et quasi per transennam permulta commemorant de magistratibus civilibus et ecclesiasticis illius aetatis, ut statim appareat scriptores non esse viros, qui data opera incubuerint studio historiae. Ex altera parte rerum et personarum notitia est tam exacta et per alios fontes historicos tam bene confirmata, ut plane intellegi nequeat, quomodo evangelistae haec omnia noverint, nisi aut ipsi his rebus interfuerint, aut eas ab immediatis testibus acceperint. Ita quae Matthaeus c. 2 narrat de familia herodiana et Lucas c. 3 de divisione terrae palaestinensis tempore nativitatis Christi, confirmantur a *Flavio Iosepho*, quo auctore post Antipatrum, Iudaeae procuratorem, Herodes a romanis potestatem civilem cum regio nomine accepit (Antiq. 14, 14, 4; 17, 8, 4; De bello iud. 1, 14, 4). Qui regnum inter filios ita divisit, ut Archelaus Iudaeam, Herodes Antipas Galilaeam, Philippus Trachonitidem gubernandam acciperent (Antiq. 17, 8, 1; De bello iud. 1, 33, 8). Lysanias, Abilinae tetrarcha, qui non est confundendus cum alio Lysania, rege Chalcidis, etiam commemoratur a *Iosepho* (Antiq. 18, 6, 10; De bello iud. 2, 11, 5; Antiq. 20, 7, 1. Cf. *Patritius*, De evang. l. 3, dissert. 42; *Schanz*, Lucas 158). De crudelitate prioris Herodis et Archelai, eius filii, narrat *Iosephus* (Antiq. 1, 17).

Tempore vitae publicae Christi secundum evangelistas Iudaea administrabatur a Pontio Pilato, Galilaea ab Herode, Ituraea et Trachonitis ab eius fratre Philippo (Matth. 27, 2. Luc. 3, 1; 23, 7). Iamvero Pontium Pilatum sub Tiberio fuisse procuratorem Iudaeae etiam *Iosephus* (Antiq. 18, 3, 1) et *Tacitus* (Annal. 15, 44) testantur. Herodem tetrarcham Galilaeae fuisse et Herodiadem, uxorem fratris sui, duxisse et Ioannem interfecisse, narrat *Iosephus* (Antiq. 18, 5, 1 et 2). Idem refert tempore Pilati Caipham fuisse summum sacerdotem (ib. 18, 2, 2) etc. Haec igitur diligentior rerum notitia suadet evangeliorum auctores fuisse testes contemporaneos rerum, quas tradiderunt<sup>1</sup>.

131. *Tota vita socialis iudaeorum*, qualis fuit tempore Christi, ab evangelistis verissimis et vividis coloribus depingitur, ut *factiones pharisaeorum et sadducaeorum*, quorum illi strictissimi cultores litterae legis exhibentur et simul perditissimi hypocritae, hi vero negatores immortalitatis animae et veri epicurei (Matth. 22, 34; 23, 4. Marc. 7, 8 sqq. Luc. 11, 42 etc.). Eadem ratione de illis sectis loquitur *Iosephus* (De bello iud. 2, 8, 2 sqq.; Antiq. 17, 2, 4; 18, 1, 2 sqq. etc.), qui etiam commemorat scribas et legis doctores (De bello iud. 1, 33, 2; Antiq. 17, 6, 2).

<sup>1</sup> Cf. *A. Wikenhauser*, Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Münster i. W. 1921) et *H. Diekmann*, Die Geschichtlichkeit der Apostelgeschichte: Stimmen der Zeit CIII 396 sqq.

*De iudaeorum in romanos odio*, quo incitabantur ad rebellionem; de dubitatione, utrum liceret dare census romanis; de exspectatione magni ducis, qui iudaeos liberaturus esset a romanis, concorditer cum evangelistis *Iosephus* loquitur (De bello iud. 2, 8, 1; 6, 5, 4; 7, 8, 1. Cf. *Sueton.*, Vespas. 4; *Tacit.*, Hist. 5, 13). De odio, quod secundum evangelistas vigeat inter iudaeos et samaritanos, *Iosephus* quoque varia narrat (Antiq. 12, 1; 18, 2, 2; 20, 6, 1; De bello iud. 2, 12, 3).

Porro *consuetudines et instituta vitae privatae et publicae iudaeorum* describuntur, ut stricta observatio sabbati, lotionum aliaeque observantiae religiosae, quae partim lege praescriptae, partim ex traditione acceptae erant (e. g. Matth. 23, 4 sqq. Marc. 7, 8 sqq. Luc. 11, 42 sqq.), ubi magna differentia apparet inter primum evangelium et secundum. Matthaeus enim loquitur de moribus iudaeorum ut de rebus, quae notae sunt lectoribus suis: scribit enim pro iudaeis; Marcus autem pro lectoribus ethnicis explicationes addit (cf. e. g. Matth. 15, 1 sqq. cum Marc. 7, 1 sqq.; cf. 3, 17; 5, 41; 15, 22 etc.).

Inter iudaeos *varii nummi* in usu erant, id quod facile intellegitur ex commixtione gentium in terra palaestina. Pro templo dabatur didrachma (Matth. 17, 23. Cf. *Iosephus*, De bello iud. 7, 6, 6). Romanorum nummi erant asses et denarii (Matth. 10, 29. Marc. 14, 5. Luc. 12, 6 etc.). Iudas pro crimine prodicionis accepit triginta siclos argenti (Matth. 26, 15), quod erat pretium servorum apud iudaeos (Ex. 21, 32).

Multa alia addi possunt, quae videantur in introductionibus in S. Scripturam (e. g. *Hug*, Einleitung I 7 sqq.). Si praeterea memineris, quomodo evangelistae saepe personarum vultus, actiones, motus tam exacte describant, et quidem modo tam simplici, non poteris rationabiliter in dubium vocare, quin vel ipsi res illas viderint vel ab iis, qui viderant, illas acceperint. Quando enim facta per multos testes intermedios ad scriptores perveniunt, tam vividos colores plane amittunt (cf. e. g. Io. 13, 4 sqq.; 18, 3 sqq. etc.). Cum igitur quadraginta annis post Christi mortem tota respublica iudaica sublata et illa, quae ab evangelistis describuntur, omnino mutata essent, plane fieri non potuit, ut scriptores posteriores eo modo, quo evangelistae, res illas referrent.

132. *Schol. 2. Comparatio evangeliorum cum scriptis buddhisticis et babilonicis.*

*Solent saepe hac nostra aetate evangelia comparare cum scriptis buddhisticis*, et conantur ostendere ea, quae in evangeliis narrantur, e fontibus buddhisticis hausta et modificata esse. Ita *Rud. Seydel*: „Das Evangelium von Jesu in seinem Verhältnis zur Buddha-Sage und Buddha-Lehre“; „Die Buddha-Legende und das Leben Jesu nach den Evangelien“. Similiter *Bunsen* et alii.

Ut igitur appareat, *quam absurda sit haec suppositio*, quae nullo positivo fundamento nititur, notentur haec: Quando Buddha mortuus

sit, non constat certo. Abstractione facta ab iis, quae buddhistae ipsi indicant (ut a. 3112 ante Chr.), convenit inter eruditos tempus assignandum esse inter a. 370 et a. 480 ante Chr. (cf. *E. Hardy*, *Der Buddhismus*, Münster 1890, 47 sqq.). Iam inter libros, qui praetendunt narrare historiam Buddhae, nullus scriptus est nisi ad summum saeculo I ante Chr., i. e. saltem tribus saeculis post mortem Buddhae. Immo unus tantum talis liber existit, qui vocatur „Lalita Vistara“, quem librum nonnulli saeculo I ante Chr. assignant, alii tamen scriptum esse dicunt sexcentis vel mille annis post Buddhae mortem. Aliae omnes vitae Buddhae multo post Christum scriptae sunt. Illi quoque libri, qui veterem doctrinam buddhistarum referunt et hinc inde aliquid de vita Buddhae narrant, litteris consignati non sunt nisi paulo ante aeram christianam, et una est sententia doctorum hominum non iam posse quaestionem solvi, quid in his libris proveniat ex primitiva Buddhae doctrina, quid vero postea additum sit. Unde negant his libris ullam auctoritatem historicam tribui posse<sup>1</sup>.

Valde igitur irrationabiliter agunt amici buddhismi et inimici religionis christianae, quod evangelii, quorum genuinitas tam firmis argumentis probatur, fidem denegant, libris vero buddhisticis, qui nullius sunt auctoritatis historicae, fidem adhibent, et quod libros historicos ex scriptis fabulosis deducere conantur. Quando evangelistae scribebant, multi testes vitae Christi etiam tum vivebant. Hi igitur certe contradixissent, si quis vitam Christi alienis fabulis ornare voluisset. Hoc constat ex historia evangeliorum apocryphorum. Porro unde noverant evangelistae fabulas illas buddhisticas, quae etiam doctissimis hominibus illorum temporum ignotae erant? Praeterea evangelia tanta cum simplicitate et sinceritate conscripta sunt, ut plane non intellegatur, quomodo ex pomposis illis et nugatoriis scriptis buddhisticis potuerit tam pulchra historia confici, quae ubique speciem veri prae se fert.

Ceterum illae quae dicuntur adesse similitudines inter vitam Christi et vitam Buddhae statim in nihilum abeunt, si quis diligenter utrasque narrationes comparaverit. Sed quia hoc longum est, cf., si placet: *Stimmen aus Maria-Laach* XXXI 504 sqq. et *Hardy*, *Der Buddhismus* 110 sqq.

Interim sperare licet nos a theoria buddhisticae originis religionis christianae esse in perpetuum liberatos: nam „babylonismus“ omnia iam obtinuit, et magna cum gravitate quidam viri eruditi nobis demonstrant totam vitam Iesu, qualis in evangeliiis narratur, non esse nisi mythum astralem, e Babylonia in Palaestinam translatum. Eminent inter hos viros mole operis ab ipso confecti et iuvenili imaginandi vi *P. Jensen*, qui docet Christum hominem numquam exstitisse, sed esse semideum babylonicum *Gilgamesch*, i. e. solem, cuius cursus cotidianus carmine heroo mythologice describitur (*Das Gilgamesch-Epos*

<sup>1</sup> *Stimmen aus Maria-Laach* XXXI 387 sqq.

in der Weltliteratur. Bd. I: Die Ursprünge der alttestamentlichen Patriarchen-, Propheten- und Befreier-Sage und der neutestamentlichen Jesus-Sage [xviii 1030], Straßburg 1906).

Ne ipse quidem Jensen negare potest maximam esse differentiam inter vitam Christi et ea, quae de *Gilgamesch* narrantur: sed fortunate *Gilgamesch* habuit socium *Eabani* nomine, id quod comparisonem eatenus reddit faciliorem, quatenus Iesus, prout necessitas postulat, modo imitatur *Gilgamesch*, modo *Eabani*, immo et alios. *Gilgamesch* est conditor et princeps alicuius magnae urbis (*Uruk*, *Erech*, *Arach*) et populum dira servitute opprimit. Iesus autem neque urbem fundavit neque rexit neque populum tyrannice oppressit. Sed haec parva differentia facile eo compensatur, quod *Eabani* erat pastor animalium in eremo, unde seductus a quadam meretrice hierodulica, processit ad urbem *Uruk*. Itaque cum Iesus quoque, etsi non fuit pastor animalium neque alias sortes *Eabani* subiit, tamen in eremo ieiunaverit et ex eremo ad praedicandum processerit, nonne evidens est hanc narrationem esse transsumptam ex vita *Eabani*? Iesus habitabat in *Capharnaum* prope mare. *Uruk* quidem satis aberat a mari; attamen progenitor aliquis *Gilgamesch*, *Xisuthros* vel *Utnapishtim* nomine, vixerat tempore alicuius magnae inundationis, a qua ut se salvaret, navim ingressus est. Rursum cuivis paululum ratiocinanti perspicuum est Iesum navi transfretantem mare galilaeum esse hunc ipsum *Xisuthron*. Sicut in illa magna inundatione multi homines perierunt, ita in lacu *Genesareth* duo milia porcorum. Porro *Xisuthros* navim appellit ad montem magnum, ex quo transfertur inter deos. Eodem modo Iesus in monte orat et transfiguratur. In vita *Gilgamesch* narratur de nuptiis, item in vita Iesu. In vita *Gilgamesch* et *Eabani* sermo est de malis mulieribus, in vita Iesu de piis mulieribus, quae ei ministrabant de substantia sua. *Gilgamesch* et *Eabani* pugnant cum *Chumbaba* gigante eumque occidunt, Iesus vero in pugna ab inimicis occiditur. Et ita multi alii parallelismi vere stupendi adsunt.

Haec igitur et alia similia non iocandi causa sed plane serio proponuntur a professore Jensen ut argumenta efficacia, quibus probetur Christi vitam nihil aliud esse nisi illud carmen babylonicum in Palaestinam transplantatum. Fatendum est viros doctos, non catholicos tantum sed etiam acatholicos, magna cum indignatione hoc specimen singularis babylomaniae respuisse. Alii autem, ut *H. Zimmer*, sine ullo indicio risus augurii, opus Jensenii ut prodigium scientiae babylonicae praedicaverunt. Brevem huius rei discussionem invenies in *Der Katholik* 1908, II 277 sqq. Ceterum ipsi quoque rationalistae theoriam doctoris Jensen tractarunt ut insane imaginationis portentum. Ita *M. Jülicher* (*Hat Jesus gelebt?* Marburg 1910), *M. J. Weiss*, alii.

Illud unum fortasse addere iuvat, in illo carmine epico nihil esse, quod respondeat doctrinae Christi, quae tanta pars est vitae eius. Unde Jensen concludit non theoriam suam esse falsam, sed sermones

Christi in evangelii traditos non esse genuinos, cum in primitivo carmine non legantur. Sed de his satis superque.

Sunt nostra aetate alii, quibus tota religio christiana nihil esse videtur nisi hellenismus iudaeorum alexandrinorum addita idea messianitatis Christi. Haec quoque fictio vix est discussione digna, cum tota doctrina dogmatica et moralis Christi tantum nativa indole et proprietate polleat, quantum nulla alia. Iudaei ipsi dicebant: „Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo“ (Io. 7, 46). Quomodo ergo nihil aliud dixit nisi iudaei? Neque tamen ideo negamus revelationem Iesu Christi esse continuationem quandam revelationis Veteris Testamenti, quam Iesus sine dubio agnovit et ad summam perfectionem adduxit.

Ceterum omnes illi conatus rationalistici, qui se invicem impugnant et destruunt, clare ostendunt victricem vim religionis christianae, quam aggredi est propriae rationi vim inferre.

## ART. II.

## DE CREDIBILITATE EVANGELIORUM.

## Prop. VII. Scriptores evangeliorum sunt fide digni.

133. Postquam vidimus, a quibus scripta sint evangelia, iam quaeritur, num hi scriptores fide digni sint<sup>1</sup>. Fide autem dignus est, qui potest et vult dicere verum. Unde prima quaestio est, num evangelistae ea, quae narrant, recte noverint. Evangelistae aut *referunt, quae ipsi viderunt et audierunt*, sicut habetur in prima epistula Ioannis: „Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis“ (1 Io. 1, 1 sqq.); *aut referunt ea, quae ab immediatis testibus acceperunt*, ut ait S. Lucas: „Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quae in nobis completae sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem“ (Luc. 1, 1 sqq.).

134. *Evangelistae ut plurimum ea narrant, quae facta sunt in publico coram multis hominibus, iisque non incultis et barbaris, sed coram iudaeis, graecis, romanis.* Christus ipse integrum populum vitae suae testem invocare non dubitavit (Io. 18, 20). Resque ipsae, quas tradunt, eae sunt, quae possint a quolibet homine sanis sensibus instructo percipi, sive verba sive facta Christi sunt. Immo etiam miracula, saltem

<sup>1</sup> Cf. E. Jacquier, La crédibilité des Évangiles (Paris 1913).

pleraque, erant facta, quae ab omnibus percipi poterant, ut quod Christus ambulabat super mare, quod quinque panibus saturavit quinque milia hominum, quod homo a nativitate caecus coepit videre, quod aqua mutata est in vinum, quod lepra verbo Christi statim sanata est, similiaque multa. Nam admittere velle in his rebus et evangelistas et alios omnes testes deceptos esse, est insignis sui ipsius deceptio.

Neque omittendum est evangelia quidem esse principales fontes scriptos vitae Christi, sed praeter evangelia, maxime primis illis temporibus, *multos alios testes existisse*, quorum testimonium cum evangelii congruebat (cf. Io. 21, 24; Act. 1, 21; 1 Cor. 15, 6). Etiam epistulae illae S. Pauli, de quarum genuinitate vix pauci extremi rationalistae dubitare audent, non aliam vitam Christi exhibent quam evangelia (cf. P. Batiffol, Six leçons sur les Évangiles<sup>8</sup>, Paris 1907, 84 sqq.). Ergo aut omnes illi testes alucinati sunt, aut illi alucinantur, qui nunc ostendere conantur evangelistas non quidem esse deceptores, sed deceptos.

Iam supra (n. 115) vidimus, quomodo rationalistae, etiam illi, qui genuinitatem evangeliorum (synopticorum) agnoscunt, nihilominus facta sibi displicentia, in evangelii narrata, remove studeant. Palmam facile tulerit in hoc conatu A. Loisy opere suo „Les Évangiles synoptiques“. Qui principii loco haec ponit:

Iesus, purus homo, concepit ideam regni messianici mox futuri, et monuit iudaeos, ut ad instantem adventum huius regni se praepararent per paenitentiam. De ecclesia aliqua fundanda non cogitavit, multo minus de ecclesia universali, quae comprehenderet omnes gentes, sed solum suos cives docuit se considerare et gerere ut filios Patris caelestis. Quando vero ab inimicis morte affectus est, discipuli eius, primum in quandam desperationem acti, mox se recollegerunt et ideas Iesu modificantes, coeperunt constituere societatem, cuius membra Iesum ut Messiam agnoscerent et hanc fidem tum verbis tum actionibus sacris et symbolicis profiterentur. Quae societas necessario postulabat quasdam leges et quandam constitutionem, qua contineretur, et etiam aliquam doctrinam, in quam omnes consentirent. Sic orta est ecclesia cum suo regimine, cum suis sacramentis, cum suis dogmatis, quae deinceps per decursum saeculorum usque ad nostra tempora sese eolverunt. Itaque Iesus dici potest instituisse haec omnia, quatenus causa fuit istius motionis religiosae et socialis, quae hos fructus tulit. Formaliter tamen neque ecclesia neque eius ritus sacri neque eius hierarchia a Christo instituta neque eius dogmata a Christo revelata sunt, sed haec omnia sunt opus ipsorum christianorum. Mox aderat necessitas etiam scriptis consignandi novam hanc doctrinam. Sic orta sunt evangelia. Nullum evangelium simpliciter et historice refert dicta et facta Christi, sed evangelia proxime sunt documenta, quibus exhibetur fides christianorum primi saeculi. Non Christus historiae, sed Christus fidei est obiectum eorum.

His suppositis si volumus inquirere, quid Iesus historice fuerit et docuerit, excludenda sunt omnia, quae non pertinent ad illam primitivam ideam regni messianici vel cum ea necessario nectuntur. Excludenda divinitas Christi, institutio ecclesiae, omnia cultum publicum constituentia, omnes doctrinae dogmaticae. Unde critici est sensum verborum evangelicorum minuere, quantum fieri potest, et dein ex verbis sic tenuatis ea omnia christianorum inventa declarare, quae Iesus secundum illud principium cogitare et dicere non potuit. Hic attenuationis labor eo perficitur, ut ostendatur, quid evangelistae ex prioribus fontibus hauserint, quid adscribendum sit mutationi priorum traditionum ob fines doctrinales et apologeticos factae, quid tribuendum sit „redactoribus“. Sic pervenitur ad minimum illud, quod statim ab initio fuit. Primum evangelium est illud, quod Marci dicitur, scriptum circa a. 75. Fontes eius praecipui erant quaedam „logia“, quae probabilissime ante mortem Petri et Pauli iam existebant. Quos fontes evangelista sensu „paulino“ interpretatus est. Et ita porro<sup>1</sup>.

Quicumque hanc methodum considerat, statim percipit insignem abusum hypothesis et coniecturarum. Sine dubio licet inquirere, sintne evangelistae usi fontibus scriptis vel oralibus, et quaenam singulis fontibus attribuenda sint. Sed a priori construere hypothesis et postea agere, quasi haec hypothesis sit thesis probata; prius dicere: Fortasse ita est, hoc ita explicari potest, hoc vel illud non repugnat — et in fine concludere: Ergo ita est, — haec utique non est vera ars critica sed abnegatio sanae rationis. Impossibilitas miraculorum et ordinis supernaturalis, error Christi de proximo adventu regni messianici, studium veterum christianorum transmutandi et transfigurandi personam, dicta, facta Christi et proprios conceptus referendi ad Christum auctorem, haec et similia non sunt postulata scientiae criticae sed fictiones aprioristicae. Iis, qui dicunt evangelistas legendos esse sicut alios quoscumque scriptores veridicos, neque a priori supponendum esse eorum narrationes non esse historicas, critici obiciunt „tendentias apologeticas“.

<sup>1</sup> Doctrina modernistarum de evangeliis continetur his propositionibus decreti „Lamentabili“. Prop. 13: „Parabolas evangelicas ipsimet evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud iudaeos.“ Prop. 14: „In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt, evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.“ Prop. 15: „Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.“ Prop. 16: „Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica evangelii contemplatio; sermones in eius evangelio contenti sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae.“ Prop. 17: „Quartum evangelium miracula exaggeravit, non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi incarnati.“ Prop. 18: „Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae seu vitae Christi in ecclesia exeunte primo saeculo.“ Cf. prop. 52 (Denz. n. 2013 sqq. 2052).

quibus homo ineptus fiat ad res recte diiudicandas. Quasi „tendentiae antiapologeticae“ non multo certius et manifestius iudicium perturbent et inclinent ad admittendas hypotheses maxime inanes, potius quam ad concedendum vera esse, quae narrantur.

Si scriptor, non manifeste mendax, narrat res suae aetatis, quas vel ipse vidit vel ex diligenti investigatione vera censet et ut vera proponit, non secundum praeconceptas ideas statuendum est, quid fieri potuerit aut non potuerit, sed imprimis eius verba perpendenda sunt, ut pateat, quid dicere voluerit, et si sensus verborum clarus est, in singulis rebus examinandum est, num quid certi obstat, quominus verba eius sic intellecta vera sint; sin autem nihil obstat, fides ei habenda est, idque eo magis, si plurium testimonia consentiunt, immo integra et magna societas testium coevorum idem sentit, neque theoretice tantum eas res veras habent, sed eas etiam practice pro vitae norma eligunt, et secundum hanc persuasionem viventes, insignes et permanentes fructus morales producunt et alios permultos ad eandem persuasionem et vitam excellentem alliciunt. Haec autem omnia ita evangeliorum veritatem commendant, ut nisi evangelicae narrationes historice verae sint, iam de omni veritate historica desperandum sit. Cf. quae de Loisy methodo scripsit *E. Mangenot* in *Les Évangiles synoptiques* 65 sqq. et in *Revue du Clergé français* LIII (1908) 390 sqq. 716 sqq., et quae in eodem periodico mensibus octobri 1908 sqq. discutit de singulis Loisy assertionibus *J. Bricout*.

Sana ratio postulat, ut non a priori admittamus illos omnes testes esse deceptos, sed potius ut censeamus decipi eos, qui nunc propter suas hypotheses dicunt se posse post tot saecula melius diiudicare, quid factum sit, quam illi testes potuerint.

135. *Eaedem rationes efficiunt evangelistas non potuisse velle decipere;* nam sine dubio eorum fictiones statim a multis erroris convictae essent. Adde quae supra (n. 129 sqq.) diximus, et quae infra (n. 204 sqq.) dicemus. Praeterea nemo gratis mendax; nulla autem ratio indicari potest, quae evangelistas impulerit ad fingendam vitam et doctrinam Christi, qualem nobis proponunt. Haec enim vita et doctrina adeo opposita est omnibus opinionibus et votis sive iudaeorum sive gentilitium, ut defensores huius doctrinae secundum humanam expectationem nihil maneat nisi aut irrisiones aut persecutiones. „Nos praedicamus Christum crucifixum, iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam“ (1 Cor. 1, 23).

Potuissem fortasse scriptores ingeniosi historiam et doctrinam fingere, quae summa quaedam esset sapientiae iudaicae vel gentilis. Sed quomodo potuerunt evangelistae vel alii homines illius aetatis excogitare vitam et doctrinam tam alienam ab istis temporibus et ex altera parte tam perfectam, ut neque antea neque postea simile quid umquam in mundo auditum sit? Si vita et doctrina Christi est inventa

ab otiosis hominibus, numquam magis miranda fraus nec cum magis prospero eventu patrata est. Ita enim nobilissima doctrina, firmissima fides, virtutes maxime egregiae, eversio religionis gentilis, propagatio et firmitas religionis christianae, brevi, perfecta mutatio totius ordinis moralis et socialis fictione quorundam indoctorum hominum effecta sunt. Haec qui admittere paratus est, multo maiore credulitate insignitur, quam umquam postulat fides christiana. Conentur illi, qui tale quid fieri potuisse censent, similia efficere; mox videbunt, quam absurda sit haec suppositio.

136. *Scriptores evangeliorum pro doctrina, quam libris suis consignarunt, parati erant summa mala tolerare et testimonio verbi martyrium addere, neque ipsi soli sed alii quoque apostoli et ingens multitudo fidelium (cf. Act. 4, 1 sqq.; 5, 17 sqq.; 6, 1 sqq.; 12, 1 sqq.; 16, 19 sqq. etc.). Inauditum autem est tot deceptores sine spe temporalis lucri excogitasse tam excellentem doctrinam et pro ea propaganda flocci fecisse amissionem honorum temporalium et ipsius vitae. Quod Paulus de se ait, hoc valet de omnibus: Si doctrina, quam praedicamus, falsa est, „inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra: invenimur autem et falsi testes Dei. . . . Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. . . . Ut quid et nos periclitamur omni hora? Si secundum hominem ad bestias pugnari Ephesi, quid mihi prodest? . . . Manducemus et bibamus; cras enim moriemur“ (1 Cor. 15, 14 15 19 30 32). Sed quia tam firmiter persuasum erat apostolis et eorum discipulis de veritate rerum, quas praedicabant, propterea cum gaudio ignominiam, dolores, mortem subibant. Ita autem non agunt deceptores.*

137. Tandem ipse modus narrandi simplex et ab omni fuce liber non indicat fraudulentos homines, sed sinceros veri amatores, qui ne ea quidem tacent, quae ipsis vel magistris suis vel rei, quam defendunt, dedecori sunt, ut negotium Matthaei iudaeis detestabile, imperfectiones apostolorum, prodicionem Iudae, fugam omnium discipulorum, ignominiosa omnia, quae Christus passus est, reiectionem populi iudaici, eversionem futuram urbis Ierusalem. Si quis comparaverit modum, quo Flavius Iosephus de iudaeis loquitur, cum modo, quo evangelistae de apostolis et iudaeis loquuntur, statim videbit, quanta differentia intercedat inter causidicum et sincerum veri narratorem. — Itaque certum est evangelistas et potuisse et voluisse dicere verum (cf. *Fr. Hettinger*, *Fundamentaltheologie*, ed. 3, 265 sqq.).

138. *Schol.* De testimoniis quorundam scriptorum veterum profanorum.

Praeter scriptores sacros et ecclesiasticos quidam etiam profani scriptores veteres pauca de Iesu Christo referunt, quae hic simul proponere iuvat. Exstat imprimis praeclarum *Flavii Iosephi* († post 93)

de Christo testimonium: „Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque iudaeos, multos idem gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus [ὁ Χριστός], quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim iis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis; atque ab eo denominata christianorum natio durat usque ad hunc diem“ (*Antiq.* 18, 3, 3; cf. *ib.* 5, 2; *C. Kirch*, *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae*, ed. 3, Friburgi Br. 1914, n. 7 sq.).

*Hoc quidem testimonium ab aliis spurium, ab aliis interpolatum dicitur.* At quo iure? nam quotquot exstant manuscripta et veteres versiones, verba exhibent; et veteres scriptores, ut *Eusebius* (*H. E.* 1, 11; *M* 20, 115 sqq.), *Ambrosius*, alii, ea allegant (cf. *Huetius*, *Demonstr. evang.* Prop. 3, n. 11). Quod autem, uti volunt isti critici, Iosephus non potuerit haec scribere, utpote iudaeus incredulus, falsa suppositione nititur. Notum enim est fuisse Iosephum in rebus religiosis hominem levem; nam qui potuit adulationis causa ad Vespasianum applicare vaticinia messianica (*De bello iud.* 3, 8, 9; 6, 5, 4), ille potuit etiam ad gentem suam glorificandam ita de Messia loqui, quamvis ipse non crederet Iesum esse Messiam (*Origenes*, *Contra Cels.* 1, 47). Id cum eclecticismo eius egregie congruit. Praeterea laudat Ioannem quoque Baptistam (*Antiq.* 18, 5, 2) et Iacobum, „fratrem illius Iesu, qui dicebatur Christus“ (*ib.* 20, 9, 1); valde igitur mirum esset, nisi quicquam de Christo dixisset. Nihilominus sunt etiam inter catholicos, qui interpolationem admittant (cf. *Literar. Rundschau* 1890, 362; *Zeitschr. für kath. Theol.*, Innsbruck 1890, 512 sqq.; *Stimmen aus Maria-Laach* LIII 1 sqq.; *De Katholiek* CXLVII 318 sqq.; *P. Batiffol*, *Orpheus et l'Évangile*, Paris 1910, 16 sqq.; *H. Felder*<sup>1</sup>, *Iesus Christus* II 373 sqq.; *Hettinger*, *Fundamentaltheologie*, ed. 3, 272 sqq., ubi etiam alia dicta iudaica). Ceterum res non est magni momenti.

139. *Tacitus* de Nerone ait: „Abolendo rumori [quo dicebatur auctor incendii a. 64 p. Chr. facti] Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos appellabat. Auctor nominis eius, Christus, Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocitas aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quam

<sup>1</sup> In *Theologisch-praktische Quartalschrift* (Linz 1914) 608 sqq. *Felder* iterum studet ostendere Flavii Iosephi testimonium esse genuinum, exceptis verbis: „Hic erat Christus“ et „divinis vatibus . . . effatis“, quas interpolationes esse censet.



odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis coniecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. . . . Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur" (Ann. 15, 44; Kirch, Enchirid. n. 34).

140. *Plinius* iunior ad Traianum imperatorem de christianis scribit: „In iis, qui ad me tamquam christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent christiani. Confitentes iterum et tertio interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam (qualecumque esset, quod faterentur) pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae, quos (quia cives romani erant) annotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse christianos aut fuisse. Cum praeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera christiani, ego dimittendos putavi. . . . Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium. . . . Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam et immodicam, ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est" (l. 10, epist. 96; Kirch, Enchirid. n. 29 sq.).

Alia quaedam testimonia Adriani, Antonini, Luciani aliorumque omitto, quia minoris sunt momenti (cf. *Eusebii* H. E. I. 4, c. 9 13; M 20, 326 sq. 354 sq.; *Wilmers*, De religione revelata, Ratisbonae 1897, 319 sqq.; *Batiffol*, Orpheus et l'Évangile 40 sqq.).

## SECTIO II.

DE TESTIMONIO, QUOD CHRISTUS REDDIDIT  
DE LEGATIONE SUA DIVINA.

## Prop. VIII. Christus se ipsum professus est legatum divinum.

141. Examinatis genuinitate et credibilitate fontium, ex quibus haurienda est notitia Iesu Christi, quaeritur, qualem secundum hos fontes Christus se haberi voluerit, et quibus modis hoc de se ipso testimonium comprobaverit.

Pauci rationalistae in dubium vocarunt, num Iesus sibi legationem divinam adscripsisset, et num semper eodem modo de se ipso locutus esset (cf. *D. F. Strauss*, Leben Jesu I, ed. 3, 545 sqq.). Sed verba Christi sunt tam clara, ut nullam dubitationem admittant. Hoc ipsi rationalistae nunc fatentur<sup>1</sup>.

142. *Argumentum.* *Iudaei iam multo ante Christum exspectabant legatum divinum, quem vocabant Messiam, מָשִׁיחַ, i. e. Χριστόν seu Unctum* (cf. Dan. 9, 25 26; Io. 1, 41; 4, 25). Occurrunt autem in Vetere Testamento unctiones sacerdotis, prophetae, regis (Ex. 29, 7. 2 Reg. 19, 16. Cf. *P. Scholz*, Die heiligen Altertümer des Volkes Israel II 304 sqq.). Et Christus quidem secundum triplicem hanc rationem dicitur unctus, ut ostenditur in tractatu de Verbo incarnato (IV, n. 528 sqq.); sed hic unicum munus prophetae, i. e. legati divini, considerandum est. Iudaeos illam expectationem habuisse, praeter locos Veteris Testamenti (cf. infra n. 234) ostendit illa interrogatio Herodis, ubi ὁ Χριστός nasceretur (Matth. 2, 4); ostendit Simeon, qui exspectabat „consolationem Israel" et „responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret τὸν Χριστόν Κυρίου" (Luc. 2, 25 26); ostendit Anna prophetissa, quae loquebatur de Iesu „omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel" (Luc. 2, 38); ostendit illa legatio iudaeorum ad Ioannem Baptistam: „Tu quis es? . . . Et confessus est: Quia non sum ego

<sup>1</sup> „Die immer wieder gemachten Versuche zu leugnen, daß Jesus die messianische Würde in Anspruch genommen hat . . . scheitern an den sichersten Tatsachen der Überlieferung . . . erklärlich sind sie, weil der Unterschied von Messias und Christus designatus von diesen Kritikern nicht scharf ins Auge gefaßt wird und weil die Evangelien die Tatsache dadurch unsicher machen, daß sie den messianischen Anspruch Jesu ungeschichtlich hinaufdatieren [ante Matth. 16, 13 sqq.] und sich dadurch in Widersprüche und Unglaublichkeiten aller Art verwickelt haben" (*A. Harnack*, in Widersprüche und Unglaublichkeiten aller Art verwickelt haben" (*A. Harnack*, Lehrbuch der Dogmengeschichte I<sup>4</sup> 74 sq., nota 2). Secundum haec placita Messias idem est ac rex gloriosi regni messianici futuri post secundum adventum Christi; ideo Iesus tempore vitae mortalis erat Messias designatus tantum. Alia vide apud *E. Mangenot*, Les Évangiles synoptiques 265 sqq. et apud *J. Frings*, Die Einheit der Messiasidee in den Evangelien: Der Katholik 1917, I 15 sqq. 93 sqq. 173 sqq. 233 sqq.; II 35 sqq. 196 sqq.

ὁ Χριστός" (Io. 1, 19 20); ostendit interrogatio Ioannis: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?" (Matth. 11, 3); ostendit verbum Andreae: „Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus" (Io. 1, 41), et illud Philippi: „Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus" (Io. 1, 45); ostendit exclamatio iudaeorum: „Hic est vere ὁ προφήτης, qui venturus est in mundum" (Io. 6, 14); „Christus, cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?" (Io. 7, 31.) Itaque iudaeos exspectasse legatum divinum evidens est. Hunc legatum divinum iam adesse Ioannes Baptista testabatur (Matth. c. 3. Marc. c. 1. Luc. c. 3. Io. c. 1; cf. Matth. 21, 32; Io. 5, 33 sqq.), quo testimonio exspectatio populi ad summum adducebatur. Cf. *M. J. Lagrange*, *Le Messianisme chez les Juifs*, Paris 1909.

143. *Christus professus est se esse hunc legatum divinum*<sup>1</sup>. Ita ad illam quaestionem Ioannis: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?" respondet: „Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur" (Matth. 11, 5). Haec sunt verba vaticinii Isaiae (35, 5; 61, 1), quod a iudaeis de Messia intellegebatur. Quare hic est sensus responsi: Utique ego sum ille Messias, quem exspectatis (cf. Luc. 4, 16 sqq.). Non solum Christus patitur se vocari Messiam, sed etiam beatum praedicat Petrum, quod se agnoverit esse Christum (Matth. 16, 17; cf. Marc. 8, 29). Diserte quoque dixit se esse Messiam, ut duobus discipulis euntibus in Emmaus, qui lamentabantur mortem eius: „O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant" (Luc. 24, 25 sqq.). Mulieri samaritanae dicenti: „Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus); cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia", respondet Christus: „Ego sum, qui loquor tecum" (Io. 4, 25 26). Et pontifici eum adiuranti et interroganti: „Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es ὁ Χριστός, filius Dei", respondet: „Tu dixisti" (Matth. 26, 63 64). Ergo Iesus Christus perspicuis verbis docuit se esse illum legatum divinum, quem iudaei exspectabant.

<sup>1</sup> Christus plus est quam legatus divinus, est ipse verus Deus; unde facile explicatur, quod multa dixit et fecit, quae merus legatus Dei nec dicere nec facere potest. Sed quia quaestio de divinitate Christi involvit quaestiones de personis divinis et de incarnatione, quae hic tractandae non sunt, interim sufficit nobis ostendere Christum legatum Dei esse modo singulari et eximio. Probatum autem divinitas Christi in tractatu de Verbo incarnato (IV, n. 5 sqq.), ubi etiam dogmatica argumenta exhibentur, quae hoc loco afferri nondum possunt. Praeterea ibi (n. 11) exponitur, quomodo Iesus suavi et prudenti modo paulatim homines adduxerit ad perfectam sui cognitionem; ex quo facto immerito concludunt rationalistae Iesum conscientiam messianitatis et divinitatis suae non statim ab initio habuisse. De „Filio hominis" cf. ib. n. 29 nota.

Cur Christus non simpliciter dixerit: Ego sum Messias, immo interdum divulgationem messianitatis suae prohibuerit. iam supra (n. 122) breviter diximus. Exspectabant enim iudaei Messiam, qui restitutus esset regnum politicum et liberatus populum a iugo romanorum. Christus igitur, ut ostenderet non agi de regno messianico politico sed de regno spirituali, neque faciendam esse seditionem sed emendandos esse mores, toties se subtraxit et opposuit populo ovanti. Neque putandum est eum non obtinuisse quod voluerit. Nam qui consilia politica abicere nolebant, se ab eo separabant et eius adversarii fiebant; qui vero bona spiritualia quaerebant, eius discipuli manebant. Salutis aeternae cupidi, etsi sunt peccatores, ad regnum ipsius admittuntur; illi vero, qui se iactant iustos sed temporalem gloriam appetunt, a regno excluduntur. „Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei... Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructum eius" (Matth. 21, 31 43). Itaque Christus obtinuit quod voluit. Suo enim agendi modo falsum messianitatis conceptum destruxit, verum autem stabilivit, etsi lente et difficulter tantum (cf. *H. Felder*, *Iesus Christus I 158 sqq.*; *Apologetica I 124 sqq.*). Iesus est Messias, qui liberat homines a peccato et ad iustitiam ducit. Hoc regnum iustitiae iam aderat, quando Iesus etiamtum vivebat in terra (Matth. 12, 28. Luc. 17, 21); sed aderat ad instar grani sinapis, quod oportebat crescere et fieri magnam arborem (Matth. 13, 31 sq.); statum suum perfectum hoc regnum non habebit nisi post ultimum iudicium (Matth. 25, 34). Ut doceret homines, quomodo ad regnum Dei caeleste pervenirent adiungendo se prius regno Dei terrestri, ad hoc venerat Iesus in mundum.

144. *Consequenter se proponit doctorem, cuius doctrina auctoritate divina fulciatur*. „Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati" (Io. 18, 37). „Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me... Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat" (Io. 12, 44 sqq.). „Ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me" (Io. 14, 6; cf. 8, 12; 9, 5). „Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me" (Io. 7, 16). „Semper docui in synagoga et in templo, quo omnes iudaei conveniunt" (Io. 18, 20).

„Erat docens eos sicut potestatem habens" (Matth. 7, 29). „Ego autem dico vobis..." (Matth. 5, 22 sqq.). „Qui spernit me et non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum in novissimo die. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Et scio, quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor" (Io. 12, 48 sqq.). „Qui autem non credit, iam iudicatus est" (Io. 3, 18; cf. Matth. 7, 24 sqq.; Luc. 6, 47 sqq.).

Dicit se esse maiorem Iona propheta, Salomone, Davide (Matth. 12, 41 sq.; 22, 43 sqq.), Abrahamo (Io. 8, 52 sqq.), omnibus prophetis

(Io. 5, 39. Matth. 13, 17; 21, 37. Marc. 12, 6). Ratio est, „quia, quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur... Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo“ (Io. 3, 11 sqq.). „Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit“ (Io. 1, 18).

**145.** *Ipsa alios legatos mittit, qui cum divina auctoritate ipsius doctrinam proponant.* „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“ (Io. 20, 21). „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis“ (Matth. 28, 18 sqq.). „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur“ (Marc. 16, 15-16). Cf. Matth. 21, 43; 24, 14.

Omnibus, qui propter hanc doctrinam persecutionem patiuntur, promittit vitam aeternam. „Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis“ (Matth. 5, 11 sqq.). Persecutoribus autem gravissimas poenas minatur (Matth. 10, 14 sqq.; cf. Luc. 6, 20 sqq.).

Recte igitur homines de eo dixerunt: „Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo“ (Io. 7, 46), nullus praecedentium doctorum et prophetarum; valdeque inepte agunt, qui Christum comparant cum magnis doctoribus, qui etiam inter gentiles exstiterunt, cum Pythagora, Socrate, Platone etc. Hi enim omnes solum conantur invenire verum, fatentur multiplicem suam ignorantiam, desperant de corrigendis erroribus et vitiis, ipsi in varios errores inciderunt. Sicut Christus nemo eorum locutus est, cum tanta auctoritate, certitudine, veritate, confidentia, simplicitate, ut cuius doctrina pervia sit omnibus, etiam simplicissimis hominibus, et nihilominus tam alta, ut ab ingeniosissimis exauriri nequeat. Unde nisi Iesus Christus est vere legatus divinus eo sensu quo nullus alius, habemus mysterium plane inexplicabile. Cf. *G. Esser, Jesus der göttliche Lehrer der Menschheit; Religion, Christentum, Kirche, herausgegeben von G. Esser und J. Mausbach II, Kempten 1913, 123 sqq.*

**Prop. IX.** Testimonium Iesu Christi de legatione sua divina iam per se fidem meretur.

**146. Argumentum.** Qui se legatum divinum proponit et propter hanc dignitatem doctrinae suae absolutam fidem postulat, is aut est vere legatus divinus, aut est homo scelestus, aut insanit. Itaque qui testimonio Christi non credit, eum debet aut hominem nequam aut hominem stultum habere. Sed neutrum rationabiliter dici potest: ergo Christus dicendus est vere esse legatus divinus.

Qui se dicit legatum divinum, cum sciat se non esse, ingens crimen committit, maxime si multos homines seducit et non solum privatim sed etiam in publico et coram iudice, adiuratus per Dei nomen, hunc errorem asseverat et usque ad mortem in eo persistit, sicut Christus. Unde *Christus, si sciens et volens tali modo homines fecisset, inter nequissimos malefactores computandus esset.* Atqui tale quid nemo audet dicere, cum manifestum sit Christum non solum fuisse bonum hominem, sed etiam sanctissimum et ab omni iniquitate quam maxime alienum, qui tuto potuit infensissimos inimicos suos interrogare: „Quis ex vobis arguet me de peccato?“ (Io. 8, 46), cuius tota vita perfectissimum exemplar sanctitatis fuit. Talis autem homo non potuit tam ingens crimen committere.

Porro ne potuisset quidem, etsi voluisset, quisquam tam perfecte personam legati divini agere, ut nullus inter tot amicos difficiles et inimicos acerbissimos ullam huius hypocrisis suspicionem haberet, quamvis omnes diligenter eum observarent. Verum hodie vix invenietur, qui audeat dicere Iesum hominem fraudulentum fuisse et suo consilio homines decepisse (cf. *Ottiger, Theologia fund. I 629 sqq.*).

**147.** Porro *Iesus Christus non laborabat illusionibus, quibus ipse deciperetur.* Eum non fuisse mente captum ostendit excellentissima eius doctrina religiosa et moralis. Sed conantur rationalistae nobis persuadere eum fuisse ingeniosum quendam enthusiasten, qui sincere sibi persuasisset, se esse a Deo inspiratum et legatum divinum. Iesus, inquiunt, erat homo ingenio praestans, qui, educatus a piis, parentibus in iis condicionibus externis, quae ingenitae eius inclinationi quam maxime favebant, mature ideam Dei ut Patris caelestis concepit et ad summam perfectionem excoluit. Hac igitur idea inflammatus, de vera iustitia et de regno Dei longe alia ratione sentire coepit atque reliqui iudaei; et cum in se ipso expertus esset, quantam animi pacem cognitio et amor Patris caelestis afferret, misericordia motus est erga fratres suos, qui hinc amore rerum infimarum tenerentur, inde iugo legis servilis premerentur. Ideo alios quoque suae felicitatis participes reddere studuit iisque sensus, quos conceperat, magna eloquentia exposuit. Visis autem mirabilibus effectibus, quos orationibus suis inter omnes hominum ordines et classes producebat, sua quasi sponte factum est, ut primum suspicaretur, paulatim vero cum perfecta certitudine sibi persuaderet se esse Messiam a Deo destinatum ad adducendum populo suo tempus salutis toties a prophetis praedictum. Hac igitur via sine ullo miraculo, sine ulla psychologica violentia explicatur, quomodo Iesus, homo cum esset ut ceteri homines, nihilominus divinum quoddam prae se ferat<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Haec ad verbum fere desumpta sunt ex libro „Religionsphilosophie auf geschichtlicher Grundlage“<sup>2</sup> von *O. Pfeiderer* (Berlin 1884) 186 sqq. Qui in tertia editione (1896) ea, quae antea tam confidenter statuerat, omnia quidem delevit; sed quae eorum loco posuit (254 sq.), meliora non sunt.

148. Haec expositio potest haberi typica ad intellegendum *modum*, quo *recentes rationalistae testimonium Iesu de legatione sua divina explicare student*. Praedicant magnum Iesu Christi ingenium, efferunt ardentem eius zelum ad iuvandum miserum genus humanum, dicta et facta eius attenuant, pro proprio sensu verborum metaphoricis locutiones supponunt, et sic fingunt se explicasse facta historica, quamvis ea plane perverterint. Etiam si admittamus Iesum fuisse hominem ingeniosum et enthusiasticum, numquid ideo liber erit ab insania, si, cum revera non sit, se legatum divinum dixerit, qui maior sit omnibus prophetis, cui omnis potestas tradita sit in caelo et in terra, cui omnes sub poena aeternae damnationis fidem adhibere debeant, sine quo nemo ad Deum pervenire possit, qui omnibus hominibus sit via et veritas et vita, pro cuius doctrina pati sit summa beatitudo, qui cum absoluta certitudine promittat sectatoribus suis bona aeterna? Sine dubio quilibet alius homo, qui tale quid de se serio effaretur, ab omnibus censeretur ratione privatus. Itaque pulchris illis verbis, quibus Iesu ingenium praedicant, possunt rationalistae offuscare verum; at numquam explicabunt, quomodo Christi de se testimonium non fuerit insanientis, nisi reapse erat legatus divinus. Quod vero rationalistae fabulantur de divino semine, quod sit in ingenio humano, unde revelationes internae orientur, est placitum philosophiae pantheisticae, quae docet Deum esse per modum identitatis in omnibus rebus et manifestare suam vim praecipue in ingeniosis hominibus. Hoc sensu etiam Pflleiderer, qui est hegelianus, revelationem admittit, sed quantum hic error distet a doctrina Iesu Christi, explicatione non indiget.

149. Itaque *rationalistae pugnant contra sanam rationem*, si ex una parte negant Christum fuisse eum, quem se ipse professus est, et ex altera parte eum laudibus efferunt ut hominem plane admirabilem et prae omnibus insignem. Ita *Renan*, qui vocat Iesum decus generis humani<sup>1</sup>. Nihilominus quod Iesus dicit se Messiam et Filium Dei, qui venturus est cum angelis ad iudicandos homines, quod se proponit ut magnum regem ex domo David, similiaque alia sunt purae exaggerationes et illusiones. Iesus ipse sciebat haec non esse vera, sed sese accommodabat praeiudiciis popularium suorum<sup>2</sup>. Vides igitur, quomodo rationalistae sanctissimum hominem, qui ipsis fatentibus umquam fuit in hoc mundo, non dubitent simul facere infamem deceptorem, ne eius verbis fidem adhibere debeant. Uter autem est maiore fide dignus: Iesus Christus, qui dicit se legatum divinum, an eius calumniatores, qui, licet pulcherrimis verbis utantur, eum declarant pseudopropheta?

<sup>1</sup> „Jésus est l'honneur commun de ce qui porte un cœur d'homme“ (Vie de Jésus<sup>16</sup> cv). „Il a fait faire à la religion un pas auquel nul autre ne peut et probablement ne pourra jamais être comparé“ (ib. 19). „Jésus a été l'honneur du peuple d'Israël“ (ib. 51). <sup>2</sup> L. c. 256.

Fuerunt quidem multi pseudoprophetae in mundo: at inauditum est virum tantae sanctitatis et sapientiae, quantae fuit Christus, se falso professum esse legatum divinum. Tota enim vita Christi est maximum miraculum ordinis moralis et per se sola sufficit ad conciliandam fidem professioni, quam ipse de se fecit. Plura vide apud *A. Seitz*, Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908, 40 sqq. 171 sqq. 290 sqq. Cf. etiam *Przywara-Karrer*, Newman II (Freiburg i. Br. 1922) 29 sqq. Blasphemias, quas quidam rationalistae furibundi contra Iesum effutiunt, repetere non libet. Vide de iis, si placet, *Felder*, Iesus Christus II 19 sqq. vel brevius, Apologet. I 167 sqq.

**Prop. X. Nullius momenti sunt, quae rationalistae contra possibilitatem revelationis divinae a priori obiciunt.**

150. Supponimus quidem hic ea, quae in philosophia dicta sunt (cf. *Theod. Meyer*, Instit. iuris nat. II 19 sqq.), sed haec applicanda sunt ad revelationem christianam, et solvendae obiectiones, quas rationalistae contra revelationem „absolutae veritatis“, ut aiunt, movere solent. Ratio principalis, ob quam naturalistae et rationalistae negant Christum esse legatum divinum, haec est, quod *revelationem proprie dictam fieri posse negant*; unde si Christus dicit se velle revelationem divinam cum hominibus communicare, hoc secundum rationalistas aut omnino falsum, aut saltem sensu improprio intellegendum est. Ergo argumentis aprioristicis pugnant contra factum, id quod iam per se est absurdum.

Rationalismus, inquiunt, merito postulat, ne quicquam admittatur, quod humana ratio intellegere non possit, ne in ordine quidem religioso. Neque enim ulla revelatio vel inspiratio divina fieri potest, nisi cooperantibus facultatibus humanis: immo nihil est nisi naturalis quaedam intuitio veritatis religiosae in ingeniosis hominibus. Ubi autem cooperantur facultates humanae, hoc fit secundum leges psychologicae immutabiles, quibus excluditur omnis revelatio, in qua animus humanus mere passive se habeat, et homo fiat os, per quod alius loquatur. Si autem homo active concurrat, revelatio non iam est exclusive divina et absolute vera, sed continet elementa humana et fallibilia. Ideo numquam adfuit neque adesse potest doctrina revelata absolute immutabilis; sed potius omnia dogmata successu temporum perficiuntur et excoluntur, prout progressus scientiae postulat. Consequenter saepe hodie negandum erit, quod olim pro divina revelatione habebatur.

Rationalistarum opinionem suam fecerunt *modernistae*, de quibus encyclica „Pascendi“ haec habet: Modernistae procedunt ab agnosticismo, docentes Deum non posse ab homine ratiocinando cognosci. Quomodo ergo religio, cuius obiectum Deus est, explicatur? „Explicatio, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur

in ipso homine quaerenda; et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda; primordia vero, si de vita [religiosa] pressius loquamur, ponenda sunt *in motu quodam cordis, qui sensus dicitur*. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec indigentia in „subconscientia“ (Unterbewußtsein) latet et sensum illum peculiarem religiosum commovet, quo sensu homo realitatem divinam immediate attingit. „In eiusmodi sensu modernistae non fidem tantum reperiunt, sed cum fide inque ipsa fide, prout illam intellegunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? Annon revelationem dicemus aut saltem revelationis exordium sensum illum religiosum in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese in eodem religioso sensu animis manifestantem? Subdunt vero: Cum fidei Deus obiectum sit aequae et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua *religio* quaelibet pro diverso adspectu *naturalis* unã ac *supernaturalis* dicenda est. Hinc conscientiae ac revelationis promiscua significatio“ (Denz. n. 2074 sq.).

Modernistae non magis quam rationalistae protestantes ullam veritatem revelatam immutabilem admittunt. Omnia fluunt excepto Deo ipso eiusque essentiali ad mundum relatione. Eatenus tantum unitas aliqua inter successivas evolutiones religiosas admittenda est, quatenus ex evolutione praecedenti evolutio sequens oritur. Hac ratione tota religio et doctrina christiana Iesum auctorem habet, quia facta psychologica et religiosa, quae ipse in se expertus est et aliis manifestavit, similia phaenomena religiosa in eius discipulis creantur et sic ut causa in effectibus permanserunt usque ad nostra tempora<sup>1</sup>.

Rationalistarum doctrina de revelatione multiplicem confusionem continet; quare ante omnia opus est distinctam notitiam revelationis divinae praemittere. Revelatio supponit Deum personalem, qui ut persona cum personis agere possit. Qui impugnant revelationem, plerumque nituntur principiis pantheisticis.

**151.** *Revelatio divina est locutio Dei ad homines, cui locutioni ex parte hominum respondet fides. Locutio autem intellegitur manifestatio, qua*

<sup>1</sup> Hanc doctrinam ex modernistarum scriptis exposui in „Theologische Zeitfragen“ IV (Freiburg i. Br. 1908) 39 sqq. Ad doctrinam modernistarum pertinet propositio 20, in decreto „Lamentabili“ die 3 iulii 1907 damnata: „Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia“ (Denz. n. 2020).

quis ea, quae habet in mente, cum altero communicat (cf. *S. Thom.* 1, q. 107, a. 1. *Suarez*, De fide disp. 8, sect. 8). Unde ad locutionem requiritur, ut quis velit manifestare conceptus suos (iudicia sua, sive formaliter sunt iudicia, ut in homine, sive eminenter, ut in Deo); nam si sine alterius voluntate invenio, quid alter cogitet, nemo dixerit eum mihi locutum esse. Quare locutio omnis proprie dicta est *testificatio*, qua quis testatur, quid ipse iudicet, ut alter propter hoc testimonium res communicatas admittat; et consequenter loquens suam auctoritatem interponit et vult, ut verbis suis fides adhibeatur (cf. 1 Io. 5, 9). Itaque cum Deus alicui homini *scientiam* tantum alicuius rei infundit, non interposita auctoritate testificationis, haec non est revelatio proprie dicta, quia non est veritatis, ut est in mente divina, manifestatio.

Quamvis Deus mentem suam etiam per opera creationis manifestaverit, et ita loqui possimus de revelatione naturali, tamen, ubi simpliciter sermo est de revelatione divina, intellegitur *revelatio supernaturalis*, qua Deus praeter ordinem naturae mentem suam manifestat (cf. *Conc. vatic.*, Const. de fide c. 2; *Denz.* n. 1785). Porro revelatio supernaturalis dividitur in immediatam et mediatam, prout fit aut a Deo ipso, nullo interposito nuntio, aut a legato, quem Deus misit. Quaevis autem *revelatio definiri potest*: veritatis per divinam testificationem manifestatio. Revelatio naturalis fit per facta, revelatio supernaturalis per verba. Per facta etiam res impersonales se manifestant, per verba vero persona sola.

**152.** *Locutio immediata Dei ad homines potest vario modo fieri*: per voces et alia signa sensibilia (cf. 1 Reg. 3, 4), per influxum in sensus internos (cf. Amos 8, 1; 9, 1. Ier. 1, 13 etc.), per productionem specierum in intellectu (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 173, a. 2, et *Contra gent.* l. 3, c. 154). Sed ad revelationem omnem proprie dictam praeter repraesentationem rerum, quomodocumque fit; requiritur infusio luminis intellectualis, vi cuius homo sufficienter intellegat res repraesentatas et iudicet has res sibi a Deo esse manifestatas. Quando autem nuntius intermedius aliis hominibus divina manifestat, debet certis argumentis (miraculis, prophetiis) probare ea, quae dicat, esse divinitus revelata (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 171, a. 1).

Facile patet Deum posse, si velit, unam tantum veritatem vel certum numerum veritatum manifestare, alias vero veritates celare. Quare is, qui revelationem accipit, non necessario omnia scit cum certitudine divini testimonii, sed ea tantum, quae revelata sunt. Unde possunt huiusmodi homines in aliis rebus errare, immo possunt putare ex divina revelatione procedere, quae de suo ingenio prompserunt. Ergo legatis divinis eatenus tantum fides adhibenda est, quatenus certis argumentis possunt ea, quae dicunt, divinitus revelata probare. Ubi autem habetur vera revelatio, ibi habetur etiam absoluta et immutabilis veritas eius rei, quae revelata est, quia revelatio nihil aliud

est nisi manifestatio cognitionis divinae, quae non potest esse falsa aut mutabilis, quamvis ille, qui revelationem accipit, non necessario omnia perfecte intellegat, quae Deus per revelationem intendit; ideo et ipse et alii in intellectu rerum revelatarum proficere possunt (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 171, a. 4 sqq.).

153. Per revelationem Deus mentem eius, cui aliquid revelat, non evehit ad essentialiter alium ordinem cognoscendi, prout fit in visione beatifica, sed signa, quae adhibentur, vel species, quae infunduntur, pertinent ad ordinem cognitionis, qui convenit viatoribus, atque ita *res divinae repraesentantur conceptibus analogis*. Ergo quod ad modum cognitionis attinet, revelatio non praebet perfectam cognitionem veri, qualem in altera vita habent beati, sed imperfectam illam, quacum stat fides. Sed licet *modus* cognoscendi sit imperfectus, tamen *id, quod* cognoscitur per revelationem, est immutabiliter verum. Huc pertinet, quod Deus ita se hominibus accommodat, ut iis, quae sunt familiaria et aliunde nota, utatur ad revelationes novas proponendas, ut cum iudaeis proponitur gentium in regnum messianicum collectio sub imagine peregrinationis ad montem Sion vel ut ingens amplificatio urbis Ierusalem (cf. *Is.* 2, 2; 14, 2; 49, 20; 54; 60, 10 11 etc.), ubi symbola sensibilia adhibentur ad ideas spirituales illustrandas. Patet autem his non magis falsum subesse quam cuivis locutioni metaphoricae.

154. Ex his eruitur responsum ad quaestionem, *quam partem habeat subiectiva hominis dispositio in accipienda et promulganda revelatione divina*. Deus enim utitur instrumentis secundum eorum naturam. Unde singulorum hominum, quos ut instrumenta revelationis suae eligit, peculiarem indolem non destruit, sed ea ita utitur, ut inde veritas detrimentum non capiat. Quare inter legatos divinos alii alia lingua, alio genere dicendi, aliis similitudinibus etc. utuntur. Ergo si quis dicit ne in revelationibus quidem divinis apparere veritatem absolutam, respondendum est: Secundum *modum*, quo res proponuntur, *conc.*; quantum ad *id, quod* revelatur, *subdist.*: Non omne verum revelatur, *conc.*; id, quod revelatur, non est immutabiliter verum, *nego*<sup>1</sup>. His praemissis thesis probatur.

155. *Argumentum*. Si revelatio divina repugnaret, haec repugnantia aut esset ex parte Dei, aut ex parte hominis, aut ex parte obiecti revelandi; atqui nihil horum dici potest; ergo revelatio divina non repugnat. Sola minor argumenti est probanda.

*Non repugnat revelatio ex parte Dei*, quia Deus omniscius multa in mente habet, quae nos ignoramus, et ea, quae nos non ignoramus,

<sup>1</sup> Cf. *Hettinger*, *Fundamentaltheologie* § 12 sqq.; *Denzinger*, *Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis* I (Würzburg 1856) 159 sqq.; *A. v. Schmid*, *Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie* (Freiburg 1900) 128 sqq.; *J. Muncunill*, *Tractatus de vera religione* (Barcinone 1909) 34 sqq.

ipse infinite melius scit. Porro Deo omnipotenti deesse non possunt viae ad manifestanda ea, quae ipse novit. Haec negare non potest, nisi qui Deum omniscium et omnipotentem esse negat. Quod homo homini loqui eique mentem suam manifestare potest, hoc Deo debet; ergo Deus a fortiori potest, quod ut possint, aliis contulit. Potest etiam Deus manifestationem veri talibus notis insignire, quibus certo ut divina cognoscatur, sive ipso miraculoso modo, quo res manifestat, sive aliis miraculis in confirmationem additis. Cogita e. g. Deum secretas aliorum cogitationes manifestantem vel res libere futuras praedicentem.

156. *Neque pugnat revelatio cum sapientia divina*, ut communiter rationalistae volunt. Putant enim revelationem ita tantum locum habere posse, si natura humana ab origine sua non fuerit sufficienter omnibus instructa, quae ad finem consequendum requirantur. At hoc esse falsum ex ipsa revelatione christiana manifestum est. Potest enim fieri, ut naturae in suo ordine nihil desit, et ut nihilominus Deus infinitus, qui libere haec bona dedit, alia bona habeat, quae naturae non quidem debita, attamen summe convenientia sint. Porro fieri potest, ut pro sua liberalitate et benignitate ad haec bona homines perducere velit per revelationem positivam, ut hoc modo singularem suam in homines caritatem manifestet. Ad hunc autem finem praecipue revelatio christiana facta est. Neque igitur per revelationem necessario defectus naturae suppletur, sed perfectio naturae ad altiorem ordinem evehitur.

Ceterum etiamsi ad defectus removendos revelatio fieri dicatur, hoc nihil absurdi continet. Nam illi defectus potuerunt oriri ex abusu libertatis, quam Deus hominibus concessit. Omnis enim creata libertas defectibilis est. Potest igitur Deus prius defectum permittere et dein ad bonitatem suam eo evidentius manifestandam hunc defectum suo immediato interventu sanare, sicut parentes et paedagogi saepe quosdam defectus puerorum permittunt, quo efficacius eos tollant. Hoc quidem est illud ipsum, quod rationalistae non concedunt, autonomam rationem humanam paedagogiae divinae subici debere. Sed haec est irrationalis arrogantia. Immo ad hanc ipsam arrogantiam reprimendam Deus permisit ruinam generis humani, quo evidentius appareat homines omnia gratiae divinae accepta referre.

157. *Non repugnat revelatio ex parte hominis*. Homo enim in se solo non habet fontem omnis perfectionis intellectualis sibi convenientis. Ab aliis discere, aliis fidem habere, eorum auctoritati, etiam in cognoscendo vero, subici debet. Cur igitur inconveniens est eum Deo subici et divinae institutioni se docendum committere? Oportet quidem hominem saltem ratione prius, quam Deo credat, intellegere Deum infinite sapientem et veracem sibi esse locutum. Sed postquam hoc certo scit, sine dubio non est homine indignum, sed potius maxime rationabile Deo loquenti fidem habere.

Revelatio quidem, qualem rationalistae saepe fingunt, in qua homo *mere passive* se habeat, repugnat; nam ne Deus quidem contradictoria efficere potest. Esset autem contradictorium, quod homo sine actu vitali aliquod verum perciperet. Ergo homo, quando revelationem accipit, non minus vitaliter agit quam in omni alia cognitione, sed agit a Deo illustratus et confortatus, qua illustratione et confortatione tantum abest, ut vitalitas humana opprimatur, ut per se multum augeatur. Sicut impressio specierum, quae fit ab obiectis externis in sensus nostros et in intellectum, activitatem nostram non tollit, ita impressio specierum a Deo facta non tollit sed supponit et includit nostram vitalitatem. Lapidum Deus non potest quicquam revelare, neque hominibus posset, nisi rationales animas haberent (cf. *H. Schell, Apologie des Christentums* I, ed. 2, Paderborn 1902, 223 sqq.).

Neque ex hac vitali cooperatione hominis sequitur revelatione non exhiberi veritatem divinam, sed ei admisceri elementa humana. *Elementa enim humana non afficiunt id, quod cognoscitur, sed modum, quo cognoscitur.* In quantum autem imperfectus modus cognoscendi potest impedire, quominus veritas sufficienter apprehendatur, in tantum Deus debet supernaturali lumine iuvare intellectum et errorem cavere; et sic homo, quamvis cogitationem ut actum vitalem ipse producat, potest tamen ad hunc actum vitalem a Deo excitari, confortari, illuminari, dirigi, idque multo perfectius, quam inter homines discentes et docentes fieri potest, quia Deus in ipsa anima existit et in eam immediate influere potest, et sicut lumen rationis dedit, ita illud immediate perficere potest.

158. *Tandem non repugnat revelatio ex parte rei revelandae.* Multa enim esse possunt, quae homo vel ignorat vel non sufficienter novit. Omnis autem veritas intellectum perficit ideoque bonum est homini. Ergo quia homo per testimonium externum multa vera cognoscere potest, quae per se aut difficulter aut omnino non inveniret, ideo conveniens est homini has veritates ab aliis testibus, et maxime a Deo ut a teste infallibili, addiscere. Ceterum hoc ipsum efficitur ex facto revelationis christianae, per quam homines multas veritates religiosas et morales, antea ignotas aut imperfecte cognititas, didicerunt (cf. *Ottiger, Theologia fundament.* I 58 sqq.).

159. Potest hic per modum *confirmationis* addi vix non omnes populos admittere non solum possibilitatem, sed etiam factum revelationis a Deo cum hominibus communicatae (cf. *Lüken, Die Traditionen des Menschengeschlechts*, ed. 2, p. 3 sqq.). Huic autem communi persuasioni verum subesse necesse est. *Doctrina ecclesiae* de hac re habetur in illo canone *Concilii vaticani* (sess. 3, can. 2 de revel.): „Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur, anathema sit“ (*Denz.* n. 1807).

**Prop. XI.** Ne mysteriorum quidem revelationem repugnare probari potest.

160. Si in revelatione christiana non aliae veritates docerentur, nisi quas mens humana etiam per se assequi potest, non multum fortasse obloquerentur rationalistae. Sed quod haec revelatio multa quoque continet humanae rationi plane inaccessa, hoc eorum superbiae summo opere displicet; unde revelationem christianam ideo maxime reiciunt, quia permulta mysteria continet; nam, inquit, mysteria revelare, quae intellegere non possumus, est nihil revelare, sed rationi humanae vim inferre. Ut haec obiectio refutetur, imprimis explicandum est, quid sit mysterium.

161. *Mysterium* latissimo sensu est quaevis veritas, quae nos latet. Potest autem veritas multipliciter latere: a) quia *non sufficienter potentiae cognoscitivae proponitur*, quamquam per se eius vires nequaquam superat. Ita dicimus multa esse mysteria in interiore terra vel in profundo mari vel generatim in tota natura.

b) Quia, quamvis existentiam rei cognoscamus, *modus, quo res est secundum propriam suam rationem, nobis occultus est.* Ita Deum perfectionesque divinas naturaliter cognoscimus, modum tamen proprium divinae existentiae, essentiae, perfectionum non assequimur. — Mysteria, quae ad has duas classes pertinent, dicuntur *naturalia*, quia pertinent ad naturalem cognitionis ordinem.

c) Quia *possibilitatem quidem rei cognoscere possumus, at non existentiam*, quia haec pendet a libera determinatione agentium rationalium, cuiusmodi res sunt futuri actus liberi creaturarum et decreta Dei libera. — Haec classis continet mysteria *praeternaturalia* seu late dicta.

d) Quia *ipsam possibilitatem rei positive intellegere non possumus*, etiam postquam existentia eius nobis revelata est, qualia sunt mysteria Trinitatis et Incarnationis, circa quae possumus quidem ostendere obiectiones contra ea factas nihil valere, sed non possumus ex internis rationibus positive demonstrare ea non repugnare, et consequenter sine divina revelatione eorum existentiam cognoscere non possumus. — Haec sunt mysteria *supernaturalia* et stricte dicta.

162. De his docet *Concilium vaticanum* (sess. 3, c. 4): „Hoc quoque perpetuus ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio sed obiecto etiam distinctum, principio quidem, quia in altero naturali ratione et altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus innotescere non possunt. . . . Ac ratio quidem fide illustrata cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intellegentiam eamque fructuosissimam as-

sequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contexta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem. Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere" (Denz. n. 1795-sqq.; cf. n. 1816).

**163.** Itaque *mysterium stricte dictum est veritas, cuius neque existentiam ex naturalibus principiis invenire neque possibilitatem ex internis rationibus positive intellegere possumus.* Ideo dicuntur veritates absolute (non solum relative vel secundum modum) supernaturales.

Conceptu igitur rei exposito sequitur argumentum, quo non a priori probamus mysteria stricte dicta posse revelari, sed repugnantiam huius revelationis non posse ullam ostendi.

**164. Argumentum.** Revelatio mysteriorum probaretur impossibilis, si ostenderetur mysteria non existere, aut ea, si existerent, cum homine communicari non posse; atqui neutrum ostendi potest; ergo revelatio mysteriorum non potest probari impossibilis.

*Probari nequit nulla esse mysteria;* immo, in quantum agitur de mysteriis indefinite sumptis, evidens est esse mysteria; nam omnia, quae ex libero decreto Dei pendent, a nobis cognosci nequeunt nisi ex revelatione divina.

Praeterea intellectus divinus est simpliciter infinitus et habet obiectum infinitae perfectionis. Atqui in tali intellectu et in tali obiecto necessario multa insunt, quae nos assequi non possumus. Nam si inter varios intellectus, qui gradu tantum distant, unus non omnia capit, quae capit alius, a fortiori idem valet, ubi distantia non est finita sed infinita, non secundum gradum sed secundum essentiam. De qua re *S. Thomas*: „Duorum, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille, cuius intellectus est elevatior, multa intellegit, quae alius omnino capere non potest, sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae, quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. . . . Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum quam angelicus humanum. . . . Unde non omnia, quae in

se ipso Deus intellegit, angelus naturali cognitione capere potest, nec ad omnia, quae angelus naturali sua virtute intellegit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest, ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt" (Contra gent. l. 1, c. 3).

**165.** Ergo constat esse mysteria, quae nostram cognoscendi potentiam superent, si vocabulum mysterii sumitur indefinite, abstrahendo, utrum sint mysteria late an stricte dicta. Si vero quaestio ponitur, *num a priori probari possit existentia mysteriorum stricte dictorum,* quae sint a nostra cognitione tam remota, ut ne Deus quidem possit per conceptus saltem analogos eorum internam possibilitatem nobis manifestare, negative respondendum videtur. Etenim cum eiusmodi mysteria, quod ad internam eorum cognoscibilitatem attinet, prae nostri intellectus iudicio non magis habeant rationem entis quam non entis, non apparet, quomodo intellectus noster a priori aliquid circa tales res statuere possit. Antequam a Deo eiusmodi mysteria manifestata sunt, nulli homini tale quid in mentem venit, neque hucusque allata sunt argumenta, quae eorum existentiam probent. Nam quod Deus est infinitus, ostendit quidem nos non posse Deum comprehendere et consequenter multa de Deo cognoscibilia nos latere; at non ostendit esse in Deo aliquam perfectionem, quae ne per divinam quidem revelationem et per conceptus analogos nobis ut positive possibilis manifestari possit.

Quod autem Deus est actus purus, omnis vero cognitio nostra aliquid potentiale, haec ratio est, cur res divinas non attingamus conceptibus propriis. At hoc non sufficit ad statuendum mysterium stricte dictum. Nam neque existentiam, essentiam, perfectiones Dei, quas naturaliter cognoscimus, secundum modum earum proprium capimus. Nihilominus nemo dixerit illa omnia esse mysteria stricte dicta, cum conceptibus analogis eorum internam possibilitatem intellegamus<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. Zeitschrift für kathol. Theologie (Innsbruck 1886) 497 sqq. Si quis tamen cupit scire, quomodo tentari possit probatio philosophica existentiae mysteriorum stricte dictorum, legat *Garrigou-Lagrange* (De revelatione I 340—365), qui studet ostendere Deum in intima ratione Deitatis necessario esse mysterium, quod conceptibus analogis cognosci nequeat. Attamen manet haec dubitatio: Cum etiam ea quae pertinent ad intimam Deitatem, ut Trinitas, habeant rationem entis, quia secus ne revelari quidem possent, et cum omnis ratio entis pertineat ad obiectum adaequatum intellectus, cur haec Deo intime propria non potest Deus ita revelare et intellectum creatum ita iuvare, ut hic conceptibus analogis eorum internam possibilitatem cognoscat? Manifestum quidem est non posse intellectum creatum ex medio suo obiectivo positive cognoscere intimam Deitatis rationem secundum modum Dei proprium, sed hoc valet etiam de existentia Dei et de aliis perfectionibus divinis, quae non sunt mysteria stricte dicta; ad hoc enim ut aliquid non sit mysterium stricte dictum, sufficit, ut conceptibus analogis cognosci possit rei possibilitas. Itaque potius



Sed ex his ipsis efficitur philosophiam nihil posse a priori obicere contra existentiam mysteriorum stricte dictorum. Nam rei, quae nos plane latet, neque possibilitatem neque impossibilitatem a priori probare possumus. Porro a priori probare velle impossibilitatem mysteriorum, idem est ac dicere nos ens infinitum tam clare perspicere, ut intellegamus nihil in eo esse, quod naturales facultates simpliciter transcendat. Hoc autem est absurdum. Ergo impossibilitas mysteriorum non potest a priori probari.

166. *Probari nequit impossibilitas revelationis mysteriorum.* Nam quidquid habet rationem entis et veri, saltem analoge cum obiecto proportionato nostri intellectus convenit. Ergo a priori probari nequit esse aliquod ens et verum, quod a Deo ne conceptibus quidem analogis nobis manifestari possit. E. g. si quis nos interrogaret: Possuntne hi conceptus componi: hypostasis, quae propter infinitam suam perfectionem potest sine ulla sua mutatione alienam naturam assumere eamque in ratione suppositi supplere? seu breviter: potestne Deus assumere naturam humanam? — deberemus rationabiliter respondere: Nescio. Unde si Deus revelat hos conceptus componi posse, non est, cur ratio humana repugnet (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 66 sqq.).

167. *At, inquiunt, si de misteriis nihil intellegimus, nihil per eorum manifestationem discimus, et ita eorum revelatio est inutilis.*

*Resp.:* Numquid per revelationem mysteriorum SS. Trinitatis, Incarnationis, ordinis supernaturalis nihil didicimus? Numquid nihil discit homo, si audit se adeo a Deo amari, ut divina persona propter salutem humanam assumpserit nostram naturam et pro nobis passiones et mortem subierit? ut Deus velit nos evehere ad immediatam et intuitivam cognitionem divinae essentiae etc.? Itaque per revelationem non perspicimus quidem internam naturam mysteriorum, sed analogis conceptibus aliquo modo apprehendimus, quid valeant tum absolute in se tum relative ad nos sive instruendos in vero sive inspirandos ad bonum. Si conceptus nostri nullo modo possent illa mysteria repraesentare, revelatio esset inutilis, immo impossibilis. Quia vero hoc dici nequit, a priori probari non potest sive impossibilitas sive inutilitas

videtur dicendum cum *Ottiger*: „Ex eo iam, quod mysterii proprie dicti nec ratio nec modus possit positivo modo intellegi, sequitur manifesto, ad illud hoc alterum quoque pertinere, ut eius vel existentia vel possibilitas *positive* et vere philosophice numquam vel ante vel post acceptam eius revelationem ope solius rationis humanae demonstrari possit. . . . Atque ex dictis sequitur in hac nostra disciplina mysteriorum vel existentiam vel etiam possibilitatem positive probari non posse“ (Theologia fundamentalis I 53 sq.). Ceterum etiam *Garrigou-Lagrange* non vult dare demonstrationem directam et ostensivam existentiae mysteriorum, sed indirectam, seu negativam et relativam (De revelatione I 341). Fortasse agitur solum de diverso modo concipiendi et loquendi, non de doctrina re diversa.

revelationis mysteriorum. Deo igitur relinquendum est, utrum sapientiae eius conveniat talia mysteria revelare necne.

168. *Mysterium non pugnat contra nostram rationem, sed eam superat, et ideo non est, cur adiutorio externi testimonii divini aliquo modo a nobis apprehendi posse negetur, licet non conceptu per se proprio, sed conceptu proprio e communibus. Si autem tali modo apprehenditur, etiam aptum est ad perficiendam naturam nostram intellectualem et moralem<sup>1</sup>.*

**Prop. XII.** Revelatio homini utilis, immo quadamtenus necessaria est.

169. *Pars I. Revelatio homini utilis est.* a) Homo enim ita comparatus est, ut *debeat ab aliis instrui* et via fidei ad plurimas veritates addiscendas pervenire. Sane quivis homo, nullo excepto, esset in miserabili statu, si nihil admitteret, nisi quod ipse suo Marte invenisset. Eo autem utilior institutio homini est, quo sapientior est magister, qui eum instruit, quo maioris momenti sunt veritates, quas communicat, quo efficacior est modus docendi. Deus vero est sapientissimus et infallibilis magister; veritates, quas revelare potest, sunt supremi ordinis; modus docendi est efficacissimus, quia non solum externis verbis, sed interno quoque lumine docere potest. Ergo si ipse homines docere dignatur, haec institutio est homini utilissima.

b) Hoc etiam, immo quam maxime *valet de revelatione mysteriorum.* „Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest. Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet praesumptionis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet totum esse verum, quod iis videtur, et falsum, quod iis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum eius excederent. . . . [Porro] de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert. Et ideo, quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide“ (*S. Thom.*, Contra gent. l. 1, c. 5). Immo in rebus quoque philosophicis cognitiones nostrae

<sup>1</sup> Cf. Zeitschrift für kathol. Theologie 1886, 595 sqq.; *Muncunill*, De vera religione 53 sqq.

(e. g. de natura et hypostasi) multo perfectiores factae sunt revelatione mysteriorum. Multum quoque valet haec revelatio ad augendam reverentiam divinae maiestatis et ad hominem abstrahendum a rebus terrenis eumque inducendum ad amanda divina.

**170. Pars II. Revelatio quadamtenus necessaria est.** In hoc ordine rerum *revelatio moraliter necessaria est, ut omnes homines cognoscant veritates naturales ordinis moralis cum sufficienti celeritate, amplitudine, certitudine et sine admixtione graviorum errorum.* Eo quidem ipso, quod veritates sunt ordinis naturalis, constat homines habere physicam facultatem eas cognoscendi, et hoc ecclesia statuit contra traditionalistas (*Denz. n. 1622 sqq. 1649 sqq.*). Sed non obstante physica facultate tot adsunt difficultates, ut homines ad has cognitiones acquirendas revera non perveniant. Itaque *moralement impotentiam* statuimus non pro aliquo particulari homine neque respectu particularis veritatis, sed pro toto genere humano respectu summae earum veritatum, sine quibus vita moralis et religiosa homine digna non est possibilis. Huic autem impossibilitati respondet *necessitas moralis revelationis* vel saltem necessitas praeternaturalis influxus Dei; nam potuit Deus absolute alia via, e. g. per infusionem novi luminis, homines iuvare. Sed quia via instructionis est ordinaria via et quae hominis naturae maxime convenit, ideo *revelationem moraliter esse necessariam* statuimus.

**171.** Itaque imprimis est *factum historicum* omnes populos revelatione destitutos incidisse in gravissimos errores morales et religiosos, et consequenter intellectu et voluntate quam maxime corruptos fuisse. Quamvis enim ideam supremi numinis numquam plane amiserint, colebant tamen idola et deos multos, eosque non raro absurdo et turpi modo confictos. Quam abominabiles erant dii, tam abominabilis cultus eorum; nam praeter alias res „non tantum sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus tamquam immolatus“ interibat (*S. Augustinus, Ep. 91, n. 5; M 33, 315. Cf. S. Pauli Ep. ad Rom. c. 1 et Döllinger, Heidentum und Judentum, Regensburg 1857, maxime libri 7 et 8*). Haec perdita condicio populorum gentilium est res notissima. Atqui inde efficitur necessitas revelationis iam ob eam solam rationem, quod nulla alia via hic morbus moralis reapse curari potuit. Quidquid enim fabulantur de scientia, de philosophia, de aliis remediis naturalibus, certum est his omnibus non fuisse genus humanum in meliorem condicionem reductum, sed sola revelatione christiana meliorem statum generis humani productum esse.

**172. Philosophi inepti erant ad huic malo medendum.** Imprimis enim ipsa eorum doctrina referta erat pessimis erroribus, ut patet ex iis, quae Plato et Aristoteles tum de Deo, tum de vita morali, matri-

monio, servitute etc. docuerunt. Praeterea maxima inter eos vigeat discordia, etiam de gravissimis quaestionibus, et si quid boni docebant, vita eorum saepissime contradicebat. „Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui ita sit moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat?“ (*Cicero, Tusc. disp. 2, 4, 11.*) „Nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate maiore, i. e. divina illa, carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui praecipit“ (*Lactantius, Inst. 3, 27, 1; M 6, 433*). „Omnes cultores talium deorum, mox ut eos libido perpulerit, ‚ferventi‘, ut ait *Persius*, ‚tineta veneno‘ (*Sat. 3, 37*), magis intuentur, quid Iuppiter fecerit, quam quid docuerit Plato vel censuerit Cato“ (*Augustinus, De civ. Dei 2, 7; M 41, 53*). Immo ne volebant quidem philosophi communem populum docere, sed sequebantur illud: „Odi profanum vulgus et arceo“, et coram populo agebant, quasi ipsi communi errore imbuti essent. Valet enim de omnibus, quod *Augustinus* de Seneca ait: „Colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat“ (*De civ. Dei 6, 10, 3; M 41, 192*). Unde divina Christi missio ex sola comparatione cum omnibus philosophis, qui ante et post fuerunt, iam sufficienter suaderi potest (cf. *Muncunill, De vera religione 70 sqq.*).

**173. A priori quoque patet in hoc ordine solam scientificam inquisitionem non posse sufficere ad erudiendos homines de rebus ad rectam vitam et ad salutem necessariis.** Nam a) scientifica inquisitio diuturnum tempus requirit, donec omnes quaestiones cum certitudine definitae sint; neque vero possunt homines tam diu differre officia religiosa et moralia. — b) Multi homines vel propter ingenii tarditatem inepti vel per alias occupationes impediti sunt, quominus his inquisitionibus vacent. — c) In multis quaestionibus raro ad sufficientem certitudinem pervenitur, et multi errores admiscuntur (cf. *S. Thom. 1, q. 1, a. 1; 2, 2, q. 2, a. 4; Contra gent. l. 1, c. 4; De verit. q. 14, a. 10*).

Dicendum quidem est primitivam quandam cognitionem Dei posse ab omnibus hominibus cum satis magna facilitate et certitudine acquiri, id quod latius ostendetur in tractatu de Deo uno (II, n. 3 sqq.; cf. *Rom. 1, 18 sqq.; Sap. 13, 1 sqq.*). At haec primitiva Dei cognitio non sufficit, ut homines ad dignam vitae condicionem in ordine morali et religioso perveniant; immo nisi Deus interveniat, homines sua malitia etiam illam primitivam cognitionem perimunt, id quod apostolus (l. c.) ut factum notissimum gentibus obicit. Itaque „quia in Dei sapientia [quae relucet in mundi opificio] non cognovit mundus per sapientiam [humanam] Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes“ (1 Cor. 1, 21).

174. Potest quidem videri is ordo male a Deo institutus, in quo ne ad cognitiones quidem naturaliter necessarias homines per suas vires pervenire possunt. Sed si in concreto aspicimus causas huius impotentiae, videmus esse *malam voluntatem hominum, concupiscentias, peccata*, quae regnant in mundo. Si rursus quaeritur, quomodo potuerit talis perversio genus humanum invadere, philosophia quidem sufficiens responsum non habet, sed ideo debet contenta esse, si ex revelatione discit ultimam rationem esse illam primitivam apostasiam generis humani a Deo, quae vocatur peccatum originale.

175. Ex altera parte ne ipsa quidem revelatio omnes errores efficaciter tollit neque omnem malitiam moralem removet; nam neque ipsa mutat essentiam hominum neque destruit liberam voluntatem neque impossibilem reddit abusum eius. Sed ope revelationis omnes homines, etiam ingenio tardi, facile addiscunt veritates scitu necessarias, et divina eius auctoritate facile erudiuntur in bonis moribus et moventur ad bene agendum. Potest enim Deus revelationem talibus notis insignire, ut etiam ab indoctis hominibus revelatio vera a revelatione falsa facile discerni possit, et praeterea sicut supernaturalem revelationem dare potest, ita potest etiam supernaturali lumine intellectum iuvare ad has veritates capiendas et supernaturali motione voluntatem excitare ad eas sequendas.

Sicut evidens est inter gentiles non inventum esse remedium tot malorum moralium, quibus homines laborabant, ita negari nequit totam condicionem rerum statim mutatam esse per religionem christianam. Itaque, quidquid est de philosophicis speculationibus, revera per solam religionem christianam desperata hominum condicio, quae antea fuit, sanata est, et ideo recte dicimus religionem christianam fuisse non solum utilissimam, sed moraliter necessariam, etiam quod attinet ad veritates per se naturali cognitioni non impervias.

176. *Pars III. Revelatio absolute necessaria est in hypothesis ordinis supernaturalis.* Non quidem a priori positive scimus, num possibilis sit ordo salutis, qui omnem potentiam et exigentiam naturae excedat. Sed si talis ordo possibilis et a Deo institutus est, id quod christiana religio affirmat, necessitas revelationis manifesta est. Nam ordo supernaturalis in eo est, quod homo mediis proportionatis appetere debet finem, cuius existentia ei ex naturalibus principiis plane non potest esse nota, tum quia institutio huius ordinis pendet a libera Dei voluntate, tum quia hic ordo in se est mysterium. Itaque ut homo hunc finem cognoscat et sciat, qua via ad eum pervenire possit, revelatio est absolute necessaria.

Etiam ipsas veritates religiosas naturales in hoc ordine homo apprehendere debet modo supernaturali, quia Deus non postulat ab homine obsequium pure naturale, sed supernaturale, cui respondeat

praemium supernaturale. Itaque non potest homo ullum actum meritorium ponere, nisi in quantum per hunc actum finem supernaturalem aliquo modo appetit. Sicut enim quis faciendo gressus in planitie non potest ascendere in altum, ita sequendo sola principia naturalia homo non potest appropinquare fini supernaturali. Qui igitur ex principio pure naturali bonum opus facit, non habebit pro hoc actu mercedem supernaturalem. Sed sicut apostolus ait: „Iustitia Dei revelatur ex fide in fidem“ (Rom. 1, 17), et omnes eatenus mercedem a Deo accipient, quatenus per bona opera sua supernaturalem „gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt“ (Rom. 2, 7). Vita autem fidei esse nequit sine revelatione. Ergo revelatio est absolute necessaria.

177. Sed *revelatio, quamvis sit a deo necessaria, est nihilominus vera gratia*, i. e. donum prorsus indebitum. Debitum est quidem homini, ut Deus aliquo modo ei provideat omnia media ad assequendum finem ultimum (naturalem) necessaria; at finis et media tam excellentia, ut omnem exigentiam naturae transcendat, non sunt debita. Quia igitur Deus in hoc ordine non dat media salutis naturae hominis correspondentia, sed essentialiter meliora, totus ordo salutis est vera gratia; et sic in Deo nulla erat necessitas antecedens et absoluta dandi hominibus revelationem.

Noli tamen oblivisci de his rebus nos ut philosophos non posse nisi hypothetice loqui, ita scilicet, si vera est revelatio christiana, quia sine hac revelatione ne ideam quidem harum rerum haberemus. Quando vero ideae proponuntur, sana philosophia dicit se non videre ullam in iis repugnantiam, immo res illas, si possibiles sint, esse quam maxime utiles et optatas (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 85 sqq.).

**Prop. XIII. Iesus Christus docuit integram suam doctrinam omnibus hominibus necessario amplectendam esse.**

178. Legatus divinus mitti potest ad aliquam particularem tantum veritatem annuntiandam; quod si fit, legatus ille in reliquis manet errori obnoxius ut quivis alius homo (cf. 1 Par. 17, 1 sqq.). Unde quaerendum est, qua amplitudine Christus sibi adscripserit legationem divinam. Responsum autem ex iis, quae antea dicta sunt, satis elucet. *Christus enim sine ulla restrictione totam doctrinam suam ut divinam revelationem proposuit*, cui ne in minima quidem re repugnare liceret. „Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. . . . Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. . . . Qui spernit me et non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed, qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Et scio, quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor“ (Io. 12, 44 sqq.). „Docete omnes gentes . . .

docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis" (Matth. 28, 19 20). „Qui non crediderit, condemnabitur" (Marc. 16, 16). „Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum" (Matth. 5, 19). „Omnis ergo, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. . . . Et omnis, qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam . . ." (Matth. 7, 24 26). Eodem modo discipuli Iesu doctrinam eius intellexerunt (cf. Rom. 3, 22; Gal. 1, 6 sqq.). Itaque non potest esse dubium, quin Iesus Christus integram doctrinam suam divinitus revelatam et hominibus omnibus datam esse professus sit.

Consequens est *religionem a Christo annuntiatam numquam abolendam, numquam mutandam esse*. Docebitur haec religio „usque ad consummationem saeculi" (Matth. 28, 20). „Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio" (Matth. 24, 14). Ergo usque ad finem mundi integra Christi doctrina usque ad minimum mandatum praedicanda et servanda est. „Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt" (Matth. 24, 35)<sup>1</sup>. Cf. infra n. 270 313 sqq. 391.

<sup>1</sup> Harnack negat Christum voluisse, ut religio a se annuntiata etiam gentibus proponeretur. „Sieht man von den Worten ab, die unser erster Evangelist dem auferstandenen Jesus in den Mund legt, und die sich ähnlich im unechten Anhang zum zweiten Evangelium finden, läßt man ferner die Geschichte der Weisen aus dem Morgenlande und gewisse alttestamentliche Zitate, welche der erste Evangelist in seine Darstellung eingeflochten hat, beiseite — so muß man anerkennen, daß Markus und Matthäus der Versuchung, in die Worte und in die Geschichte Jesu die Anfänge der Heidenmission einzutragen, fast durchweg widerstanden haben" (Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten I<sup>2</sup> [Leipzig 1906] 33). Brevius dixisset: Si omittimus ea, quibus in evangeliiis universalitas religionis christianae enuntiatur, non iam quidquam de eius universalitate in evangeliiis scriptum invenimus.

Secundum veritatem res ita se habet: Immediate post sermonem in monte Matthaeus narrat historiam centurionis, de quo Iesus ait: „Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores" (Matth. 8, 10 sqq.). Clarius exprimi vix potest vocatio gentium et abiectio magnae partis iudaeorum. Idem dicit 21, 43. In ipso sermone in monte Christus dixerat apostolis: Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου (Matth. 5, 14). Hoc verbum κόσμου Harnack linea subducta effert, ut ostendat quartum evangelistam ideam universalitatis intulisse in evangelium et ideo dixisse: Ἴδε ὁ ἀμὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου (Io. 1, 29). Iam si illud τοῦ κόσμου apud Ioannem significat universalitatem, cur non apud Matthaeum? Nonne Matthaeus diserte indicaverat beneficium evangelii etiam cum gentibus communicandum (Matth. 4, 12 sqq.)? ubi utique habet „citatum propheticum", quod non minus valet ad mentem eius manifestandam quam propria ipsius verba. Porro Christus apostolis praedicat: „Et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus" (Matth. 10, 18). Iterum: „Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe (ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ) in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio"

179. Consequenter si legationem suam divinam probavit (quam luculenter eum probasse mox ostendemus), *obligantur omnes homines ad integram doctrinam eius amplectendam*. Quivis enim, cui cum sufficienti certitudine divina revelatio proponitur ut ad eum pertinens eumque obligans, sine dubio eam sequi tenetur, cum homines debeant Deum eo modo colere, quo Deus vult.

Ex iure naturae homini officium incumbit hypotheticum amplectendi revelationem, si datur revelatio publica et universalis. Ergo verificata hac hypothesi ipsa lex naturae dictat homini non licere hanc revelationem respuere. Immo, ut vidimus (supra n. 169 sqq.), etiam a priori ratio docet necessitatem quandam revelationis et proinde homines inducit ad investigandum, num et ubi talis revelatio existat. Quia igitur non potest homo esse indifferens circa ea, quae ad salutem sunt necessaria, quivis debet revelationem amplecti, si ei cum certitudine offertur, aut, quamdiu sufficientem certitudinem non habet, debet inquirere, donec certus fiat. Ergo indifferentismus religiosus et a priori et maxime post Iesu Christi adventum omnino reiiciendus est.

### SECTIO III.

#### DE ARGUMENTIS, QUIBUS CHRISTUS TESTIMONIUM SUUM COMPROBAVIT.

180. Deus, si hominibus revelationem dat, debet eam iis characteribus insignire, quibus cognoscatur esse divina. Hi characteres vocantur *notae*, quia revelationem ut divinam manifestant; *criteria*, quia ex iis vera revelatio a falsa dignoscitur; *motiva credibilitatis*, quia revelationem credibilem reddunt. Haec criteria possunt dividi in interna, quae ex ipsa indole doctrinae, quae proponitur ut revelata, hauriuntur; externa, quae sunt facta huic doctrinae externa; porro in negativa, quae ostendunt nihil esse in re proposita, quod divinae revelationi repugnet; positiva, quae ostendunt doctrinam esse reapse divinitus revelatam. Itaque, qui se legatum divinum profitetur, debet

Matth. 24, 14; cf. 13, 38). Omitto cetera, cum evangelium Matthaei inde a narratione de magis et de fuga in Aegyptum usque ad illa verba: „Docete omnes gentes" (28, 19) manifeste doceat iudaeos quidem proxime esse heredes promissionis messianicae, attamen plurimos eorum per duritiam cordis a salute defecisse, cuius gentes participes factae sint. Ceterum alii quoque evangelistae idem docent (Marc. 13, 10 27; 14, 9; 16, 15. Luc. 2, 32; 13, 29; 24, 47. Io. 1, 9 12 13; 3, 17; 10, 16; 11, 52; 12, 20 sqq. 46 sq.). Difficultates vero inde surgentes, quod Christus ipse non praedicavit gentibus, quod apostolos non statim ab initio misit ad gentes, aliae, quas Harnack proponit, facilem habent solutionem et toties iam explicatae sunt, ut iis immorari necesse non sit. S. Paulus in Epist. ad Galatas ideo effert se non ab hominibus, sed ab ipso Iesu Christo missum esse ad praedicandum gentibus, ut ostendat se sub hoc quoque respectu parem esse ceteris apostolis. Cf. Der Katholik 1903 I 240 sqq. et M. Meinertz, Jesus und die Heidenmission (Münster 1908), qui hanc quaestionem copiosissime discussit.

ea argumenta afferre, quibus doctrinam eius ut vere revelatam cum certitudine cognoscere possimus. Hoc Christum fecisse iam ostendendum est (cf. *Suarez*, De fide disp. 4, sect. 2 sqq.; *J. B. Becker*, Die Weissagungen als Kriterien d. Offenb., Mainz 1890, 9 sqq.; *J. Bonniot S. J.*, Le miracle et ses contrefaçons, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1888; etiam germanice sub titulo: Wunder und Scheinwunder, Mainz 1889; *E. Müller*, Natur und Wunder, Freiburg 1892).

ART. I.  
DE MIRACULIS CHRISTI.

**Prop. XIV.** Iesus Christus ad probandam legationem suam divinam provocavit ad miracula, quae patravit.

**181.** *Iesus diserte docuit sibi fidem habendam esse, quod opera miraculosa patraret, quae ostenderent se revera a Deo esse missum.* „Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me“ (Io. 5, 36). „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite“ (Io. 10, 37-38). „Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite“ (Io. 14, 10 sqq.). „Si non venissem et locutus fuisset iis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. . . . Si opera non fecissem in iis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum“ (Io. 15, 22 sqq.)<sup>1</sup>. Quare ad quaestionem, num ipse sit Messias a Deo promissus, „respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur“ (Matth. 11, 4-5). Antequam Lazarum resuscitaret, „Iesus elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti“ (Io. 11, 41-42). Et de sua resurrectione ait: „Generatio mala et adultera signum [missionis meae divinae] quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Iona in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus“ (Matth. 12, 39-40). Vituperat quidem Christus, quod velint ei praescribere, quale signum debeat facere (cf. Marc. 8, 11), et quod saepe tardi sint ad credendum et veloces ad postulanda beneficia miraculosa (Io. 4, 48), sed nequaquam docet miracula esse inutilia vel superflua

<sup>1</sup> Quid sint „opera“, de quibus Christus toties loquitur, colligitur ex verbis eius: „Unum opus feci [sanando paralyticum, Io. 5, 1 sqq.], et omnes miramini“ (Io. 7, 21). Et: „Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet“ (Io. 14, 12).

ad probandam legationem suam divinam. Neque miracula patrat ad satisfaciendum curiositati hominum vel ob alios fines, qui ad salutem nihil conferant, sed ad hoc, ut homines credant. Unde homines pertinaces in incredulitate sua excluduntur ab hoc beneficio. Ita in urbe Nazareth „non fecit virtutes multas propter incredulitatem eorum“ (Matth. 13, 58). Cf. *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit IV, n. 176 sqq.

**182.** *Miracula igitur patrabantur, ut essent ratio, ob quam homines Christo crederent.* „Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat“ (Io. 2, 23). „Et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?“ (Io. 7, 31.) Propterea evangelistae tantam multitudinem miraculorum Iesu Christi narrarunt. „Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius“ (Io. 20, 30-31. Cf. Rom. 15, 18; 2 Cor. 12, 12). Ideo miracula vocantur *signa*, σημεῖα, quia sunt argumenta divinae legationis Iesu Christi (e. g. Matth. 12, 38 sq.; Marc. 8, 11 sq.; Luc. 11, 29 sqq.; Io. 2, 11); appellantur *prodigia*, τέρατα, quatenus sunt eventus extraordinarii et mirabiles (e. g. Io. 4, 48), *virtutes*, δυνάμεις, quatenus sunt effectus potentiae superioris (e. g. Matth. 11, 21-23; Marc. 6, 2-5; Luc. 19, 37).

**183.** *Miracula in confirmationem alicuius doctrinae ut divinitus revelatae patrata testantur divinam originem huius doctrinae.* Est enim miraculum effectus sensibilis, quem extra naturae ordinem Deus producit. Effectus est extra naturae ordinem, sive quia res ipsa facultates virium naturalium superat (miraculum supra naturam), ut multiplatio corporum, sive quia modus, quo res fit, est praeter vires naturales (miraculum praeter naturam), ut si morbus solo verbo sanatur, sive quia effectus producit in materia naturaliter inepta (miraculum contra naturam), ut si mortuus resuscitatur (*S. Thom.* 1, q. 105, a. 7; De pot. q. 6, a. 2; Contra gent. l. 3, c. 101). Quia igitur effectus est praeter consuetum naturae cursum, potest miraculum dici effectus insolitus (et ideo mirus; unde nomen miraculi); sed hoc non necessario significat raritatem talium effectuum; „unde, si cotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset“ (*S. Thom.*, In 2, dist. 18, q. 1, a. 3 ad 2). At si hoc fieret secundum constantem ordinem a Deo institutum, non iam esset miraculum. Effectus debet aliquo modo (saltem mediate, ut in scientia infusa) esse sensibilis, quia, si plane insensibilis est, non ciet admirationem, quam nomen miraculi indicat. Creatio non solet numerari inter miracula, quia non tam est supra vel praeter vel contra naturae ordinem quam ante naturae ordinem eumque producens. Potest Deus angelis quoque vel hominibus uti ad miracula patrandam; quod si fit, angeli et homines non sunt nisi instrumenta in manu Dei,

et ideo effectus Deo adscribi debet (cf. *S. Thom.*, De pot. q. 6, a. 4 et 2, 2, q. 178, a. 1 ad 1). Ea autem, quae angeli per se efficere possunt, non sunt miracula stricte dicta; in quantum tamen fiunt sub providentia divina, moraliter a Deo procedunt, et ideo possunt nobis esse signa (miracula quoad nos), quibus veritas alicuius doctrinae probatur (cf. *S. Thom.* 1, q. 110, a. 4 ad 2). Portenta autem, quae ope daemonum fiunt, a divina providentia ita tantum permitti possunt, ut via adsit veram eorum naturam dignoscendi (cf. *Bonriot*, Le miracle et ses contrefaçons, pars 1, c. 5; pars 2, c. 8, § 4; *Muncunill*, De vera religione 102 sqq.). Quando interdum magna facta ordinis naturalis vocantur miracula, miraculum sensu latissimo sumitur, ut est quaevis res, quae admirationem movet (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 170 sqq.).

184. Itaque, si vera miracula fiunt ad ostendendum aliquam doctrinam esse a Deo revelatam, haec *miracula doctrinam quodammodo divino sigillo obsignant eamque ut divinitus traditam notant*. Nam cum miraculum a solo Deo fieri possit, homo, qui in confirmationem doctrinae suae ut revelatae postulat a Deo miraculum, Deum testem invocat veritatis. Deus igitur, si in his condicionibus miraculum patrat, testatur doctrinam esse divinitus revelatam et veram. Hunc enim et nullum alium sensum habet signum, quod Deus efficit, ad hoc ab homine provocatus (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 261 sqq.).

Dicunt quidem nonnulli non posse veritates aeternas et immutabiles probari factis temporalibus et accidentalibus. At certe qui hoc dicunt, ipsi sibi contradicunt. Cur enim student verbis et scriptis temporalibus et accidentalibus docere et probare propositiones aeternas et immutabiles, si hoc plane fieri nequit? Ceterum distinctio est obvia et manifesta: Quod est temporarium, non potest esse principium *ontologicum* veritatis aeternae, *concedo*; non potest esse principium *manifestativum*, *nego*. Christus, etsi non fuit legatus divinus, quia miracula patrat, sed quia a Deo missus est, tamen probatus est a Deo missus per miracula. Probatio veritatis aeternae, quomodocumque hominibus fit, semper est res accidentalis et transiens, sicut etiam ipsa cognitio, ad quam producendam probatio tendit. Sicut igitur quaecumque veritas, nisi fit intellegibilis in sensibilibus, a nobis cognosci non potest, ita etiam divina legatio Christi, quae in se est invisibilis, per signa sensibilia nobis manifestanda est, et unus modus huius sensibilis manifestationis sunt miracula.

185. Possunt quidem in abstracto excogitari condiciones, in quibus homo miraculo, quod Deus aliunde iam facere decreverat, abutatur in confirmationem alicuius mendacii (cf. *Suarez*, De myst. vitae Christi disp. 31, sect. 2). Ita enim Deus non esset testis falsus, cum omnino non ageret ut testis. At dicendum est hanc suppositionem tantum non secundum nudos conceptus repugnare. Necesse enim est in hoc

casu homo antecederet sciat Deum patraturum esse miraculum. Deus autem hoc non revelabit homini, quem scit ad talem finem abusurum esse hac notitia. *Si quaeris*: Nonne potest ob alios bonos fines Deus homini concedere gratiam sanitatum, quamvis praevideat futurum abusum in confirmationem falsitatis: *respondeo*: Non potest. Quia Deus, si permetteret, ut hoc modo suo nomine et auctoritate proponeretur et confirmaretur mendacium, ut homines non possent rationabiliter dubitare, a debita providentia deficeret et viam occluderet omni verae revelationi, id quod admitti nequit. Omnis enim veracitas et certitudo periret, si res, quae ex natura sua sunt signa veritatis, possent ex occulto fine ita usurpari, ut rationabiliter acciperentur ut comprobatio alicuius asserti, quod est falsum (cf. *Muncunill*, De vera religione 135 sqq.). Multo minus concipi potest, quomodo Deus vitam hominis, qui se legatum divinum mentiatur, possit continua quadam miraculorum serie insignire et omnipotentiam suam quodammodo eius arbitrio committere, ut fieri videmus in vita Christi, qui non solum ipse omnis generis miracula patrat (cf. Io. 3, 2; 7, 31), sed etiam discipulis suis eandem potestatem contulit. Tandem possunt miracula eo modo fieri, ut Deus voce vel signo miraculose productis diserte declaret hunc hominem esse legatum divinum. In his omnibus condicionibus Deus aperte falsus testis existeret, nisi talis homo esset vere legatus divinus (cf. *Lugo*, De fide disp. 2, sect. 2; *Bellarm.*, De notis ecclesiae 4, 14; *S. Thom.* 2, 2, q. 5, a. 2; q. 178, a. 2 ad 3; Quodl. 2, q. 4, a. 6 ad 4; *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit IV, n. 206 sqq.; *Bonriot*, Le miracle et ses contrefaçons, pars 1, c. 1 et 2; *K. Knur*, Christus medicus? Freiburg 1905; *L. Cl. Fillion*, Les miracles de N. S. Jésus-Christ, Paris 1910).

186. Itaque vides, quid valeat *obiectio rationalistarum*, miracula potius esse impedimenta fidei quam motiva credibilitatis, cum ipsa sint id, quod difficillime credatur, utpote repugnantia omni analogiae experimentalis. — Haec enim valent pro iis tantum, quibus a priori persuasum est Deum non posse patrare miracula, et qui nolunt quicquam admittere, quod ratione capere non possunt. Numquid fortasse omnes, qui propter miracula crediderunt et adhuc credunt, fuerunt idiotae, et soli rationalistae sana ratione et ingenio praediti?

**Prop. XV. Nihil valent obiectiones rationalistarum contra possibilitatem et cognoscibilitatem miraculorum<sup>1</sup>.**

187. *Pars I: Nihil valent obiectiones contra possibilitatem miraculorum.* Vires enim naturae sunt finitae, Deus est infinitus, liber, omnipotens; ergo Deus facere potest ea, quae vires naturae transcendunt. Supponitur utique Deus personalis, non pantheisticus, ipse caecae necessitati subiectus.

<sup>1</sup> Cf. quae de hac re scripsi in „Theologische Zeitfragen“ V 82 sqq.

Praeterea totus ordo naturae existit solum per liberam voluntatem Dei (ne ea quidem adest necessitas, quae in ordine morali); ergo Deus, qui hunc ordinem fecit, in singulis casibus et ob debitos fines potest praeter hunc ordinem agere. Debitus autem finis est confirmatio revelationis, ut dictum est (cf. *H. Haan*, Philosophia naturalis, ed. 3, Friburgi 1906, n. 101 sqq.; *T. Pesch*, Institut. philosophiae nat. II, ed. 2, Friburgi 1897, n. 653 sqq.; *I. Hontheim*, Institut. Theodicaeae, Friburgi 1893, n. 984 sqq.; *H. Felder*, Jesus Christus II 291 sqq.).

Neque verum est, quod dicunt adversarii, miraculum supponere mutationem voluntatis divinae, cum Deus prius leges naturales dederit, dein eas perrumpat. Deus enim, sicut ab aeterno voluit leges naturales, ita eodem aeterno et immutabili actu voluit suo tempore fieri exceptiones, quae non sunt mutatio Dei, sed mutatio terminorum, quos Deus semper immutabili actu voluit cum omnibus eorum mutationibus. Ergo miracula sunt quidem extra consuetum naturae cursum, non vero extra ordinem providentiae divinae ab aeterno omnia ordinantis (cf. *S. Thom.*, De pot. q. 6, a. 2; Contra gent. l. 3, c. 98).

Hoc autem non eo modo intellegendum est, quo volunt quidam rationalistae, quasi Deus ab aeterno semina effectuum mirabilium causis naturalibus indiderit, ut miracula suis temporibus necessario fiant et ab aliis effectibus sola raritate distinguantur. Neque enim semina miraculorum sunt in causis creatis, sed in aeternis Dei decretis, quorum vi miracula extra ordinem causarum secundarum fiunt (*A. v. Schmid*, Apologetik als spek. Grundl. der Theologie 283 sqq.). Itaque sicut in causis physicis operatur, ita Deus miracula praeter causas physicas operatur, utrumque secundum rationes aeternas, sed utrumque libere, non ex necessitate. Immo ne lex quidem naturae per miracula perturbatur; nam fundamentalis lex est ordo inter effectum et causam, qui ordo nulla ratione per miraculum tollitur. Ipsa enim lex naturae postulat, ut causa inferior causae superiori subiciatur (e. g. vires chemicae et mechanicae principio vitali); ergo, si suprema causa immediate operatur, omnes inferiores causae secundum legem naturalem ei subiciuntur. Patet autem per hoc neque essentias rerum mutari, neque formulas illas, quibus leges naturales exprimuntur, falsas fieri, neque certitudinem cognitionis nostrae in periculum vocari. Sed haec omnia hoc loco solum in memoriam revocanda sunt, utpote iam in philosophia tractata et ad Christi miracula applicanda (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 196 sqq.; *Bonniot*, Le miracle et ses contrefaçons, pars 1, c. 3).

**188. Pars II.** Nihil valent obiectiones contra cognoscibilitatem miraculorum. De miraculo, ut est factum historicum, hic nihil est dicendum, quia eodem modo quo alia facta historica cognoscitur; sed agitur de veritate philosophica seu de diiudicanda natura talis facti. Dicimus igitur Deum posse aliquod factum iis characteribus insignire, quibus ab omni effectu agentium naturalium distinguatur. Nam omnipotentiae

et sapientiae divinae deesse non possunt viae, quibus certos non reddat Deum esse, qui operetur. Quamvis non quilibet homo quodlibet factum mirabile diiudicare possit, utrum sit miraculum necne, potest tamen Deus efficere, ut ii, ad quos pertinet, verum aliquod miraculum ut tale cognoscant.

*Principalis obiectio* rationalistarum haec est: vires naturae non sufficienter cognoscimus, ut determinate dicere possimus, quousque earum efficacia se extendat. Ergo, quantumvis mirabile et inexplicabile sit factum aliquod, semper prudenter dubitamus, an per vires naturae fieri non possit.

*Resp.* Haec obiectio pugnat cum cotidiana nostra experientia. Saepe enim accidit, ut confinia diversarum rerum non possimus exacte distinguere, quamvis res ipsas optime distinguamus. Ita in spectro quod vocant optico non possumus determinate dicere, ubi unus color desinat et alius incipiat; nihilominus nemo negaverit nos omnino diversos colores posse cum certitudine distinguere. Similiter theoretica illa quaestio, quid absolute naturae vires possint et quid non possint, saepe non potest accurate definiri; sed nihilominus sunt res, quas omnino cognoscimus vires naturae transcendere. Dic e. g. rationalistae te nosse medicum, qui possit in distans solo actu voluntatis morbos curare: te statim irridebit, quia intellegit inter internum actum voluntatis et distantem morbum nullum posse esse naturalem nexum activitatis. Idem valet de resuscitatione mortuorum, ad quam requiritur virtus, quae aequivalet virtuti creatrici; de ambulatione hominis super aquas, quae est contra legem gravitatis; de multis aliis rebus. Porro si quis serio affirmaret fortasse posse viribus naturae fieri, ut quinque panibus satiarentur quinque milia hominum et duodecim cophini fragmentorum restarent, risu exciperetur. Haec exempla, quae facile possunt multiplicari, ostendunt illam obiectionem esse vanam declamationem. Quare mirum non est, quod rationalistae practice se ipsos refutant, quia in communi vita agunt ut homines omnino certi de legibus naturae, quamvis eas nequaquam omnes positive noverint. Quo enim venirent, si vellent semper dubitare, annon fortasse vires hactenus ignotae subito totum consuetum ordinem inverterent? Atqui si vera certitudo physica existit, miracula certo cognosci possunt (cf. *Bonniot* l. c. pars 1, c. 4).

**189.** Itaque ut *regulas quasdam generales* statuamus ad diiudicandum, quid superet vires naturae, haec fere valent:

a) Solus Deus potest agere independenter a subiecta materia, cum vires naturales alligatae sint materiae et propterea solum per materiam agere possint. Ideo multiplicatio materiae transcendit vires naturae, item productio effectus in distans et solo imperio voluntatis.

b) Solus Deus potest cohibere effectum legum naturalium, quamdiu hae leges exstant, quia entia naturalia solummodo has leges applicant.

Itaque impedire effectus legum gravitatis, resistantiae etc. solius Dei est; quare nullae vires naturales possunt efficere compenetrationem corporum. Similiter unico momento efficere id, quod secundum leges naturales longum tempus requirit, ut organicam evolutionem, solus Deus potest.

c) Agere contra dispositionem materiae solus Deus potest, quia a dispositione materiae omnis vis naturalis dependet. Huc pertinet mortuos resuscitare, corpus vel membrum morbo plane exhaustum subito in integrum vigorem restituere.

d) Spirituales effectus producere bruta materia non potest. Unde si sine interventu creaturae rationalis in aëre sensibilis sermo formatur vel simile signum, vel si eiciuntur daemones, hoc nequit fieri nisi a Deo (aut ab angelo sub providentia divina). Neque ulla creatura potest libere futura praedicere; sed de hac re postea.

e) Effectus, qui, si creaturae permitterentur, ordinem moralem perturbarent, non possunt fieri nisi a Deo. Etiam sub hoc respectu revocatio animae e statu termini in statum viae non debet esse in potestate creaturae. Cogita praeterea, quid fieret, si secundum legem physicam corpus humanum possit pro nutu voluntatis in altum elevari, alia corpora penetrare etc. Certe ordo moralis et socialis maximam iniuriam pateretur.

In his igitur et similibus condicionibus *miracula ea sunt, ut ex conceptu rei repugnet ea per causas naturales fieri*. Si fortasse interdum quid accidit, de quo prudenter dubitatur, utrum per vires naturales fieri possit necne, iudicium suspendendum est. Quare prudenter procedendum est, ubi facta occurrunt, quae cum magnetismo et hypnotismo cohaerere possunt. Ceterum ea, quae huc pertinent, non sunt nisi effectus per operationes mechanicas in nervos aliorum producti, neque ullam similitudinem habent e. g. cum miraculis Christi, sed possunt solum fieri inter certas personas et per certas actiones (cf. *Bonniot* l. c. pars 2, c. 5 et 6).

190. *Aliae obiectiones vix sunt consideratione dignae, ut illa: Multo maior est certitudo, quam habemus de legibus naturalibus, quam certitudo, quam habemus ex testimoniis humanis de facto historico; ergo testimonium humanum numquam potest esse sufficiens ratio quicquam admittendi, quod est contra leges naturales.*

*Resp.* Leges naturales nobis indicant, quid vires naturae possint, non quid Deus immediate efficiat; ergo miracula sunt eius generis effectus, de quibus leges naturae prorsus tacent. Neque ergo hic agitur de duabus certitudinibus, quae inter se contradicant, sed de rebus, quae pertineant ad duplicem ordinem diversum.

Unde apparet, quam absurdum sit, quod quidam obiciunt, nos fidere legibus naturalibus, quatenus sensibus percipiamus miracula, et simul reicere leges naturales, quatenus in ipsis miraculis has leges negemus.

Nam sensibus percipimus factum historicum, ratione diiudicamus eius valorem philosophicum, et postquam intelleximus causas naturales non posse ad tales effectus pertinere, non negamus leges naturales, sed pro hoc altiore effectu postulamus altiorem causam. Generatim illi, qui (cum Lessing, Strauß, aliis) volunt factum historicum destitui omni probandi vi, ubi agatur de legibus aeternis, non prudentius loquuntur quam ille rex indicus, qui fidem negabat testimonio eorum, qui dicebant se glaciem vidisse, eo, quod haec res naturae aquae repugnaret. Sicut enim ille rex negabat veritatem testimonii, quia causae, quas ipse noverat, tales effectus non producunt, ita adversarii nostri negant veritatem miraculorum, quia causae, quas naturalis scientia novit, ea non possunt efficere, quasi praeter has causas non possit alia existere. Praeterea miracula non sunt interna ratio earum veritatum, ad quas probandas producuntur, sed externum testimonium. Sicut autem propter externum testimonium aliorum hominum possumus et saepe debemus multas veritates físicas et metaphysicas admittere, quas non intellegimus, ita propter testimonium miraculo confirmatum possumus veritates supernaturales admittere, quas non intellegimus, quamvis earum internam rationem non capiamus (cf. *Ottiger*, *Theol. fund.* I 217 sqq.; *Bonniot*, *Le miracle et ses contrefaçons*, Appendix).

191. Non neglegenda sunt *moralia criteria*, quae servire possunt ad cognoscenda vera miracula. Quaecumque enim fiunt, subsunt providentiae divinae, quae non potest permittere, ut per falsa portenta ordo moralis perturbetur, id quod fieret, si debita prudentia usi homines nihilominus possent hac in re decipi. Itaque Deus providebit, ut vel physicis vel moralibus characteribus miracula vera et falsa inter se distinguantur.

Ergo si ille, qui se per miraculum vult legatum divinum probare, veritatibus aliunde certis contradicit, si contra honestatem peccat, si vana, ridicula, crudelia committit, pro impostore habendus est. Si vero tum persona thaumaturgi tum opera eius et modus et finis operandi sanctitatem, decorem, prudentiam, modestiam redolent, non solum nihil ex hac parte obstat veritati miraculi, sed magna praesumptio adest pro veritate. Immo potest tanta prudentia et sanctitas adesse, ut omnis deceptio activa et passiva excludatur, ut supra dictum est de Iesu Christo, qui, cum ipse ad miracula sua provocet, aut deceptor aut deceptus est, si vera miracula non fecit, quod repugnat. Hoc examen morale instituitur ex principiis aliunde notis, quae a veritate miraculi non dependent; unde non fit hic circulus vitiosus (cf. *Deut.* 13, 1 sqq.; 18, 15 sqq.; *Luc.* 11, 15 sqq.; *Suarez*, *De myst. vitae Christi* disp. 31, sect. 2, n. 8).

Ex dictis manifestum est, quo iure *Conc. vatic.* sess. 3 (de fide can. 4) statuerit: „S. q. d. miracula nulla fieri posse proindeque omnes de iis narrationes, etiam in S. Scriptura contentas, inter fabulas vel



mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse nec iis divinam religionis christianae originem rite probari: A. S." (Denz. n. 1813).

**Prop. XVI.** Iesus Christus in confirmationem legationis suae divinae multa opera patravit, quae characteribus verorum miraculorum insignita sunt.

192. Iesus Christus, ut probaret legationem suam divinam, ad miracula sua provocavit. Unde *si vera miracula non patravit, aut deceptor est aut deceptus*; atqui neutrum dici potest (Prop. IX); ergo vera miracula patravit.

Ad haec miracula Christi provocabant *omnes praedicatores evangelii* ut ad res notissimas (cf. Act. 1, 22; 2, 22 sqq. etc.; Rom. 15, 19; 1 Cor. 15 etc.). *Quadratus* ad Adrianum imperatorem (117—138) scripsit apologiam pro christianis, in qua ait: „Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ii scl., qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint“ (Eusebius, H. E. 4, 3; M 20, 307). Itaque etiam sub hoc respectu nihil agunt, qui conantur miracula e vita Christi remove, dicentes evangelia continere mythos et fabulas. Nullum enim primitivum documentum religionis christianae exstat, in quo vita Iesu alia exhibeatur quam in evangeliiis, nullum, in quo miracula a Iesu patrata non narrentur aut supponantur. Immo etiam scripta veterum adversariorum religionis christianae idem testantur. Ergo cum miracula Iesu Christi essent tam evidentia, ut etiam, quamdiu plurimi testes vitae Iesu vivebant, ubique praedicarentur et a nullo in dubium vocarentur, sero veniunt rationalistae, qui nunc post tot saecula demonstrare conantur illa miracula omnino facta non esse.

193. *Est una species miraculorum, quae circa Iesum Christum facta sunt.* Huc pertinent miracula, quae acciderunt tempore nativitatis et infantiae Christi (Matth. 1 et 2. Luc. 1 et 2), porro apparitiones factae post baptismum Christi, quae ab omnibus evangelistis narrantur (Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 21 22. Io. 1, 32), et ea, quae acciderunt in transfiguratione (Matth. 17, 1 sqq. Marc. 9, 1 sqq. Luc. 9, 28 sqq.). De qua re S. Petrus scribit: „Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus

cum ipso in monte sancto“ (2 Petri 1, 16 sqq.). Alia quoque occasione „venit vox de caelo: Et clarificavi et iterum clarificabo“ (Io. 12, 28). Patet autem has res non potuisse fieri per brutas naturae vires; ad daemones autem referri non posse sequitur ex argumento, quo Iesus ipse usus est (Matth. 12, 25 sqq.), et ex sanctitate Christi et doctrinae eius. Idem valet de miraculis in morte Christi factis. Ad eandem speciem miraculorum referri potest resurrectio Christi; sed de hac postea.

194. *Altera species miraculorum est, quae Christus ipse patravit.* Fuerunt autem inter haec miracula

a) *ea, quae supponunt operationem independentem a subiecta materia*, ut quod Iesus solo imperio voluntatis mutavit aquam in vinum (Io. 2, 7 sqq.), quod benedictione panes multiplicavit (Matth. 14, 15 sqq.; 15, 32 sqq. Marc. 6, 35 sqq.; 8, 1 sqq. Luc. 9, 12 sqq. Io. 6, 5 sqq.), quod in distans morbos curavit (Matth. 8, 5 sqq.; 15, 21 sqq. Luc. 7, 1 sqq. Io. 4, 46 sqq. Marc. 7, 24 sqq.).

b) Iesus fecit *ea, quae sunt contra leges naturales*, ut quando ambulavit super aquam (Matth. 14, 25 sqq. Io. 6, 19 sqq.), quando per clausas ianuas intravit (Io. 20, 19), quando in aëra ascendit (Luc. 24, 51. Act. 1, 9).

c) Iesus fecit *ea, quae erant contra dispositionem materiae* et supponunt vim creatricem; id quod maxime apparet in trium mortuorum resuscitatione: adulescentis in Naim (Luc. 7, 11 sqq.), filiae Iairi (Matth. 9, 18 sqq. Marc. 5, 22 sqq. Luc. 8, 41 sqq.), Lazari (Io. 11). In hoc ultimo miraculo notandum est Iesum ipsum dixisse Lazarum esse mortuum et a se resuscitatum iri in signum divinae suae legationis (Io. 11, 14 42).

d) Plurima miracula Christi ea sunt, quae *propter instantaneum operandi modum* non possunt per vires naturae et secundum leges naturales fieri, ut quando Iesus unico momento vel solo verbo vel simul tactu sanavit caecos (Matth. 9, 27 sqq. Marc. 8, 22 sqq. Io. 9, 6 sqq.), surdos et mutos (Matth. 9, 32 sqq. Marc. 7, 32 sqq.), paralyticos (Matth. 4, 24; 9, 2), leprosos (Matth. 8, 2 sqq. Marc. 1, 40 sqq.), diuturno morbo confectos (Io. 5, 5 sqq. Luc. 8, 43 sqq.).

e) Habuit Iesus et professus est se habere amplissimam *potestatem in malos daemones* (Matth. 8, 28 sqq.; 12, 22 sqq. Marc. 1, 23 sqq. Luc. 4, 33 sqq.)<sup>1</sup>. (Cf. L. Fonck, Die Wunder des Herrn im Evan-

<sup>1</sup> *Fillion* enumerat 39 miracula, quae Christus patravit (Les miracles de N. S. Jésus-Christ I 25 sq.). In altero tomo eiusdem operis singula miracula explicat et explicationes rationalistarum discutit. Haec sunt miracula, quae in evangeliiis separatim narrantur, plurima autem summatim tantum indicantur. „Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos et paralyticos; et curavit eos“ (Matth. 4, 24; cf. Marc. 1, 32 sqq.; Luc. 7, 21; Io. 6, 2 sqq. Similiter multis aliis locis).

gelium, Innsbruck 1907; de obsessis a daemonibus agit *J. Smit*, De daemonicis in historia evangelica, Romae 1912; cf. *H. Felder*, Iesus Christus II 433 sqq.).

195. Haec omnia velle explicare per applicationem legum naturalium vel occultarum virium physicarum, quarum notitiam Iesus habuerit (unde eam habuit fabri filius?), est frivolus conatus. Neque omittendum est illud, quod Iesus non patrabat miracula raro et certis suppositis condicionibus et post longas praeparationes, sed saepissime, prout occasio ferebat, ita ut tota natura, morbi quoque et daemones nutui eius oboedire viderentur (cf. Matth. 9, 35; 14, 35; 15, 30; Marc. 1, 32 sqq.; Luc. 4, 40 sqq.). Neque umquam faciebat miracula ostentationis causa et ad satisfaciendum curiositati (cf. Matth. 12, 38; Luc. 23, 8 sqq.). Eius miracula patrata sunt in publico, „neque enim in angulo quicquam horum gestum est“ (Act. 26, 26), coram multis testibus, inter quos erant homines eruditi et infensissimi inimici Iesu. Ne hi quidem ipsi audebant miracula Christi negare (Io. 11, 47), sed studebant ea in malam partem vertere (Marc. 4, 22).

Cur igitur nihilominus adversarii religionis christianae non admittunt veritatem horum miraculorum, quamvis ea neque rationabiliter negare neque explicare possint? Quia nolunt, ob nullam aliam rationem. „Non fiderem oculis meis, si supernaturale miraculum viderem.“ Haec verba non quidem sunt in omnium ore, sed in omnium mente, qui negant miracula Christi<sup>1</sup>. His autem ostenditur apud eos non esse amplius sermonem de inveniando vero, sed de opinionibus suis per fas et nefas stabiliendis.

**Prop. XVII.** *Speciatim resurrectio Iesu Christi a mortuis est verum miraculum et certum argumentum divinae legationis eius.*

196. *Pars I.* Resurrectionem a mortuis, si reapse facta sit, esse verum miraculum nemo potest prudenter negare vel in dubium vocare. Itaque tota quaestio hic est de veritate historica facti. Quia autem haec quaestio est maximi momenti, imprimis diligenter consideranda sunt quae fontes historici de hoc eventu narrant.

*Iesus ipse resurrectionem suam ut verum miraculum et praecipuum signum legationis suae divinae praedixit:* „Et assumens iterum duodecim coepit illis dicere, quae essent ei eventura. Quia ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum

<sup>1</sup> *A. Harnack* ait: „Mag der Glaube an die Erscheinungen Jesu im Kreise seiner Jünger auch noch so fest gewesen sein — er war es —: auf Erscheinungen hin, die andere gehabt haben, zu glauben, ist ein Leichtsin, der sich immer durch aufsteigende Zweifel rächen wird“ (Lehrbuch der Dogmengeschichte I<sup>4</sup> 96, nota). In ecclesia catholica persuasio resurrectionis Iesu Christi a mortuis post 19 saecula adhuc firmiter stat; hypotheses vero ad evertendam hanc persuasionem excogitatae, simul atque constructae sunt, sua sponte collabuntur.

et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et illudent ei et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget“ (Marc. 10, 32 sqq. Matth. 20, 17 sqq. Luc. 18, 31 sqq.). Alia occasione iudaei „dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Iesus et dixit iis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. . . . Ille autem dicebat de templo corporis sui“ (Io. 2, 18 sqq. Cf. Matth. 12, 39 sq.; Luc. 11, 29 sq.). Quare inimici Christi post mortem eius Pilato dicunt: „Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam“ (Matth. 27, 63). Tertia die post crucifixionem suam coepit Iesus apparere discipulis suis et ostendere iis se vere resurrexisse a mortuis (Luc. 24, 15 sqq. 36 sqq. Io. 20, 19 sqq. Marc. 16, 14).

197. Statim ab initio praedicationis suae *apostoli resurrectionem Iesu Christi ut firmissimum argumentum religionis christianae proponebant* (Act. 2, 22 sqq.; 3, 12 sqq.; 4, 33. Rom. 1, 4; 4, 25. 1 Cor. 15 etc.), et per hanc praedicationem ingentes multitudines hominum ad fidem adducebant (Act. 2, 41; 4, 4 etc.). Loquebantur autem apostoli in publico coram hominibus, inter quos acciderant res, quas testabantur, coram inimicis Christi, qui iis frustra cum minis et poenis hanc praedicationem interdicebant (Act. 4, 21; 5, 40 sqq.), et loquebantur maxima cum fiducia et sine ulla haesitatione (Act. 2, 32 sqq.; 4, 20. 1 Io. 1, 1 sqq.). Unde mirum non est, quod doctrina de resurrectione Iesu Christi mox ut articulus fidei in symbolum ecclesiae recepta est (cf. *Iren.*, Adv. haer. 1, 10, 1; *M* 7, 549. *Tertull.*, De praescript. 13; *M* 2, 26; De virgin. vel. 1; *M* 2, 889; Adv. Prax. 2; *M* 2, 157 etc.). Nihil igitur restat, nisi ut aut resurrectio Iesu Christi a mortuis sit verum factum historicum, aut Iesus Christus ipse, apostoli, fideles, tota ecclesia Christi a prima sua origine usque ad nostra tempora sint miseri deceptores aut misere decepti. Quod cum sit impossibile, rationalistae errant, qui nunc post tot saecula statuunt Iesum Christum non resurrexisse a mortuis.

198. *Series eventuum, qui in passione Christi et post eam acciderunt, omnem rationabilem dubitationem excludunt, quin vere mortuus sit et vere resurrexerit.*

Post durissimam agoniam in horto, post tormenta et iniurias, quae per totam noctem pertulerat (Marc. 14, 65. Luc. 22, 63 sqq.), Iesus flagellatus est more romanorum, qui erat crudelissimus nec raro per se solum mortem afferebat (cf. *Cicero*, Verres II 5, 54; *Flav. Ioseph.*, De bello iud. 6, 5, 3). Huic dirissimae poenae milites addebant coronam spineam (Matth. 27, 29) et hac ratione Iesum in eum statum redigebant, ut Pilatus videns eum exclamaret: Ecce homo! (Io. 19, 5.) Crucem suam ipse Iesus portabat, donec milites (ne citius moreretur) Simoni Cyrenaeo illam imponebant (Matth. 27, 32). Crucifixus est Iesus more

romano, i. e. clavis cruci affixus (Io. 20, 25 sqq. Cf. Luc. 24, 39 40). Per tres horas in cruce pependit, dein „inclinato capite tradidit spiritum“ (Io. 19, 30). Postea vero „venerunt milites et primi quidem frugerunt crura et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non frugerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit [λόγχη αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἐνυξέ; ergo magnum vulnus in latere fecit, ut tentaret, utrum Christus iam esset mortuus, aut eum occideret, si nondum esset mortuus], et continuo exivit sanguis et aqua“ (Io. 19, 32 sqq.). Hoc ultimum Ioannes evangelista valde effert, sive quia hanc rem considerat certissimum signum mortis, sive quia in eo vidit speciale miraculum. Postea Iesus cum multis unguentis et aromatibus sepultus est in caverna petrae, cuius ostium saxo claudebatur, ibique mansit a vespera feriae VI usque ad auroram post sabbatum.

Iam haec omnia non solum mortem Iesu quam maxime probabilem reddunt, sed contrarium impossibile ostendunt. Poterat quidem interdum fieri, ut crucifixus mature depositus a morte liberaretur (*Herod.* 7, 194), sed hoc solum, si diligentissima cura adhibebatur (θεράπεια ἐπιμελεστάτη, *Flav. Ioseph.*, Vita 75), quae certo Iesu non impensa est. Ergo consideratis his condicionibus esset aliquid plane singulare et stupendum, si Iesus vere mortuus non fuisset. At non est praecipua quaestio, quid nos nunc ex iis, quae in evangeliiis narrantur, de morte Iesu debeamus iudicare, sed quid iudicaverint illi, qui testes rei fuerunt.

199. Iam vero omnes testes unanimiter et sine ulla haesitatione testificantur Iesum esse mortuum. Ita evangelistae (Matth. 27, 50. Marc. 15, 37. Luc. 23, 46. Io. 19, 30; „Et qui vidit, testimonium perhibuit“ Io. 19, 35), ita omnes apostoli, ita milites cum suo centurione, qui huius rei debebant rationem reddere (Marc. 15, 39 44 45), ita principes sacerdotum et pharisaei (Matth. 27, 63), qui utique non acquieviscent, quamdiu vel minima dubitatio de morte Iesu supererat. Itaque etsi hi testes nihil aliud dicerent nisi Iesum a romanis fuisse morte affectum, secundum regulas scientiae historicae iis credendum esset; nam est testimonium de re, quam scire poterant, et quam scire eorum plurimum intererat, et est testimonium unanime. Unde si huic testimonio fidem negare liceret, non iam ullum factum historicum in tuto locatum esset. Quod autem evangelistae tam diligenter circumstantias mortis Christi referunt, hoc nequaquam faciunt ad probandum eum vere esse mortuum, sed ad ostendendum, quanta pro nobis passus sit (cf. *Flav. Ioseph.*, Antiq. 18, 3, 3 [supra n. 138]).

200. Iesus post mortem suam vivus apparuit. Hoc testantur omnes evangelistae, hoc testantur omnes apostoli, qui „virtute magna reddebant testimonium resurrectionis Iesu Christi“ (Act. 4, 33), neque solum coram omnibus, etiam infensissimis inimicis, summa cum fiducia as-

severabant: „Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus“ (Act. 2, 32), sed ubi agebatur de alio apostolo in locum Iudae adsciscendo, hanc normam Petrus statuit: „Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismo Ioannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis“ (Act. 1, 21 22). Per hanc professionem apostoli summum odium iudaeorum infidelium in se excitarunt et pro hac fide gravissimas persecutiones subierunt (Act. 4, 1 sqq.; 5, 26 sqq.). Testis est Paulus (1 Cor. 9, 1; 15, 8), testes innumerabiles alii homines (ib. 15, 6), testes milites, testes principes sacerdotum et seniores (Matth. 28, 11 sqq.). Neque Iesus semel apparuit, sed saepe, non uni, sed multis, non nocturno tantum sed etiam diurno tempore; neque fuerunt apparitiones momentaneae, sed diutius durabant; nam Iesus locutus est cum discipulis, longos sermones cum iis habuit, comedit cum iis, tactus est ab iis (Matth. 28, 9 sqq. Marc. 16, 9 sqq. Luc. 24, 13 sqq. Io. 20 et 21. Act. 10, 40 sqq. 1 Io. 1, 1 sqq.).

Viginti annis post mortem Christi, quando plurimi testes etiamtum inter vivos erant, mors Christi, sepultura Christi, resurrectio Christi, apparitiones Christi ut facta indubia in communi traditione ecclesiae erant. Sic enim scribit Paulus ad corinthios: „Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et quia visus est Cephae et post hoc undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus; novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi. . . . Sic praedicamus, et sic credidistis. . . . Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit“ (1 Cor. 15, 3—8 11 14 sq.).

Obiciunt quidem adversarii multas contradictiones inveniri in narrationibus evangelistarum, sed hucusque nullam potuerunt ostendere. Quod enim alii evangelistae alia narrant, alii alia omittunt, non est contradictio; nullibi enim dicunt se velle omnia narrare, quae facta sint. Quod Matthaeus ait: „Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati“ (Ὁψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, Matth. 28, 1), habet hunc sensum: Postquam transiit ultimus dies hebdomadae passionis et diluculum factum est primi diei sequentis hebdomadae. Hoc autem idem est, quod ait Marcus: „Cum transisset sabbatum . . . valde mane una sabbatorum“ (Marc. 16, 1 2. Cf. Luc. 24, 1; Io. 20, 1). Ioannes quidem ait: „Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum“, Marcus vero: „Veniunt ad monumentum orto iam sole.“ At cum uterque dicat rem factam

esse multo mane, patet utrumque dici posse: fuisse etiam tenebras, et solem iam ortum fuisse, praesertim cum aliquod temporis spatium praeterisset ab initio viae usque ad sepulchrum, et in illis regionibus brevissimum tempus interiaceat inter ultimas tenebras noctis et primam lucem diei. Ceterum etsi evangelistae circa alia discrepant, vacuum inventum esse sepulchrum et Christum certis hominibus apparuisse omnes testantur.

**201. Pars II. Ad explicanda facta evangelica adversarii varias hypotheses excogitaverunt.**

*Prima hypothesis* est Iesum non fuisse vere mortuum, sed apparenter tantum, dein partim vi iuvenilis vigoris, qui ei inerat, partim virtute unguentorum et tepore sepulchri recuperasse vires, e sepulchro exiisse et apostolis apparuisse eosque consolatum esse. Ita *Gottlob Paulus* (*Exeget. Handb.* III 785 sqq. 929 sqq.), qui undique colligit facta, quae ostendant hanc hypothesim non esse plane impossibilem.

At imprimis non quaeritur, quid absolute fieri potuerit, sed quid reapse factum sit. Iam vero omnes testes, qui rei interfuerunt, dicunt Iesum revera mortuum esse; ergo nihil agit Paulus, si post duodeviginti saecula contra omnes testes dicit Iesum mortuum non esse. Praeterea etiamsi demus Iesum post omnia illa tormenta potuisse absolute vires recuperare, nihilominus hoc fieri non potuit nisi paulatim et per longum tempus et diligentem curationem. Atqui Iesus statim apparet apostolis in pleno vigore, ambulat cum iis iisque longas habet instructiones et eos ingenti gaudio et animo replet. Hoc autem nulla ratione explicari potest per hypothesim doctoris Paulus; ergo haec hypothesis nullius utilitatis est. Tandem non explicatur, quomodo Iesus semimortuus gravem lapidem sepulchri revolverit (dicunt fulgure hoc factum esse), cur custodes eum non apprehenderint, cur iudaei et romani eum quietum abire passi sint etc. Itaque facile intellegitur, cur haec hypothesis hodie communiter relicta sit et ab omnibus ludibrio habeatur.

Conatum non minus infortunatum quam mirificum comendi hanc theoriam, comptamque ad textus evangelicos, critice castigatos, applicandi fecit *Fr. Spitta*, *Die Auferstehung Jesu*, Göttingen 1918. Sufficit rem commemorasse.

**202. Secunda hypothesis**, hodie satis communis, est apostolos imaginatione deceptos esse. Ita *Strauß* (*Das Leben Jesu, krit. bearb.* II, ed. 3, 684 sqq.) et multi alii. Crucifixus, inquiunt, resurrexit in fide discipulorum suorum (tertia die!). Quod autem animati hac fide putabant se Iesum, cuius imago mentem eorum plane occupabat, oculis suis videre, res est psychologica non adeo mira multisque analogiis historicis confirmata, cuius miraculosa indoles non est nisi in vi productiva fidei et amoris fortioris quam ipsa mors.

Facile vides in hac hypothesi multas esse *falsas suppositiones et assertiones*. Ubi enim est vel una „analogia historica“, quod multi homines non dormientes, sed vigilantes imaginabantur se per quadraginta dies (et postea non amplius) videre resuscitatum a mortuis, audire eius instructiones, accipere ab eo praecepta, comedere cum eo, tangere eum, tandem eum oculis suis videre ascendentem in caelos? Huiusne rei adsunt „innumerabiles analogiae historicae“? Porro unde habent illud de tam insigni fide apostolorum? Certe evangelia contrarium dicunt. Quamvis enim Christus saepe praedixisset resurrectionem suam, haec tamen doctrina videtur sensum apostolorum plane superasse. „Nondum enim sciebant Scripturam [vaticinia Veteris Testamenti], quia oportebat eum a mortuis resurgere“ (Io. 20, 9). Hoc dicit Ioannes de se ipso et Petro, ubi narrat, quomodo cucurrerint ad vacuum sepulchrum. Cum mulieres apostolis nuntiassent resurrectionem Christi, „visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis“ (Luc. 24, 11). Duo discipuli euntes in Emmaus non exhibent „creatricem vim fidei et caritatis, quae sint morte fortiores“. Immo cum Christus ipse apostolis apparuisset, nolebant credere, donec manibus palpassent eum (Luc. 24, 36 sqq. Matth. 28, 17). Thomas aliis apparitionem Christi narrantibus fidem denegat, donec ipse Christi manus et latus contrectaverit (Io. 20, 24 sqq.). Haec omnia ostendunt, quantopere apostoli abfuerint ab inanibus imaginationibus et excitationibus. Ceterum istis sobriis et frugi hominibus, qui ex indole sua naturali vix idearum paulo sublimiorum capaces erant, tantam vim imaginativam tribuere, ut vigilantes sibi viderentur videre, audire, tangere, quae numquam acciderunt, est ad minimum valde audax commentum. Nemo in falsis visionibus videtur sibi videre nisi conceptus suos, quibus praeoccupatus et excitatus est, non vero contrarium eorum, quae in mente habet. Praeterea quam facile hae omnes visiones potuissent corrigi ostenso corpore Christi, ad quod remedium iudaei certe recurrissent. Quomodo tandem apostoli, antea tristes et desperantes, subito visiones fingunt iisque convertuntur in homines fortes et audentes, qui et ipsi fide resurrectionis Christi miracula patrant? Vides adversarios nullam absurditatem non admittere, dummodo ne debeant credere, quae nolunt.

Triste est spectaculum cernere quosdam theologos protestantes, etiam professores theologiae, *confugientes ad ludificationes spiritisticas*, ut hac ratione specie defendant, revera corrumpant narrationes Scripturae de Christo resuscitato. Ita e. g. *R. A. Hoffmann*, *Das Geheimnis der Auferstehung Jesu*, Leipzig 1921. Hic imprimis removet omnia, quae evangelistae referunt de sepulchro vacuo (Matth. 28, 1 sqq. Marc. 16, 1 sqq. Luc. 24, 1 sqq. Io. 20, 1 sqq.) ut „legendas“ seu fabulosas fictiones, inventas iam a primis christianis, quibus locus sepulturae Iesu ignotus fuerit (l. c. 20—29). His remotis apparitiones tantum Christi explicandae remanent, et eae quidem solae, quae vel singulis

discipulis vel pluribus simul factae sunt in Galilaea; nam quae a Luca et Ioanne narrantur de aliis apparitionibus in urbe Ierusalem vel in Iudaea factis, sunt aut plane falsa aut poetice exornata et ad alios eventus referenda (l. c. 44 52 55 sq.). Ergo evangelistae sunt testes satis incertae fidei de factis historicis.

Contra vero permulta, quae a spiritistis de „materialisationibus“ spirituum hominum defunctorum referuntur, solide et stricte ad doctrinae praecepta observata et examinata sunt, ut historica veritas talium apparitionum in dubium vocari nequeat (ib. 73 sqq.). Hinc valde obvia conclusio: „Mihi dubium non est, quin apparitiones Christi, de quibus dixi, fuerint materialisationes“ (ib. 145). En, simplicissima explicatio rei ceteroquin inexplicabilis et incredibilis.

At nonne Iesus praedixerat se resurrecturum esse (cf. supra n. 196)? Non praedixit, sed hanc praedictionem alii postea in eius ore posuerunt (Hoffmann l. c. 12). Ceterum Iesus etiam falsas praedictiones fecit (ib. 11). Nonne discipuli firmiter crediderunt Iesum vere resurrexisse a mortuis? Utique, sed ideo tantum, quia nihil sciverunt de „materialisationibus“ (ib. 150). Sed ad materialisationes requiritur „medium“, ex quo spiritus apparens necessariam materiam accipit; Iesus autem sine tali „medio“ apparuit. Respondetur: corporeitas Iesu apparentis videtur fuisse substantia abstracta a discipulis praesentibus (ib. 146). Ex his satis apparet, quo deducat falsa scientia homines, qui simplici veritati fidem denegant.

203. *Tertia hypothesis est totam rem esse fraudem apostolorum, in qua hypothesis vel supponitur apostolos simpliciter mentitos vel etiam corpus Christi furatos esse. Hanc ultimam hypothesis maxime expolivit Reimarus (Wolfenbütteler Fragmente n. 5). At hoc modo apostolis, viris simplicibus et honestis, gratis nequissima fraus affingitur; praeterea non explicatur magna mutatio moralis, quae in ipsis apostolis accidit: hominibus timidis et morte Iesu in desperationem actis adscribitur ingens audacia, immo res asseritur, quae ob potestatem et diligentiam inimicorum Christi plane impossibilis erat; tandem, quomodo per fraudem apostolorum ingens multitudo hominum potuerit adduci, ut censerent sibi Christum apparuisse, mysterium manet. Quia igitur haec hypothesis est tam inane figmentum, hodie ab omnibus reicitur (cf. Strauß, Leben Jesu, krit. bearb. II 685).*

Ergo, quia omnia, quae ad removendam Christi resurrectionem ab infidelibus excogitata sunt, vana sunt et ridicula, constat Christum vere resurrexisse a mortuis et ita dedisse evidentissimum illud divinae suae legationis signum, quod se daturum esse promiserat. Est igitur Christus vere et indubie legatus divinus (cf. E. Dentler, Die Auferstehung Jesu Christi nach den Berichten des Neuen Testaments, Münster 1910; E. Mangenot, La résurrection de Jésus-Christ, Paris 1910; J. Muser, Die Auferstehung Jesu und ihre neuesten Kritiker<sup>2</sup>,

Paderborn 1914; E. Jacquier, La résurrection de Jésus-Christ, Paris 1911; Felder, Jesus Christus II 473 sqq.).

#### 204. Schol. De „miraculis“ fundatorum aliarum religionum.

Obiciunt non raro contra miracula ut argumenta legationis divinae, quod etiam fundatoribus aliarum religionum miracula adscribantur, et quod hac ratione christiana religio non differat ab aliis religionibus. At per se patet non esse quaestionem, num miracula solum facta esse dicantur, sed num revera facta sint. Ubi de testimoniis hominum agitur, inquisitio est instituenda, num testes potuerint et voluerint verum dicere; et si utrumque constat, testimonium est admittendum; sin contrarium inventum fuerit, testimonium est reiiciendum. Cur narrationes miraculorum a priori aut omnes verae sunt aut omnes falsae?

Ceterum paucae tantum religiones „historicae“ exstant, i. e. religiones, quae certo alicui homini originem suam debent, scil. praeter religiones mosaicam et christianam buddhismus, iainismus, sikhismus, mohammedanismus. Iam si quis comparaverit, quae de fundatoribus harum religionum narrantur, facile videbit nullam inde obiectionem peti posse contra miracula Christi. Mosaicam religionem omittimus, quia miracula Moysis et prophetarum, quae in Scriptura narrantur, non minus vera censemus quam miracula Christi. De miraculis vero fundatorum aliarum religionum duo notanda sunt: a) nullum testimonium eorum adesse, quod iis condicionibus munitum sit, ut fidem mereatur, nedum cum certitudine evangelicarum narrationum comparari possit; — b) miracula, quae narrantur, non raro in se esse absona et indigna.

205. Quod ad buddhismum attinet, iam supra (n. 132) dictum est libros vitam Buddhae narrantes multis saeculis post mortem Buddhae scriptos esse. Porro illi inter hos libros, qui magis antiquam traditionem referunt, multo pauciores res miraculosas narrant<sup>1</sup>. Omnes eruditi concedunt miracula, quae in posterioribus libris de Buddha narrantur, esse magnam partem mythos solares ad fundatorem buddhismi applicatos. Dein vero considerandum est, qualia sint miracula, quae Buddha patrasse dicitur. E. g. ut pugnaret cum rege serpentum, Buddha emisit fumum e corpore suo et totum corpus suum convertit in ignem (*Mahāvagga* 1, 15, 4; M. Müller, Sacred books of the East 13, 120). Alio

<sup>1</sup> „Erst spätere Jahrhunderte, die in ganz anderem Maßstabe als die alte Zeit die Geschichte Buddhas mit Wundern über Wunder ausgestattet haben, wandten sich mit besonderer Vorliebe dazu, die Gestalt des gebenedeiten Kindes mit den ausschweifendsten Schöpfungen einer schrankenlosen Phantasie zu umgeben“ (H. Oldenberg, Buddha<sup>5</sup> 99). „As to the life of the Buddha, not a single contemporary voice has come down to us, whether of friend or enemy, which should directly and incontrovertibly assure us of a single fact. What we probably do know on the subject is only by way of inference from authorities, none of which can be proved to have lived when he lived“ (Kellogg, The Light of Asia and the Light of the World, London 1885, 53).

tempore misit contra aquam fluminis ollam, quae natabat citius, quam equus currit, donec veniebat ad verticem, in quem se immergebat et intrabat palatium regis serpentem (*Kellogg*, *The Light of Asia* 140). Aliquando Buddha cucurrit per totum firmamentum caeli a parte orientali usque ad partem occidentalem et interim ex uno oculo mittebat aquam, ex altero ignem (*Kern*, *Buddhismus* I 184 sq.). Ad refutandos adversarios construxit magnum aedificium, ut in eo cum adversariis certatim patraret miracula (ib. 189 sqq.). Num talia merito comparari possint cum miraculis Christi, quilibet prudens facile videt (cf. *Bonniot*, *Le miracle et ses contrefaçons* pars 2, c. 1).

206. Quae narrantur de *Mahāvīra*, fundatore iainismi, et de *Nanak*, fundatore sikhismi, sunt plane eiusdem farinae. *Mahāvīra* vixit circa idem tempus atque Buddha, historia autem eius scripta non est nisi post Christum. Miracula, quae patrasse dicitur, sunt similia miraculis buddhisticis (cf. *Sacred books of the East* 22, 195 sqq.), sicut generatim a priori constabat, qualem agendi rationem omnes monachi indici sequi deberent. *Nanak*, fundator sikhismi, natus est a. 1469 p. Chr. Libri sacri (*Granth*) huius sectae collecti circa a. 1600 nugis referti sunt<sup>1</sup>. Ceterum iam ideo absonum est comparare narrationes indicas cum nostris evangeliiis, quia notum est „sensus historicum“ scriptoribus indicis plane deesse<sup>2</sup>.

207. *Mohammedi* auctori tribuuntur libri illi, qui vocantur *Corān* (lectio, liber), quos probabiliter ipse litteris non consignavit. In his libris fatetur se non posse patrare miracula (sura 29, 49), et ad objectionem, ipsum esse falsum prophetam, cum non possit miracula facere, respondet ante se fuisse alios, qui fecerint miracula, et nihilominus homines mansisse incredulos (sura 21, 5; 26, 1 sqq.). Censet tamen ipsum opus suum esse magnum miraculum, et evocat adversarios suos, ut simile quid producant (sura 2, 22). Utique dicebat se revelationes caelestes accepisse; sed haec est pura assertio, quam utrum bona an mala fide fecerit, non facile diiudicari potest. Plerique censent Mohammedem nervorum infirmitate laborasse et imaginatum esse se habere veras visiones (cf. *Sacred books of the East* 6, XXI; *Sprenger*, *Das Leben und die Lehre des Mohammed I* 267 sqq.). Aliquod factum ex posteriore vita Mohammedis merito suspicionem de bona eius

<sup>1</sup> Über Nanaks Leben war nicht viel bekannt, „was die spätere Sage dann um so mehr angetrieben hat, einen ganz neuen Kreis von Mythen zu dichten, um diese Lücke in der Geschichte Nanaks auszufüllen. . . . Manche kleine Abenteuer, die er gehabt haben soll, sind so kindisch und teilweise so läppisch, daß sie nicht der Erwähnung wert sind“ (*E. Trumpp*, *Die Religion der Sikhs*, Leipzig 1881, 7 sq.).

<sup>2</sup> „It has become quite a literary commonplace that history, in the ordinary sense of the word, is almost unknown in Indian literature“ (*Telang*, *Sacred books of the East* 8, 1). Cf. *Stimmen aus Maria-Laach* XXXI 387 sqq. 504 sqq. *Ergänzungshefte* XI (fasc. 41) 94 sqq.

fide movet. Habebat iam Mohammed novem uxores et plures concubinas. Cum nihilominus aliqua nocte cum quadam serva coptica, Maria nomine, commercium habuisset, una ex eius uxoribus magnum tumultum excitavit, quem ut sedaret, cum iuramento promisit se non iterum accessurum esse ad illam puellam. Nihilominus eum postea huius rei paenituit. Ut autem se excusaret a periurio, dixit se habuisse revelationem, qua iussus esset flocci facere querelas uxorum suarum (*Sacred books of the East* 6, XI, et 9, 290). Unum ex principalibus miraculis, quae Mohammedi adscribuntur, est iter caeleste, quod quadam nocte instituisse dicitur. Huius rei utique nullum testem habuit, sed tota narratio fundatur quibusdam obscuris verbis ipsius (sura 17, 1 62; 53, 1—18). Sed ipsi eius discipuli rem aliter et aliter explicant, et multi dicunt nihil fuisse nisi somnium (*Sacred books of the East* 6, XXI)<sup>1</sup>. Alterum miraculum, quod posteriores eius asseclae narrant, hoc est, quod Mohammed, rogatus, ut signum faceret, dividerit lunam in duas partes eamque coegerit ire per manicam suam et dein iterum coniunxerit. Haec narratio nititur paucis his *Corāni* verbis: „Hora prope est, quando luna dividetur in duas partes. Sed videntes signum avertentur et dicent: Magia transcendens!“ (*Sura* 54, 1.) Secundum communem explicationem Mohammed ibi loquitur de signis, quae praecedent ultimum iudicium (*Sacred books of the East* 9, 255).

Haec omnia possunt videri valde otiosa, sed eo melius ostendunt, quam irrationabilis sit adversariorum religionis christianae provocatio ad miracula, quae aliarum religionum fundatores patnaverint.

208. Iam saeculis II et III varii *philosophi ethnici* conati sunt vim demonstrativam miraculorum Christi eo destruere, quod dicebant similia facta esse a magnis viris ethnicis. Inter haec tentamina maxime nota est *Vita Apollonii Tyanaei*, quam saeculo III hortante Iulia Domna (uxore Septimii Severi imperatoris) octo libris scripsit *Flav. Philostratus*, qui dicit se hausisse omnia e scriptis hominis cuiusdam (*Damis*), qui fuerit amicus Apollonii (cf. *W. Christ*, *Gesch. der griech. Lit.*, ed. 3, 699 725). In *Vita Apollonii* miracula narrantur, quae sunt plane stupenda. At facile patet, quam insignis falsarius fuerit Philostratus vel auctor eius *Damis*. Dicit enim Apollonium Babylone fuisse, et describit magnitudinem et splendorem urbis, cum saeculo I post Christum, quando Apollonius vixit, Babylon vix quicquam esset nisi cumulus parietinarum. Confundit lacedaemonios et priscos spartiatas, quasi etiamtum rempublicam constituerint: quo tempore Sparta iam romanis subiecta erat, loquitur de ea ut de republica libera. His et similibus facile patuit

<sup>1</sup> „The story is so overlaid with spurious traditional details as to have lost, to a great extent, its real significance“ (*Palmer*, *The Qur'an I* [*Sacred books of the East* 6] xxxi).

totam rem nihil esse nisi fabulam (cf. *Eusebii Caes.* liber contra Hieroclem, *M* 22, 795 sqq.; *C. L. Kayser*, Philostrati opera, Lipsiae 1870, Praefat.; *Bonriot*, Le miracle et ses contrefaçons pars 2, c. 3; Dictionnaire de théologie catholique I 1508 sqq.).

## ART. II.

## DE VATICINIIS CHRISTI.

**Prop. XVIII.** Christus vaticiniis quoque probavit se legatum divinum.

209. *Vaticinium* non raro eodem sensu accipitur quo prophetia. Nihilominus vocabulum prophetiae habet latiore sensum; significat enim quemlibet nuntium, qui per hominem a Deo affertur<sup>1</sup>, cum vaticinium sit *certa praedictio futuri eventus, qui ex principiis naturalibus praesciri non potest*. Obiectum vaticinii sunt res futurae, quae a viribus occultis et maxime a libere agentibus pendent; quas solus Deus cognoscere potest, et is, cui a Deo revelantur. Huc revocari potest cardiognosia, qua quis cognoscit secreta cordium soli Deo aperta (cf. III, n. 374 sqq.).

*Possibilitas vaticinii* patet ex iis, quae supra dicta sunt de revelatione. Deus enim infinite perfectus in cognoscendo novit futura libera et potest hanc notitiam cum hominibus communicare.

*Cognoscibilitas* vero vaticiniorum, suppositis debitis condicionibus, in dubium vocari nequit. Nam cum agitur de futuris actibus liberis, praedictio eorum triplici modo fieri potest: fortuito, coniecturaliter, certo. Prima via eo magis excluditur, quo magis multiplicia et determinata sunt, quae praedicuntur. Potest quidem interdum fieri, ut quis prorsus temerarie neque ullo nixus fundamento praedicat aliquid, quod postea futurum sit, ut si quis sine ulla ratione dicat: hic vel ille homo proximo anno iter faciet in Africam, et reapse hoc fiat. Sed quo magis indicantur omnia minuta adiuncta, eo minus eventus temerariae praedictioni respondebit, et quo plura et quo magis determinata sunt quae quis temere praedicit, eo certius et saepius falsus propheta apparebit; nam quae per accidens fiunt, raro fiunt. Hoc maxime valet de eventibus, qui ab immediata Dei interventione pendent (cf. *Ottiger*, Theol. fund. I 233 sqq.).

Idem fere dicendum est de coniecturali praedictione futurorum. Potest quidem interdum homo ex observationibus, quas hactenus instituit, secundum analogiam cum quadam morali certitudine futuram agendi rationem aliorum conicere, qua in re magnam partem consistit ars rhetorica, ars politica, generatim ars recte tractandi homines. Sed haec coniecturalis notitia futurorum ad facta simplicia et nuda neque adeo tempore remota se extendit. Quid enim homo vel multi homines

<sup>1</sup> Cf. tom. IV, n. 551.

post longum tempus facturi sint, et quidem usque ad minuta adiuncta, hoc psychologicis coniecturis nemo cum certitudine assequi potest.

Itaque *signum certum divinae revelationis habetur, ubicumque cum certitudine praedicuntur res complexae, tempore remotae, cum adiunctis, quae hic et nunc in causis nondum sunt determinata, sed undequaque e libera voluntate hominum vel Dei pendent* (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 172, a. 1, et q. 171, a. 6 ad 2). Quod ad angelos sive bonos sive malos attinet, possunt quidem naturaliter multa cognoscere, quae homo non cognoscit, et aliqua praedicere, quae nobis fortasse apparent vaticinia. Ita varia facta explicanda sunt, quae narrantur de oraculis ethnicorum (cf. *Act.* 16, 16 sqq.); quamvis multa in iis fraudi adscribenda sint, ut iam veteres viderunt, e. g. *Cicero* (De divin. 2, 56). Sed libera futura cum certitudine angeli naturaliter praevidere non possunt (cf. III, n. 377), et praeterea in iis, quae possunt, subsunt providentiae divinae, quae non patitur homines recta ratione utentes a malis spiritibus seduci in errores (cf. *J. B. Becker*, Die Weissagungen als Kriterien der Offenbarung 26 sqq.).

210. *Argumentum.* *Christus multa praedixit*, quae ab hominibus cognosci non possunt nisi per divinam revelationem. Huc pertinent omnia, quae praedixit de sua passione, morte, resurrectione (*Matth.* 16, 21; 17, 21 sqq.; 20, 18 sqq. *Marc.* 8, 31; 9, 30; 10, 33 sqq. *Luc.* 9, 22 44; 18, 32 sqq.), de prodicione Iudae (*Matth.* 26, 21 sqq. *Marc.* 14, 18 sqq. *Luc.* 22, 21. *Io.* 6, 65 71 72; 13, 21 sqq.), de Petri negatione (*Matth.* 26, 34. *Marc.* 14, 30. *Io.* 13, 38). Haec enim praedixit cum adiunctis tam determinatis, ut rationalistae inde concludant haec non potuisse tam accurate a Iesu Christo praevideri. Cum autem constet de historica certitudine illorum vaticiniorum, ex hac assertionem rationalistica efficitur, quam evidens sit eorum indoles supernaturalis.

Praedixit Iesus discipulis persecutiones multas et varias (*Matth.* 10, 16 sqq.; 24, 8 sqq. *Marc.* 13, 9 sqq.), Petro in specie martyrium (*Io.* 21, 18), Magdalenae vero futuram gloriam (*Marc.* 14, 9). Destructionem urbis Ierusalem (quam coniungit cum praedictione ultimi iudicii) et dispersionem populi iudaici tam accurate describit (*Matth.* 24. *Marc.* 13. *Luc.* 19, 41 sqq.; 21), ut rationalistae putent se inde posse ostendere evangelia non esse scripta nisi post excidium urbis Ierusalem. Impletionem narrat *Flav. Ioseph.*, De bello iud. 6 (cf. *Euseb.*, H. E. 3, 5 sq.; *M* 20, 222). Multa quoque Iesus praedixit de futura ecclesiae sorte (*Matth.* 16, 18; 24, 14 34; 26, 13; 28, 20. *Luc.* 24, 47 etc.). Cf. *Fr. Schmid*, Christus als Prophet, nach den Evangelien dargestellt, Brixen 1892; *Ottiger*, Theol. fund. I 751 sqq. Iesus novit etiam secreta cordium (*Matth.* 9, 4; 12, 25. *Luc.* 6, 8; 7, 39 sqq.; 11, 38 sq. *Io.* 1, 47 sqq.; 2, 24 sq.). De cardiognosia cf. III, n. 374 sqq.

211. *Haec vaticinia sunt argumentum divinae legationis Iesu Christi.* Nam Deus, sicut in miraculis omnipotentia sua utitur quasi sigillo,

quo divinam hominis missionem testetur, ita in prophetiis omniscientia sua. Eo enim ipso, quod hominem cognitione rerum absconditarum insignit, ostendit se eum speciali favore prosequi, et hoc eo magis, quo saepius eiusmodi res accidunt, maxime vero, si hominem habituali quadam cognitione supernaturali instruit. Talem favorem non potest impertire falso prophetae. Nam cum nihil efficacius moveat homines ad fidem alicui habendam, quam si eum viderint a Deo dono prophetiae et miraculorum instructum, Deus pro sua sapientia et sanctitate non potest tale donum homini concedere, qui eo abusurus sit ad errorem spargendum. Vaticinium nihil aliud est nisi species quaedam miraculi et plane eandem vim probandi habet, sed simili quoque modo debitis condicionibus, muniri debet, ut certo habeat rationem sigilli divini (cf. Deut. 13, 1 sqq.; 18, 20 sqq.)<sup>1</sup>. In Christo non agitur de una revelatione, quam aliquando accepit, sed de multis vaticiniis, immo de quodam habituali dono prophetico, quod est certissimum signum legationis divinae (cf. *Denz.* n. 1790), ad quod Christus ipse provocavit (Io. 13, 19; 16, 4).

## ART. III.

## DE VATICINIIS MESSIANICIS VETERIS TESTAMENTI.

**Prop. XIX.** Multis saeculis ante Christum inter iudaeos exstabant vaticinia, quibus futurus Messias praedicebatur.

**212.** *Legatus divinus non suis tantum vaticiniis probari potest, sed etiam aliorum vaticiniis, quibus praedicitur.* Nam si Deus annuntiat: Talis et talis homo veniet et erit legatus meus, eo ipso, quod talis homo venit, constat eum esse legatum divinum. Iam vero Deus temporibus Veteris Testamenti promisit legatum divinum multaue indicavit, quibus hic legatus dignosci posset. Itaque si hae notae in Christum quadrant, Christus est legatus divinus. Ut autem hoc argumentum valeat, duo probanda sunt: a) eiusmodi vaticinia existere, b) haec vaticinia in Christo impleta esse.

Prior illa quaestio duplici via solvi potest. Cum enim negari non possit in libris Veteris Testamenti eiusmodi vaticinia inveniri, restat, ut probetur genuinitas horum librorum. Sed hoc probare longum est et alibi ex professo tractandum. Propterea alteram viam eligimus, et

<sup>1</sup> His duobus locis agitur de veritate vaticinii pro duabus diversis condicionibus rerum. Si supponitur iam revelatio a Deo facta et certis argumentis stabilita, nullum vaticinium, quod cum hac revelatione pugnat, verum vaticinium esse neque a Deo procedere potest, sed est aut coniecturalis et fortuita praedictio, aut procedit a daemone intra sphaeram illarum rerum, quas daemones naturaliter sciunt. Unde Deut. 13, 1 sqq. dicitur non sequendus propheta, quidquid praedixerit, si velit populum seducere ad idololatriam. Sin autem propheta non loquitur contra veritates aliunde notas, tum solum a Deo missus censendus est, cum eventus responderit vaticinio. Itaque doctrina prophetae debet esse et Deo digna et homini utilis et, in quantum agitur de vaticinio, eventu comprobata.

abstrahentes a quaestione de genuinitate singulorum librorum, dicimus iam multis saeculis ante Christum illa vaticinia adfuisse.

**213. Argumentum.** *Apud iudaeos fuisse expectationem legati divini, quem Messiam vocabant, iam Prop. VIII dictum est. Eandem fidem habebant samaritani (Io. 4, 25 sqq.); id quod signum est, iam ante eorum separationem a iudaeis (post 722 ante Christum) hanc fidem adfuisse. Haec fides praedicatur in multis libris apocryphis ante Christum vel circa tempus Christi ortis, ut sunt oracula Sibyllina, liber Henoch, psalterium Salomonis, liber Iubilaeorum, liber 4 Esdrae, et in paraphrasibus chaldaicis Veteris Testamenti (cf. *Haneberg*, *Geschichte der bibl. Offenbarung*, ed. 4, 576; *Langen*, *Judentum in Palästina*, Freiburg 1866, 178 391 446; *Schanz*, *Apologie II*, ed. 3, Freiburg 1905, 796 sqq.; *Schürer*, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi II*, ed. 3, Leipzig 1898, 496 sqq.; ed. 4, 579 sqq.; De singulis apocryphis agit in tomo III). Immo rumor huius expectationis apud ipsos gentiles sparsus erat (cf. *Flav. Ioseph.*, *De bello iud.* 6, 5, 4; *Tacit.*, *Hist.* 5, 13; *Suet.*, *Vespas.* 4).*

**214.** *Hanc fidem iudaei hauserant e sacris scripturis Veteris Testamenti. „Sic enim scriptum est per prophetam“, inquiunt sacerdotes ad magos inquirentes, ubi Messias nasceretur (Matth. 2, 5). „Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius“ (Luc. 1, 70, cf. v. 55). „Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus, Iesum“ (Io. 1, 45). „Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum“ (Io. 12, 34). Saepissime legimus in evangeliiis (maxime Matthaei): „Hoc factum est, ut Scriptura impleretur“ (Matth. 1, 22; 2, 15 17; 3, 3; 4, 14 etc.). Idem apparet ex traditionibus talmudicis, e. g. ex libro *Sanhedrin* cap. *Chelek*: „Prophetae universi non prophetarunt nisi de diebus Messiae“ (*Raym. Martini*, *Pugio fidei* fol. 278 532, cf. 599). Ergo evidens est iudaeos diebus Christi supposuisse et admisisse vaticinia messianica ut antiquitus tradita (cf. *M. d'Herbigny*, *Theologia de ecclesia I* 13 sqq.).*

**215.** Si iam quaeritur, *quam diu libri hebraici Veteris Testamenti extiterint*, ex quibus iudaei expectationem Messiae hauserant, certum est hos libros saltem tribus saeculis ante Christum adfuisse. Ratio est, quia versio graeca LXX saltem medio saeculo II ante Christum finita est. Nam nepos Iesu, filii Sirach, dicit se octavo et trigesimo anno Ptolemaei Euergetis (circa a. 130 a. Chr.) in Aegyptum venisse ibique versionem invenisse legis, prophetarum aliorumque librorum, quae non mediocriter differret a textu hebraico, ideoque sibi visum esse versionem libri avi sui, i. e. Ecclesiastici, conficere (*prolog. Eccli.*). Ergo versio graeca librorum omnium (protocanonicorum) Veteris Testamenti tunc iam in communi usu erat in Aegypto.



*Aristobulus*, iudaeus alexandrinus, qui tempore Ptolemaei Philometoris (181—145 a. Chr.) floruit, huic regi librum dedicavit, quo demonstrare conatur Platonem ex Moyse hausisse. Postquam dixit iam antea nonnulla ex libris mosaicis in linguam graecam translata esse, addit: „Postea, regis Ptolemaei, cognomento Philadelphi (286—247), avi tui, tempore, qui omnes hoc in genere studio et magnificentia superavit, integram eorum, quae ad nostras leges pertinent, omnium interpretationem, praecipue Demetrii Phalerii totum negotium moderantis opera, elaborarunt“ (*Euseb.*, Praepar. evang. 13, 12; *M* 21, 1097). Cf. quae de Aristobulo refert *Clemens Alexandrinus*, Strom. 1, 22; *M* 8, 893. *Anatolius*, et ipse alexandrinus, narrat versionem factam esse a 70 interpretibus in gratiam Ptolemaei Philadelphi et patris eius (*Euseb.*, H. E. 7, 32; *M* 20, 728). Idem testatur (Pseudo-) *Aristaeus* vel *Aristaeus* (circa a. 200), qui dicitur fuisse praefectus militum sub eodem Ptolemaeo Philadelpho (*Euseb.*, Praepar. evang. 8, 1 et 2; *M* 21, 587). Eius quidem narratio multa fabulosa continet neque genuina censi potest<sup>1</sup>; sed cum vetustissima sit et iam *Flav. Iosepho* (*Contra Apion.* 2, 4) et *Philoni* (*De vita Moys.* 2, 5 sqq.) nota ut antiquum documentum, ostendit vetustissimam traditionem, quae saltem secundum substantiam vera esse censenda est (cf. *Cornely*, *Introd.* I 338 sqq.). Ergo certum est non multo post saeculum III a. Chr. iam exstitisse versionem graecam illorum librorum Veteris Testamenti, in quibus vaticinia messianica insunt. Idem tradunt primi Patres ecclesiae, ut (vulgatus) *Iustinus*, *Cohort. ad Graecos* 13; *M* 6, 265 sq.; *Irenaeus*, *Adv. haer.* 3, 21, 2; *M* 7, 947 sq.; *Clemens Alex.*, Strom. 1, 22; *M* 8, 892 etc.

Consequenter vaticinia messianica, quae in versione LXX exstant, saltem tribus saeculis ante Christum in textu hebraico aderant. Hoc nobis sufficit, quamvis facile probari possit et ab omnibus concedatur multos libros Veteris Testamenti multo ante exstitisse.

216. *Iesus Christus ipse docuit vaticinia librorum Veteris Testamenti de se dicta esse.* „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. . . Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim scripsit“ (*Io.* 5, 39 45 46). „Incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant. . . Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intellexerent Scripturas“ (*Luc.* 24, 27 44 45). „Omnes enim prophetae

<sup>1</sup> Cf. *Migne*, P. gr. 15, 53 sqq.

et lex usque ad Ioannem prophetaverunt“ (*Matth.* 11, 13). „Ecce, ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis“ (*Luc.* 18, 31). „Adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me“ (*Luc.* 22, 37. Cf. *Matth.* 21, 42; 22, 41 sqq.; *Luc.* 4, 18; *Io.* 19, 28). Magistrum suum secuti, apostoli quoque vaticinia de Christo intellegenda esse docuerunt (cf. *Act.* 2, 25 sqq.; 3, 18; 7, 52; 28, 23 etc.).

### Prop. XX. Vaticinia messianica breviter explicantur.

217. Possunt vaticinia messianica aut considerari singula in se et comparari cum singulis factis vitae Iesu Christi, aut possunt simul sumi, in quantum constituunt unam magnam prophetiam futuri eventus, qui est scopus et finis totius Veteris Testamenti, ad quem praeparandum omnes res gestae populi iudaici innata sua vi tendunt. Hoc altero modo de vaticiniis Veteris Testamenti loquitur Iesus Christus ipse in evangeliiis; hoc modo vaticinia considerabantur a iudaeis, qui ex illis hauserant expectationem futuri Messiae, in quo benedicerentur omnes gentes. Neque negari potest in ortu et progressu populi israëlitici manifestari plane singularem educationem, ab aliorum populorum processu omnino diversam, cuius maturus fructus est religio christiana. Unde religio iudaica et religio christiana non possunt inter se separari, sed ab initio mundi usque ad nostra tempora unam continuam seriem eventuum maxime mirabilium complectuntur, cui nihil par, nihil simile apparet in omnibus reliquis factis historicis. Tota haec series indolem praeternaturalem tam manifeste prae se fert, ut eam ex principiis pure naturalibus explicare velle sit coeptum desperatum (cf. *Newman*, *Grammar of assent* c. 10, § 2, n. 6 sqq., ed. 4, London 1874, 432 sqq.). Ut hoc clarius appareat, praecipua vaticinia messianica, prout successu temporum magis magisque distincta prodierunt, brevi conspectu proponenda sunt. Cf. *Adalb. Schulte*, *Die messianischen Weissagungen des Alten Testaments*, Paderborn 1908; *Muncunill*, *De vera religione* 248 sqq.

#### PROTO-EVANGELIUM.

(*Gen.* 3, 15.)

218. Narratio peccati primi hominis (*Gen.* 3, 1 sqq.) refert vere *historicum factum*; id quod apparet ex contextu historicarum narrationum, quae praecedunt et sequuntur. Neque ullum indicium allegoriae adest, sed omnis allegorica explicatio vim infert verbis et ad metaphoras inusitatas et contortas confugiat necesse est.

*Serpens apparet ut organum alterius agentis*, quia per se loquendi facultatem non habet (*Gen.* 2, 19 sq.). Malitia vero suggestionis (*Gen.* 3, 4 5) ostendit illud agens esse malum spiritum, id quod alibi aperte docetur (*Sap.* 2, 24. *Io.* 8, 44). Itaque maledictio Dei (*Gen.* 3, 14), quamvis secundum modum loquendi adaptetur externae apparitioni

serpentis, primarie cadit in diabolum, qui maledicatur, humiliabitur (terram comedes, cf. Mich. 7, 17), punietur (conteret caput tuum; cf. Rom. 16, 20).

*Homini lapso*, quamvis et ipse severe puniatur (Gen. 3, 16 sqq.), *victoria de adversario referenda promittitur*: „Inimicitias ponam inter te [serpentem-diabolum] et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa [textus hebr.: ipsum, i. e. semen] conteret caput tuum, et tu insidiaberis [conteres] calcaneo eius“ (Gen. 3, 15). Sensus est: Mulier cum te, diabolo, amicitiam fecit consentiendo tibi, sed ego hanc amicitiam convertam in inimicitias et efficiam, ut semen mulieris te penitus superaturum sit, quamvis ipsum quoque non sine vulnere maneat. Itaque pugna quaedam praedicatur inter duos exercitus, quorum unus constat ex omnibus, qui cum diabolo capite ita uniuntur, ut possint dici semen eius (cf. Io. 8, 44; Apoc. 12, 7 9); alter constat ex semine mulieris, i. e. ex humano genere, in quantum sub uno capite pugnaturum est contra diabolum. Non quidem diserte dicitur, utrum semen mulieris sit unus aliquis an multitudo. Sed quatenus multitudo significatur, intellegitur in unitatem collecta, quae semini diaboli opponatur; sicut apostolus ait: Quia vos estis Christi, qui est semen Abrahae, ideo et vos semen Abrahae estis (Gal. 3, 16 29). Sed quia hic textus magis explicatur in tractatu de immaculata conceptione (III, n. 302 sqq.), haec pauca hic sufficiant.

## VATICINIUM NOE.

(Gen. 9, 26 27.)

219. Sicut in priore prophetia Deus humano generi universo salutem praedixerat, ita in hac prophetia indicatur specialis illa stirps, ex qua salus oritura sit. Forma prophetiae est precatoria, sed secundum id, quod continet, est verum vaticinium; trium enim populorum futurae sortes describuntur. „Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. . . Benedictus Iahve, Deus Sem, sit Chanaan servus eius. Dilatet Deus Iaphet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus eius“ (Gen. 9, 25 sqq.).

Unus accipit maledictionem, duo benedictionem. Benedictio Sem in eo est, quod Iahve erit Deus eius peculiari modo ut eius dux et protector. Hanc enim vim habet illa locutio: Deus alicuius. Iahve est nomen, quo Deus appellatur, quoties cum hominibus foedus et amicitiam inire dicitur. Unde prophetia idem valet ac: Deus in stirpe Sem se ut Iahve manifestabit.

Benedictio Iaphet consistit in dilatatione, qua non obstante habitabit in tabernaculis Sem. Quo sensu? Postquam Elohim (i. e. Deus ut omnipotens gubernator mundi) dilataverit Iaphet, per Sem Iaphet particeps erit illius gloriae, quod Iahve erit Deus eius, et ita in Sem spiritualem benedictionem consequetur post temporalem expansionem. Rem esse ita intellegendam ostendent sequentes prophetiae. Praeterea

de expugnatione terrarum semiticarum per iaphetidas explicari non possunt verba (quamvis per se hunc sensum admittant), quia hoc modo infausta praedicerentur Sem, quod est contra contextum.

## PROMISSIONES ABRAHAM FACTAE.

220. Ex filiis Sem electus est Abram, ad quem specialiter descenderet hereditas promissionis patri populi semitici factae. „Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicientibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae“ (Gen. 12, 1 sqq.). Possumus hic quattuor benedictiones distinguere: a) „Faciam te in gentem magnam“ (cf. Gen. 13, 16; 15, 5; 17, 2 etc.); b) „Semini tuo dabo terram hanc“ (Gen. 12, 7; cf. 13, 15; 15, 13—21 etc.); c) „Benedicam tibi et magnificabo nomen tuum“ (cf. Gen. 17, 16; 22, 17; 24, 1; 25, 11; 26, 3 12 24 etc.); d) „In te benedicentur omnes gentes“ (Gen. 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14).

Quia Abram futurus est pater multarum gentium, *nomen eius mutatur in Abraham*. Habitudo Abraham ad multas gentes sine dubio primo loco naturalis est, quatenus posteri eius in magnum populum excreverunt. Sed praeterea adest alia relatio spiritualis (Rom. 4, 16 sq.; 9, 6 sqq. Gal. 3, 7), quae significatur per illa verba: „In te benedicentur omnes gentes terrae.“ Illud „in te“ ostendit Abraham esse fontem, unde benedictio ad omnes gentes descendat. Benedictio autem principalis Abraham erat, quod Iahve erat Deus eius, protector eius, merces eius magna nimis (Gen. 15, 1; 17, 1 sqq.; 18, 19). Haec igitur benedictio ad omnes gentes descendet, ut omnes per semen Abraham ad amicitiam Dei redeant. Nam quomodo omnes gentes consecuturae sint temporalem benedictionem in semine Abraham, vix intellegi potest; immo Abraham videbat multos alios populos abundantes divitiis et potestate; et a Deo audierat alios populos a semine suo temporaliter affligendos esse (Gen. 15, 16 sqq.). Nihilominus omnes alii populi in semine Abraham benedictos se agnoscent, id quod exprimitur per formam hithpael הִתְבָּרַךְ, i. e. se benedicient (Gen. 22, 18; 26, 4). Intellegitur ergo benedictio spiritualis.

## VATICINIUM IACOB.

221. Ab Abraham benedictio descendit ad Isaac (Gen. 26, 2 sqq.), ab Isaac ad Iacob (Gen. 28, 12 sqq.). In Iacob impletum iri promissiones Dei Balaam praedixit (Num. 23, 8 sqq.). „Quam pulchra tabernacula tua, Iacob! . . . Accubans dormivit ut leo et quasi leaenae, quam suscitare nullus audebit“ (Num. 24, 5 sqq.). Dein dicit futurum esse ducem et regem, qui gloriam domus Iacob ad summum adducturus sit, eumque describit ut post longum tempus venientem sub imagine

sceptri et stellae: „Videbo eum, sed non modo, intuebor eum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël“ (Num. 24, 17). Hic omnes hostes superabit. Haec gloria domus Jacob eo magis eminent, quod multis iisque potentissimis populis interitus imminet (Num. 24, 20 sqq.). Vaticinium Balaam factum est post exodum israelitarum ex Aegypto. Iam multo ante Jacob ipse praedixerat, ad quem filiorum suorum descensura esset promissio.

222. Cum filii Jacob accessissent ad patrem moribundum, ut suam quisque futuram sortem audirent (Gen. 49, 1 sqq.), Iuda praedicta est potestas magna, victoria de inimicis, regnum inter fratres (Gen. 49, 8-9). Jacob dein addit: „Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium“ (Gen. 49, 10). Ergo illa benedictio omnium gentium, quam Deus prioribus patriarchis promiserat, veniet ex tribu Iuda.

Regia dignitas posteris Abraham et Jacob iam promissa erat (Gen. 17, 6-16; 35, 11). Nequit igitur esse dubium, quin tribui Iuda haec regia dignitas praedicatur. Non quidem ipse Iuda erit rex, sed inter posteros eius reges erunt; nam Jacob praedicit ea, quae multo post futura sunt „in diebus novissimis“ (Gen. 49, 1). Potestas haec procedet ex parvis initiis (catulus leonis Iuda), crescet (ad praedam ascendisti), erit insuperabilis (requiescens accubuisti ut leo, quis suscitabit eum?), perpetua (sceptrum non recedet), eximiam felicitatem adducet (ligans ad vineam pullum . . . lavabit in vino stolam suam).

223. שָׁבֵט potest significare aut tribum aut sceptrum. Si prior significatio hic admittitur, sensus est: Tribus non deficiet ex Iuda. Sed hic sensus non aptus est ad contextum, cum aperte promittatur tribui Iuda dominatio inter fratres (adorabunt te filii patris tui). Quare veteres interpretes vertunt vel: sceptrum non recedet, vel: dux non recedet. Prior est versio *Peschito*, *Aquila*, *Hieronymi*; alteram versionem habent *LXX*, *Onkelos*, *Symmachus*, alii. Item מִהַקֵּק vertitur vel: dux (non recedet dux a Iuda genitus), vel: insigne regium (quod inter genua tenebatur). Illa significatio habetur Iud. 5, 14; altera Ps. 60 (59), 9; 108 (107), 9. Sensus manet idem secundum utramque significationem: Regnum manebit penes Iuda, reges de eo orientur.

224. „Donec veniat שְׁלֵה.“ De litteris huius vocis non videtur posse esse dubium (solus *Hieronymus* legit ה pro ה et vertit: „qui mittendus est“, a verbo שָׁלַח). Si derivatur a verbo שָׁלַח, sensus est: donec veniat tranquillitas, prosperitas seu, quia saepe in lingua hebraica abstracta ponuntur pro concretis: donec veniat pacificator, salutis auctor. Ita vocem intellexerunt *Onkelos* et *Ionathan*, qui vertunt „donec veniat Messias“, et samaritana versio: „donec veniat pacificus“. Etiam alibi in Scriptura Messias vocatur „pax“ (Mich. 5, 5. Eph. 2, 14. Cf. Is. 9, 6). Haec explicatio sine dubio est maxime obvia et simplex.

Alii tamen mutatis vocalibus legunt שְׁלֵה, quod volunt esse abbreviatum ex שָׁלַח לִי. Sic Syrus vertit: „Donec veniat, cuius illud [sceptrum] est“; *Aquila* et *Symmachus*: ὡς ἀπόκειται. Idem habet versio *LXX* secundum codicem oxoniensem, secundum vulgatam vero editionem: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Haec lectio et interpretatio generatim multis auctoritatibus fulcitur, quas allegat *Jahn* (Einleitung in die Bücher des A. B. I, Wien 1802, 511 sqq.). Itaque secundum hanc acceptionem sensus verborum est: Donec veniat is, cuius est sceptrum, scilicet eminenti modo prae omnibus aliis, id quod optime valet de Messia.

Alii voluerunt sensum esse: Sceptrum non recedet a Iuda, donec venerit Siluntem (cf. Ios. 18, 1), cum Iuda dux fuerit israelitarum contra canaanitas et hac praerogativa se abdicaverit apud urbem Silo. Sed haec explicatio est impossibilis, quia, cum israelitae ad urbem Silo venerant, Iosue, de tribu Ephraim, dux populi erat. Iuda igitur, si tunc iam amisit sceptrum, illud numquam habuit. Praeterea haec explicatio est contra omnes veteres versiones et pugnat cum sequentibus: „Et ipse erit expectatio gentium“ [*hebr.*: et ipsi oboedientia gentium, seu: ipsi oboedient gentes].

Illud verbum „donec“ non significat ablatum iri regiam dignitatem a Iuda, quando venerit Shiloh, cum tunc maxime omnes populi praestaturi sint oboedientiam. Ergo tunc demum sensu perfecto regia potestas erit penes Iuda. Hic usus vocabuli „donec“ est frequens (e. g. Gen. 28, 15. Deut. 7, 24. 2 Reg. 6, 23. Dan. 1, 21. Matth. 1, 25 etc.).

225. Itaque Jacob praedicit fore, ut regia potestas detur posteris Iuda, et ut haec potestas totam suam perfectionem adeptura sit, quando venerit magnus ille pacificator seu magnus ille rex, cui haec potestas praeter ceteris omnibus conveniat, et cui oboedituri sint populi. Facile explicatur, quomodo secundum hunc sensum impleta sit prophetia. Regia dignitas eaque aeterna tribui Iuda simpliciter promittitur. Cum autem Christus sit rex aeternus de tribu Iuda, respectu potestatis aeternae prophetia per Christum impleta est. Sed illud „sceptrum non recedet a Iuda, donec Shiloh venerit“, ostendit etiam ante Christum iam tribum Iuda potituram regia potestate, et hanc dignitatem regiam, saltem secundum ius, amissuram non esse, donec Messias venerit.

226. Alia explicatio minus probabilis. Temporalem dignitatem ablatum iri a tribu Iuda eo tempore, quo summam illam dignitatem spiritualem in Messia consequatur, et non prius, ex textu non potest deduci. Nihilominus multi SS. Patres textum ita interpretati sunt, neque haec interpretatio cum verbis prophetiae pugnat. Immo verum est, nisi Christus sit Messias, sceptrum iam diu ablatum a Iuda et vaticinium falsum esse. At valde difficulter explicatur, quomodo secundum hunc sensum prophetia verificata sit per subsequentes eventus, cum iam

pluribus saeculis ante Christum regia dignitas ablata sit a tribu Iuda. Quare, qui hanc explicationem defendunt, infirmare conantur verba vaticinii et pro regia dignitate ponunt qualemcumque politicam potestatem tribus Iuda. Dicunt igitur penes tribum Iuda semper quandam politicam potestatem fuisse (cf. 1 Esr. 1, 5) et tum demum plane cessasse, cum urbs et templum a romanis destructa essent.

At haec explicatio non videtur valde probabilis. Nam cum iam prioribus vaticiniis regia dignitas filiis Abraham et Iacob promissa esset (Gen. 17, 6 16; 35, 11), et eadem dignitas etiam in sequentibus vaticiniis efferatur, vix credibile est Iacob in illo splendido vaticinio nihil aliud voluisse praedicere, nisi tribum Iuda, quamvis subiugatam et in captivitatem abductam, semper mansuram esse tribum, quae suas leges et politica instituta sequeretur. Hicne ille leo, quem nemo suscitare audeat?

Quidquid igitur est de hac explicatione, Iacob certo praedixit ex tribu Iuda proditurum esse magnum regem seu pacificatorem, cui oboedituri sunt populi, seu ex tribu Iuda venturum esse illud semen, in quo „benedicentur cunctae tribus terrae“. Hoc modo magis magisque res in proto-evangelio promissa determinatur: Salus veniet ex populo semitico, ex filiis Abrahae, ex tribu Iuda (cf. *Reinke*, Die Weissagung Jakobs, et Theologische Quartalschrift, Tübingen 1860, 41 sqq.).

#### VATICINIA DAVID ET SALOMONI FACTA.

227. Tribus Iuda iam aliquem principatum habuit („catulus leonis“) in deserto, quatenus alias tribus numero superabat (Num. 1, 26) et in itinere primum locum tenebat (Num. 2, 3 9; 10, 13 14). Iudas bis belli dux fuit (Iud. 1, 2; 20, 18). Sed *gloriam regiam tribus Iuda consecuta est per David*, ut hic ipse ait: „Elegit Dominus Deus me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum; de Iuda enim elegit principes“ (1 Par. 28, 4).

Cum vero David pace constituta Deo templum aedificare vellet, Nathan propheta ei nuntiavit: „Haec dicit Dominus: Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum. . . . Annuntio ergo tibi, quod aedificaturus sit tibi Dominus domum. Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum eius“ (1 Par. 17, 4 10 11). „Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Et fidelis erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter“ (2 Reg. 7, 13 sqq.). David moriens filio suo dixit: „Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius . . . ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens:

Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel“ (3 Reg. 2, 3 4).

228. Eadem Deus *Salomoni* repetit: „Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in aequitate et feceris omnia, quae praecepi tibi, et legitima mea et iudicia servaveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David, patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me nec custodientes mandata mea et caerimonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos et adoraveritis eos, auferam Israel de superficie terrae, quam dedi iis, et templum, quod sanctificavi nomini meo, proiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium et in fabulam cunctis populis“ (3 Reg. 9, 4 sqq.). Similiter in Ps. 88, 21 29 sqq.: „Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum . . . in aeternum servabo illi misericordiam meam et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in saeculum saeculi semen eius et thronum eius sicut dies caeli. Si autem dereliquerint filii eius legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint, si iustitias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea [veritati meae, promissioni meae], neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo, si [numquid] David mentiar. Semen eius in aeternum manebit et thronus eius [immutabilis] sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta [perfectus erit] in aeternum, et testis [Deus vel luna] in caelo fidelis [perpetuus].“

229. Itaque *duae promissiones familiae David factae sunt*: altera condicionata, altera absoluta. Condicionata promissio respicit regnum temporale, quod tenebunt, quamdiu a Deo non defecerint (cf. Ps. 131, 12). Absoluta promissio est de throno aeterno, quem Deus domui David promittit non obstante futura eorum malitia. Absolutam perpetuitatem intellegi patet ex comparatione cum sole et luna et ex illa locutione: „non auferetur vir de solio Israel“, et similibus. Constat igitur magnum illum „pacificatorem, cui est oboedientia populorum“, futurum esse ex familia David.

Magis describitur hic „Unctus [Messias] Domini [Iahve]“ in *Psalmo 2* ut superaturus omnes inimicos suos, qui volunt vincula eius rumpere et iugum eius abicere, sed Deus irridebit eos et loquetur ad eos: „Ego unxi regem meum in Sion“ (*hebr.*). Hic vero rex testatur: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. . . .“

Item in *Psalmo 109* (cf. *Matth. 22, 44*): „Verbum Iahve ad Dominum meum: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.“ Sceptra huius regis ex Sion est, unde dominabitur in medio inimicorum suorum. Hic est ille rex, cui per iuramentum Deus promisit regnum sacerdotale et aeternum. Debebit quidem multas molestias perferre, sed postea gloriosus victor exaltabit caput suum (cf. *Ps. 44 et 71*).

VATICINIA DE ABICTIONE POPULI ISRAEL ET PASTORUM EIUS  
ET DE SUSCITATIONE NOVI PASTORIS.

**230.** Israel condicionem illam, a qua Deus dependentem fecerat temporalem eius gloriam, non implevit, sed a Deo recessit ideoque reiectus est. At non obstante hac calamitate promissio de aeterno rege, qui veniet ex Iuda, intacta mansit, et iterum iterumque novus ille rex promissus est. Hae duae res, abiectio populi et pastorum eius et suscitatio novi pastoris, sunt argumentum, quod saepe a posteris prophetis tractatur.

Ita *Osee* propheta cap. 1 tribus actionibus symbolicis repraesentat populi reiectionem, quia populus recedens a legitimo conubio spirituali, quod inierat cum Deo, fornicatus est cum diis falsis (2, 2 sqq.). Rursum tamen Israel misericordiam consequetur (1, 10 11), postquam in captivitate resipuerit (2, 8 sqq.). „Et percutiam cum iis foedus . . . et sponsabo te mihi in sempiternum“ (2, 18 19). Postquam dies multos sederint filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine teraphim, „post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum“ (3, 4 5), non utique illum David regem, qui diu mortuus erat, sed illum, qui ex stirpe davidica promissus erat (*Ps. 88*). Quia enim David erat typus Messiae, hic ipse saepe David vocatur (*Ier. 30, 9. Ez. 34, 23; 37, 24*; cf. infra n. 232 sq.). Haec autem omnia fient „in novissimo dierum“ (*Os. 3, 5*). In sequentibus peccata et poenas populi propheta describit.

Similiter *Ioel* prius proponit terribilia iudicia Dei (1, 1—12), dein exhortatur ad paenitentiam (1, 13 ad 2, 17), tum promittit restitutionem (2, 18 sqq.). Cap. 3 describit iudicium Dei de omnibus populis, cuius finis ultimus erit, quod Israel cum Deo suo habitabit in aeternum in monte Sion (3, 16 sqq.).

Idem praedixit *Amos*, qui scelera et poenas exponit et finalem restorationem promittit: „Verumtamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. . . . In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit . . . et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis“ (9, 8 11).

Idem in brevissima prophetia *Abdiae*, secundum quam regnum Sion complectetur omnes populos terrae (17), „et ascendent salvatores in montem Sion . . . et erit Domino regnum“ (21).

**231.** Hanc catholicitatem regni messianici pulcherrime exponit *Isaias* propheta, qui exhibet omnes populos confluentes ad montem Sion: „Et

erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes . . .“ (2, 2 sqq.). Praedicat quidem hic quoque propheta omnibus populis terribilia Dei iudicia propter peccata eorum, sed magis quam alii prophetae ostendit, quomodo haec iudicia eo tendant, ut populi convertantur et tandem per Messiam salutem inveniant (4, 2 sqq.; 9, 1 sqq.; 11, 1 sqq.; 12, 1 sqq.; 14, 1 sqq.; 18, 3 sqq.; 19, 18 sqq.; 26, 1 sqq.; 30, 18 sqq.; 33, 20 sqq.; 35, 1 sqq.; 40, 1 sqq.; 42, 1 sqq.; 43, 1 sqq.; 49, 7 sqq.; 51, 3 sqq.; 52, 1 sqq. etc.). Quare propheta laetitia gestiens exclamat: „Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui . . .“ (60, 1 sqq.).

De hoc monte Domini *Michaeas* quoque vaticinatus est, qui, postquam poenas pro peccatis praedixit, addit: „Et erit: in novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium et sublimis super colles, et fluent ad eum populi . . . et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in aeternum“ (4, 1 7).

**232.** Malitiam vero pastorum populi israelitici increpat *Ieremias* et praedicat eos remotum et novum pastorem institutum iri: „Vae pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus. . . . Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. . . . Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra . . .“ (23, 1 sqq.). „Servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo iis. . . . Et aedificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur. . . . Et erit dux eius ex eo, et princeps de medio eius producet. . . . Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum“ (30, 9 18 21 22). „Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iacob foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum. . . . Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero iis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum“ (31, 31 33). „In diebus illis et in tempore illo germinare faciam David germen iustitiae, et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Ierusalem habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster“ (33, 15 16). Neque vero solus Iuda habitabit ibi, sed „congregabuntur ad eam [Ierusalem] omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem“ (3, 17).

**233.** De malo pastore removendo et de bono pastore mittendo loquitur *Ezechiel* quoque propheta. Ait enim ad Sedeciam regem: „Tu autem, profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniqui-

tatis praefinita, haec dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam; nonne haec est, quae humilem sublevavit et sublimem humiliavit? Iniquitatem [ruinam], iniquitatem ponam eam, et hoc non [nihilum] factum est [i. e. corona seu dignitas non iam erit in familia David], donec veniret, cuius est iudicium [Shiloh?], et tradam ei" (21, 25 sqq.). Quis autem sit ille, cuius est iudicium, postea dicit: „Vae pastoribus [regibus] Israel, qui pascebant semet ipsos. . . . Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem. . . . Salvabo gregem meum. . . . Et suscitabo super eas [oves meas] pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit iis in pastorem. Ego autem Dominus ero iis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum; ego Dominus locutus sum, et faciam cum iis pactum pacis. . . . Et scient, quia ego Dominus Deus eorum cum iis, et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus" (34, 2 10 22 sqq. 30). Iam antea propheta domum David comparaverat cum medulla cedri, quam Nabuchodonosor rex transplantaverat in alienam terram (17, 3 4), sed „haec dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis . . . et plantabo super montem excelsum et eminentem . . . et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit" (17, 22 sq.). Ut hoc loco, ita alibi saepe Messias dicitur venturus, quando de domo Israel non supersunt nisi reliquiae, et quando domus David est in humili condicione et quasi exstincta (cf. Is. 4, 1; 6, 13; 10, 19; 11, 16; 53, 2; Ier. 23, 3; 30, 7 etc.).

VATICINIA DE MUNERIBUS NOVI PASTORIS REGALI, PROPHETICO, SACERDOTALI.

**234.** Pastorem illum novum, quem Deus promisit, futurum esse *regem* aeternum omnium populorum ostendunt vaticinia praecedentia (cf. Is. 9, 6 sq.; Dan. 7, 13 sqq.).

Praeterea erit *propheta*, i. e. legatus, quem mittet Deus ad docendos homines. Hoc iam praedixit *Moses*: „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus; ipsum audies" (Deut. 18, 15). Hunc textum ad Messiam referri omnes exegetae concedunt, cum in Novo Testamento haec prophetia saepe ad Christum applicetur (Io. 1, 45; 5, 45 sq.; 6, 14. Act. 3, 22 sqq.). Disputant quidem, utrum exclusive an principaliter tantum de Christo valeat (cf. *Knabenbauer*, Erkl. des Proph. Is. 4, nota, et *Cornely*, Introd. II 2, 276 sq. 278 sqq.). Sed utra explicatio eligitur, sufficit nobis hoc loco Christum praedictum esse prophetam. Magis idem explicat *Isaias*: „Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus" (55, 3 4). Messias vero de se loquens exhibetur: „Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis

misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam . . ." (61, 1 sqq. Cf. Luc. 4, 21.) Idem 42, 1 sqq.; Mich. 4, 1 sqq. Legatum divinum se probabit multis miraculis: „Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum" (Is. 35, 5 6. Cf. Matth. 11, 5).

Tandem Christus erit *sacerdos*, et quidem non secundum ordinem Levi, sed secundum ordinem Melchisedech (Ps. 109. Cf. Gen. 14, 18; Hebr. 7, 1 sqq.). Sacerdos „iste asperget gentes multas", ut ait *Isaias* (52, 15). Aspersio enim, qua sanctificatur populus, est praecipua quaedam pars actionis sacrificialis (Lev. 16, 18 19. Hebr. 9, 14 sqq.). Neque vero aliam hostiam offeret quam se ipsum: „Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. . . . Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. . . . Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum. . . . In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos. . . . Ideo disperdiam ei plurimos et fortium dividet spolia" (Is. 53, 4 sqq.). Haec doctrina magis explicabitur in tractatu de Verbo incarnato (IV, n. 538 sqq.). Apud *Zachariam* typice de Messia haec dicuntur: „Ecce vir, Oriens [i. e. ‚germen', nomen Messiae ut 3, 8] nomen eius, et subter eum orietur, et aedificabit templum Domino. Et ipse exstruet templum Domino, et ipse portabit gloriam et sedebit, et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos [inter potestates regiam et sacerdotalem, aut inter typum et antitypum]" (6, 12 sqq.). Hic sacerdos instituet novum sacrificium, quod offeretur a solis ortu usque ad occasum (Mal. 1, 11); sed de hac re plura in tractatu de eucharistia (VI, n. 853 sqq.).

**235.** Ex dictis patet, quomodo duo haec concilientur: quod *Messias* annuntietur modo ut rex potentissimus, modo ut vir omni miseriae subiectus (cf. Ps. 21 cum Ps. 109 et Is. 9, 6 7 cum Is. 53, 2 3). Videlicet Christus, in quantum se ipsum offeret in sacrificium pro peccatis mundi, summa mala tolerabit; sed haec ipsa via est, qua perveniat ad summam gloriam. Propterea illis ipsis locis, ubi Messias patiens describitur, in fine gloriosus victor exhibetur. Apud *Zachariam* (9, 9 10) humilitas Messiae cum eius universali dominatione immediate coniungitur: „Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae. Et disperdam quadrigam ex Ephraim et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae." Idem propheta (c. 11) praedicat, quomodo Israel pastorem suum reiecturus et pro hoc crimine gravissimas poenas daturus sit, ubi v. 12 et 13 habetur vaticinium de triginta argenteis, quibus Israel venditurus sit pastorem suum (cf. Is. 49 et 50, 4 sqq.).

## VATICINIA DE TEMPORE ADVENTUS MESSIAE ET DE LOCO NATIVITATIS EIUS.

236. Populus israeliticus propter delicta sua in captivitatem abductus et regnum davidicum destructum est (588 a. Chr.). Inter captivos erat *Daniel*, quem Deus elegit prophetam ad consolandum et docendum populum. Cum enim temporale regnum periisset, eo magis augendum erat desiderium et spes *aeterni regni messianici*. Hoc regnum Daniel praedicit, postquam annuntiavit omnia alia regna destructum iri: „In diebus autem regnorum illorum [quattuor, quae antea descripsit] suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum“ (2, 44). Postquam enim ablata vidit illa regna, vidit futurum *regem novum*, cuius potestati omnes populi subicerentur in aeternum; „Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum [Deum] pervenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur“ (7, 13 14). De quattuor illis regnis et eorum symbolis cf. *D. Buzy*, *Revue biblique* XV (1918) 414 sqq.

237. Ieremias praedixerat captivitatem duraturam septuaginta annos (Ier. 25, 12; 29, 10). Cumque Daniel rogasset Deum, ut acceleraret tempus salutis, apparuit ei Gabriel archangelus et nuntiavit ei, *quando Messias venturus esset*: „Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio [8, 16], cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me et locutus est mihi dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te et intellegeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadvertes sermonem et intellege visionem: Septuaginta hebdomades abbreviatae [determinatae] sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadvertes: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursus aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio“ (9, 21 sqq.).

Angelus hic ad Daniel aperte loquitur de ea salute, quam iam praecedentes prophetae praedixerant, quae coniuncta est cum deletione peccati, cum finali abrogatione Veteris Foederis et cum institutione Novi Foederis in iustitia sempiterna. Neque igitur potest esse dubium, quin sermo sit de tempore messianico, id quod propheta diserte indicat per illud „usque ad Messiam ducem“. Magnus enim futurus ille dux, qui simpliciter vocatur Messias, est una determinata persona.

238. Dicit igitur regnum messianicum venturum esse post septuaginta hebdomades. *Quid sunt hae hebdomades* seu septimanae (שִׁבְעָתַיִם)? Imprimis non sunt tempus indefinitum, quia diserte affirmatur „determinatas“ esse septuaginta hebdomadas, et quia hae hebdomadae dividuntur in  $7 + 62 + 1$ , et singulis periodis determinata facta assignantur. Ex altera vero parte non sunt hebdomades septenorum dierum: nam per 50 dies (9, 25) non potuit urbs rursus aedificari: neque alia, quae praedicta sunt, spatio 490 dierum fieri potuerunt. Vocabulum *shabûa* (sicut septimanus) potest quemlibet cyclum septenarium significare; ex usu autem hebraeorum significat aut cyclum septem dierum aut cyclum septem annorum sicut vox synonyma *shabbat* (cf. Lev. 25, 2 8; 26, 34 35 43; 2 Par. 36, 21). Ergo cum hic non possit esse sermo de septimanis dierum, *sermo est de septimanis annorum*. Hoc inde quoque patet, quod, cum Daniel meditatur de septuaginta annis a Ieremia praedictis (Ier. 25, 11 12; 29, 10), angelus ei apprensus loquitur de septuaginta septimanis et praedicit magnam illam et definitivam salutem futuram esse non post septuaginta annos, sed post septuagies septem. Itaque sensus est: Quadringenti nonaginta anni constituti sunt ad perficienda ea, quae 9, 24 praedicuntur, scilicet ad finiendam praevaricationem, ad expiandum peccatum, ad adducendam iustitiam, ad implendam prophetiam, ad ungendum Sanctum sanctorum. Pro illo „Sanctus sanctorum“ hebraice legitur: „Sanctitas sanctitatum“. Hoc nomine Ezechiel significat regnum messianicum sub figura templi (Ez. 43, 12; 45, 3. Cf. Zach. 6, 12). Alii censent nomen significare ipsum Messiam, qui etiam alibi ungens dicitur (Is. 61, 1. Ps. 44, 8), quem sensum Vulgata et aliae versiones praeferunt.

239. Iam quaeritur, *quis sit terminus, a quo hi anni computentur*. Ad quam quaestionem quidam ita respondent: „Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem“, i. e. ab edicto regio, quo iudaeis licentia dabatur urbem rursus aedificandi. Cyrus (a. 536) dederat iudaeis potestatem redeundi in patriam suam (1 Esdr. 1, 1 sqq.); at de reaedificatione urbis tunc sermo non erat. Hoc edictum (a. 518) Darius confirmavit. Artaxerxes I Longimanus a. 7 et a. 20 regni sui iussit urbem denuo construi (2 Esdr. vel Neh. 2, 1 sqq.), quod opus Nehemias perfecit „in angustia temporum“ (2 Esdr. 3—8). Artaxerxes regnare (cum Xerxe correptione) coepit a. 474; ergo decretum alterum factum est a. 454

vel potius a. 453. Tempus vitae publicae Iesu Christi non est omnino certum. Quomocumque computaveris, tempus, quod apud Daniele praedicatur, incidit in vitam publicam Christi. Christus secundum prophetiam prodibit post 69 hebdomadas, seu a. 483 post illud edictum, i. e. (453 minus 483 =) circa a. 30 aerae vulgaris; post dimidiam hebdomadam seu post annos  $3\frac{1}{2}$  cessabit hostia et sacrificium in templo, i. e. cessabit inde a morte Christi, et per hanc hebdomadam regnum messianicum erigetur et confirmabitur pactum, i. e. novum foedus cum multis. Quia iudaeis brevi ante Christum persuasum erat tempus a Daniele indicatum fini appropinquare, ideo tam viva tunc in iis erat exspectatio Messiae. Christus ipse testatur Daniele de suo tempore prophetasse (Matth. 24, 15); ipse quoque ad se applicat nomen illud „Fili hominis“ (Dan. 7, 13). Ita multi veteres et recentes computant, quos enumerat *Knabenbauer*, Comment. in Dan. 9, 25 p. 251.

Alii autem negant Artaxerxem iam a. 474 regnasse et totam computationem reiciunt. Neque tamen est magna differentia quoad annum edicti. Dicunt enim ita: Artaxerxes regnare coepit a. 464<sup>1</sup>. Anno septimo regni eius, i. e. 458, factum est illud decretum, de quo Daniel loquitur (cf. 1 Esdr. 7, 11 sqq.). Secundum prophetiam mors Messiae accidet post hebdomadas  $69\frac{1}{2}$ , i. e. post annos  $486\frac{1}{2}$  ab illo edicto, seu anno 29 vel 30 nostrae aerae, quo tempore omnibus fere consentientibus revera Christus mortuus est. Si edictum factum est tempore autumnali anni 458, mors Messiae incidet in tempus vernali a. 30 nostrae aerae, id quod congruit cum sententia communissime recepta. Ita *I. Hontheim* in „Der Katholik“ 1906 II 106 sq. 124 sqq. Cf. *Knabenbauer* l. c. 248 sqq.

*Schürer* (Geschichte des jüdischen Volkes III 189) prophetiam Danielis refert ad tempora Machabaeorum. Hanc sententiam exscribit *K. Marti* (Das Buch Daniel, Tübingen 1901), quem ducem sequitur *Lagrange* (Revue biblique 1904, 494 sqq., maxime 509 sqq.). Sed *Hontheim* (l. c. 260 sqq.) ostendit hanc opinionem omni solido fundamento carere et reiciendam esse. Ipsi illi auctores concedunt, in suppositione sua Danielis computationem esse falsam et errorem 70 annorum continere. Cur igitur non sequi expositionem multo magis obviam et communem, secundum quam nullus talis error admittendus est?

**240.** Cum iudaei ex exsilio rediissent et templum iterum aedificassent, multi eorum tristes erant, quia templum secundum valde deficiebat a gloria prioris templi; quare *Aggaeus* propheta consolatus est eos, praedicens fore, ut gloria huius secundi templi multo maior esset quam prioris, cum hoc secundum templum ingressurus esset Messias tam diu promissus. „Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam.

<sup>1</sup> Cf. *Fr. X. Kugler*, Von Moses bis Paulus (Münster i. W. 1922) 202 222 sq.

Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus [*hebr.*: et veniet desiderata seu pretiosa omnium gentium], et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae, plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum“ (2, 7 sqq.).

Illa universalis commotio tempore Messiae futura etiam ab aliis prophetis praedicta est (cf. Is. 13, 3 sqq.; 65, 17; Dan. 2, 44; 7, 11; Ioel 2, 30; 3, 1 15). Quae quidem commotio partim pertinet ad initium regni messianici, partim ad eius finem (Hebr. 12, 26). „Desideratus cunctis gentibus“ in textu latino directe significat Messiam. Textus graecus habet: ἦξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν (die Auslese aller Völker), quod concordat cum iis, quae Isaias praedixit (60, 3 sqq.). Secundum textum hebraicum gentes cum omnibus suis thesauris venient et se offerent Domino, et omnes invenient pacem in loco isto, quia ibi apparebit, qui est ipse pax (cf. Mich. 5, 5; Ps. 71; Is. 9, 6 etc.).

**241.** Ad secundum templum venturum esse Messiam *Malachias* quoque vaticinatus est: „Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum“ (3, 1). Dominator, quem quaerunt iudaei, est dux ille et rex David promissus et toties a prophetis praedictus (Is. 9, 6; 11, 1 sqq. Ier. 23, 5. Ez. 21, 27. Dan. 9, 25 etc.); angelus, quem volunt, est „angelus foederis“, i. e. legatus, quem Deus mittet ad constituendum novum foedus cum populo (Is. 42, 6. Ier. 31, 31. Os. 2, 19). Ante hunc „angelum foederis“ alius legatus divinus praeibit ad parandas vias eius; tum ipse Messias ad templum veniet.

Ergo stante secundo templo Messias venturus dicitur; et mox post adventum eius templum in aeternum destruetur et erit abominatio desolationis usque in finem.

**242.** Locum, quo magnus hic dominator nasceretur, indicavit *Michaeas*: „Et tu *Bethlehem* Ephrata [cf. Gen. 35, 19. Alia est Bethlehem urbs tribus Zabulon. Ios. 19, 15 16] parvulus es in milibus [chiliarchiis] Iuda (unter den Städten mit 1000 waffenfähigen Männern); ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Propter hoc [Deus] dabit eos [iudaeos in afflictionem] usque ad tempus, in quo parturiens pariet; et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel, et stabit et pascet in fortitudine Domini . . .“ (Mich. 5, 2 sqq.). Aperte sermo est de Messia, cuius egressus est ab initio, a diebus aeternitatis, i. e. qui est ab aeterno et suo tempore veniet ad colligendos omnes populos in regnum suum, regnum pacis, a quo omnia mala aberunt. Hic igitur rex aeternus nasceretur in Bethlehem, urbe tribus Iuda (Matth. 2, 6. Io. 7, 42).



Quater in prophetiis sermo est de matre Christi: Gen. 3, 15; Is. 7, 14; Ier. 31, 22 et hoc loco. Sed hi textus explicantur in tractatu de Deo elevante (III, n. 302 sqq.) et de Verbo incarnato (IV, n. 599 sqq.).

De vaticiniis messianicis cf. opera Doctoris *Reinke*, Beiträge zur Erklärung des A. T.: Die Weissagungen Jakobs; Die Messian. Psalmen: Messian. Weissagungen etc., Münster 1838 sqq., Gießen 1859 sqq.; *Bade*, Die Christologie des A. T., Münster 1850 sqq.; *Knabenbauer*, Comment. in prophetas, Parisiis 1887 sqq.; *J. Döllner*, Die Messias-erwartung im Alten Testament, Münster 1911.

**243. Conclusio.** Itaque apparet, quomodo promissio et expectatio futuri Messiae et regni eius totam historiam populi israelitici pervadat, ab initio obscurior et paucis lineamentis adumbrata, paulatim vero magis magisque explicata, donec forma Messiae omni ex parte absoluta proponatur et fidelium iudaeorum animos ad sui desiderium vehementer inflammet. „Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra et germinet Salvatorem“ (Is. 45, 8). „Utinam dirumperes caelos et descenderes!“ (Is. 64, 1.) Haec erat mens omnium bonorum israelitarum, qui expectabant consolationem et redemptionem Israel (Luc. 2, 25-38).

**244.** Sed quaeris: Unde constat illa omnia vaticinia loqui de una eademque persona? Cum enim multis saeculis inter se distent et in variis libris inveniantur, nonne rationabiliter admittimus de aliis et aliis eventibus esse sermonem?

*Resp.* a) *Plurima ex vaticiniis talia sunt, ut non possint de diversis hominibus intellegi.* Ubi enim promittitur rex ex familia David procedens, cuius potestati subiciendi sint omnes populi, et cuius regnum mansurum sit in aeternum, ex natura rei unus tantum intellegi potest. Idem valet de aliis universalibus prophetiis, ut quod veniet, in quo benedicentur omnes gentes, qui satisfaciet pro peccatis omnium hominum, qui destruet regnum iniquitatis et fundabit regnum pacis aeternum.

b) *Prophetiae posteriores non raro vel diserte vel tacite respiciunt priora vaticinia,* ut quando David dicit in se impletam esse prophetiam tribui Iuda factam, quando prophetae dicunt Deum suscitaturum e stirpe David regem promissum. Generatim prophetiae tam naturali nexu inter se cohaerent, ut quaelibet e serie avulsa rationabilem fere sensum non iam admittat. Deus enim ab initio promittit omnibus hominibus restitutionem in integrum, dein haec universalis salus dicitur ventura ex stirpe Abraham, tribu Iuda, familia David: David vero accipit promissionem de rege aeterno e posteris suis prodituro, qui regnum salutis initiaturus sit. Posteriores prophetae universalitatem, splendorem, durationem huius regni describunt, viam ostendunt, qua praeparatur hoc regnum, indicant, quando et quomodo hoc regnum

instituatur. Potest fortasse de uno alterove vaticinio dubium esse, utrum sit messianicum necne, sed si ea tantum consideraverimus, quae nullum alium sensum admittunt, videbimus rem plane non mutari.

c) Nisi vaticinia, quae antea allegata sunt, unum eundemque Messiam respicerent, per accidens solum fieri potuissent, ut omnia in eum tam bene quadrarent et ita relate ad Christum *essent vaticinia fortuita.* Iam finge varios artifices fecisse independentem inter se partes statuariae, unum fecisse manum, secundum brachium, tertium pedem, quartum caput, ita porro: numquid ulla ratione probabile est fore, ut, si hae partes inter se coniungantur, statua fiat perfecte una et quasi ab uno artifice facta? Atqui ita res se haberet, si vaticinia per accidens tantum in Christo verificarentur, et illa disiecta membra inter se unita repraesentarent hominem, cui Christus ad amussim responderet. Ergo haec suppositio admitti nequit.

Unus eventus fortuito praedictus potest per accidens verificari in aliquo determinato homine: hoc fieri de duobus eventibus determinatis fortuito praedictis multo minus est probabile. *Quo vero magis augentur praedictiones fortuitae, eo magis improbabile fit eas eventu comprobatum iri;* neque adeo multae requiruntur, ut a priori moraliter certum sit rem non esse eventuram. Cogita e. g. populum aliquem subactum esse ab inimicis. Praedicit aliquis mere fortuito vel coniecturaliter: Populus hic post multa saecula liberabitur. Praedicit secundus: Liberator veniet ex hac familia. Tertius: Nascetur in hac urbe. Quartus: Veniet isto determinato tempore. Supponamus ita viginti eventus fortuito praedicti, et probabilitatem contra quemlibet eventum in se esse 10 contra 1: iam in duobus eventibus simul sumptis erit 100 contra 1, in tribus 1000 contra 1, in viginti 100 000 000 000 000 000 000 contra 1: i. e. probabilitas est nulla. Cum igitur de Iesu Christo plus quam viginti determinata facta praedicta et impleta sint, repugnat praedictionem fuisse fortuitam: ergo erant vera vaticinia, et consequenter Christus a Deo legatus divinus praedictus est. Restat solum, ut ostendamus illa vaticinia in Christo impleta esse.

#### Prop. XXI. Vaticinia Messianica Veteris Testamenti in Christo impleta sunt.

**245.** Ut melius appareat, quot determinatae res de Iesu Christo praedictae et impletae sint, singula per ordinem enumerabimus:

1. Iesus Christus est semen patriarcharum populi israelitici (Matth. 1, 1. Luc. 3, 34), ex tribu Iuda (Matth. 1, 3. Luc. 3, 33. Hebr. 7, 14), ex familia David (Matth. 1, 1. Luc. 1, 32; 2, 4; 3, 31. Rom. 1, 3. Act. 13, 23). Hoc iudaei agnoscebant (Matth. 20, 30-31; 21, 9. Luc. 18, 38), neque umquam inimici eius negarunt.

2. Venit Iesus, quando de israelitis reliquiae tantum prioris potestatis (tres tribus ex duodecim) supererant, et quando domus David totam gloriam suam amiserat.

3. Venit Iesus tempore a Daniele praedicto, quando templum secundum etiamtum stabat, et brevi antequam destructum est.
4. Ante Christum praecessit Ioannes, legatus Dei, ad praeparandas vias eius (Luc. 1, 76; 3, 1 sqq.).
5. Natus est Iesus in Bethlehem Iuda (Matth. 2, 1. Luc. 2, 4).
6. Docuit Iesus praecipue in Galilaea (Matth. 4, 15), ut praedixit Isaias propheta (9, 1 2).
7. In conversando cum peccatoribus et inimicis maximam semper benignitatem et mansuetudinem ostendit (Is. 42, 1 sqq.).
8. Ingreditur urbem Ierusalem eo modo, quo Zacharias praedixit (Zach. 9, 9 10. Matth. 21, 1 sqq.).
9. Triginta argenteis a Iuda venditus, pecunia in templum proiecta eaque ager figuli emptus est (Zach. 11, 12. Matth. 26, 15; 27, 3 sqq.).
10. Cum sceleratis reputatus est (Is. 53, 12. Marc. 15, 28. Luc. 22, 37).
11. Iudicis sententia capitis damnatus est petente populo, qui eum negabat (Is. 53, 8 sqq. Dan. 9, 26).
12. Hoc accidit annis tribus et dimidio postquam Christus in medium prodiiit (Dan. 9, 27).
13. Flagellatus, alapis caesus, consputus est (Is. 50, 6).
14. Foderunt manus eius et pedes eius. Haec verba leguntur in psalmo 21, qui tam exacte describit passiones Christi, ut statim appareat eum esse messianicum; Christus ipse eum ad se applicavit (Matth. 27, 46).
15. „Ego sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum“ (Ps. 21, 7 sqq. Matth. 27, 39 43. Marc. 15, 29).
16. „Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem“ (Ps. 21, 19. Matth. 27, 35. Io. 19, 23 24).
17. „Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis“ (Ps. 21, 16). „Et in siti mea potaverunt me aceto“ (Ps. 68, 22. Matth. 27, 48. Io. 19, 28 29).
18. „Aspicient ad me, quem confixerunt“ (Zach. 12, 10). „Unus militum lancea latus eius aperuit“ (Io. 19, 34 37).
19. Destinaverant ei sepulchrum cum malefactoribus, sed sepultus est in sepulchro divitis (Is. 53, 9. Matth. 27, 57 sqq.).
20. Non derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem, sed gloriosus resurrexit (Ps. 15, 10. Act. 2, 24 sqq.).
21. Christus regnum universale instituit, quod conspicuum est toti mundo, et ad quod omnes gentes confluunt.
22. Ab ortu solis usque ad occasum est magnum nomen Domini, et sacrificatur ei omni loco.
23. Vetus Foedus solutum est, defecit hostia et sacrificium: civitatem et sanctuarium dissipaverunt romani, et in loco sancto vastitas

est et desolatio. Populus israeliticus recessit a Deo, et non iam est eius, donec in fine mundi convertatur.

24. Magna regna antiquorum temporum interierunt, et solum regnum Christi immobile stat inter omnes mutationes temporum.

246. *Itaque patet, quomodo omnia illa vaticinia in uno Christo ad amussim impleta sint, et quomodo in vanum laborent rationalistae, qui student varia vaticinia ad alios et alios eventus referre. Neque enim hoc sine vi fieri potest, ut cum dicunt servum illum Dei, qui doloribus et morte sua satisfactorius sit pro peccatis totius mundi, esse populum iudaicum, et similia; neque hac ratione explicatur, quomodo omnia vaticinia tam exacte in solum Christum quadrent, et quomodo israelitae propter illa vaticinia iam multo ante Christum expectaverint Messiam, qui esset unus determinatus homo. Rationalistae non alia ratione nituntur, nisi quod vaticinia proprie dicta a priori repugnent, et ad hanc arbitrariam normam omnia facta historica detorquent.*

Qui vero talibus praeiudiciis praeoccupati non sunt, fateri debent: „Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum“ (Io. 6, 14).

#### 247. *Schol.* De modo loquendi prophetico.

Notandum est *prophetas saepe totam historiam regni messianici sub una quasi imagine proponere, licet agatur de rebus tempore valde distantibus; e. g. cum adventu Messiae statim ultimum iudicium et finalem gloriam regni eius describunt (cf. Is. 66, 10 sqq.; Ioel 3, 14 sqq. etc.). Itaque non omnia, quae simul praedicta erant, simul quoque implenda erant, sed paulatim ita fient, ut tum demum, cum gloriosum Christi regnum in caelis perfecte constitutum fuerit, omnia vaticinia plenum effectum habitura sint. De his et aliis proprietatibus dictionis prophetae cf. Knabenbauer, Erklärung des Propheten Isaias 9 sqq., et Cornely, Introd. II 2, 288 sqq.*

#### ART. IV.

#### DE MIRABILI PROPAGATIONE DOCTRINAE CHRISTI.

**Prop. XXII.** Mirabilis modus, quo doctrina Christi propagata est, divinitatem huius doctrinae comprobat.

248. Doctrina Iesu Christi per talia media et cum tali effectu propagata est, ut inter effectum et media considerata ut pure humana nulla sit proportio, ideoque res explicari nequeat nisi per miraculosum interventum Dei. *Si vero Deus miraculoso modo Christi opus adiuvit, novum argumentum est hoc opus esse vere divinum.* Hac ratione iam arguit S. Augustinus: „Ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores

Christus cum retibus fidei ad mare huius saeculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit. . . . Si vero per apostolos Christi, ut iis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit\* (De civ. Dei 22, 5; M 41, 755).

Sicut autem religio Christi mirabili modo orta et propagata, ita aequae mirabili modo usque ad nostra tempora conservata est, ut sit ipsa miraculum, quod characteres divinae originis prae se fert et sola sua existendi ratione sufficiens motivum credendi praebet, ut idem *Augustinus* ait: „Me attendite, vobis dicit ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in iudaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta eius et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspiciate, in haec intendite, haec, quae cernitis, cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenuntiantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum?“ (De fide rerum, quae non videntur 4, 7; M 40, 176.) Haec mirabilis sors religionis christianae sine dubio nunc est unum e praecipuis motivis credibilitatis (cf. *Conc. vatic.* sess. 3, c. 3; *Denz.* n. 1794). Ut autem haec res melius intellegatur, consideranda sunt haec.

249. *Pars I. Effectus doctrinae Christi fuit singulariter grandis*, quia per eam celerrime permulti homines e vitiorum caeno et superbia saecularis sapientiae ad humilem, pauperem, castam vitam conversi sunt, quae naturalibus instinctibus quam maxime opposita est. Saepe gentiles opponebant christianis eos esse miseram sectam ante breve tempus ortam. Ad hanc obiectionem, quam etiam *Celsus* movit, respondet *Origenes*: „Ad id, quod dicit illum [Christum] ante paucos annos exortum esse, sic respondeo: An Iesus suam disseminare doctrinam volens, sine Deo potuit paucis his annis tantum perficere, ut in multis huiusce nostri orbis locis multos graecos et barbaros, multos sapientes et ignaros ad suam doctrinam alliceret et ita persuaderet, ut, quod de alia religione numquam auditum est, ad mortem certare pro christianismo quam illum eiurare mallent? . . . Quodsi quis haec prudenter recogitans concesserit nihil boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id de Iesu affirmabit, cum eorum, qui Christi doctrinae adhaeserint, pristinos cum novis mores comparabit animadvertetque, quantis spurcitiis, quantis iniustitiis, quantis cupiditatibus dediti fuerint, antequam, ut *Celsus* sui que similes loquuntur, decepti hancque amplexi essent doctrinam, quae illorum iudicio est humanae

vitae pernicies; quanto autem, ex quo illi doctrinae se dociles praebuere, aequiores, gratiores constantioresque sint redditi, ut eorum quidam cum eximiae puritatis amore, tum, ut castius ad divinum cultum accedant, venereis voluptatibus, etiam lege permissis, abstineant. Haec qui secum reputaverit, is Iesum et maiora humanis viribus ausum esse et, quae ausus est, perfecisse intelleget. Nam vel ab initio nemo non impedire conatus est, quominus Iesu doctrina per totum orbem spargeretur, reges cuiusque aetatis, exercituum praefecti et duces, quicumque, ut verbo dicam, aliqua potestate praediti fuerunt, praeterea qui in urbibus auctoritate pollebant, milites, populi. Hos omnes vicit, quippe quae doctrina Dei erat et natura huiusmodi, quae nec impediri posset et adversarios omnes superaret. Graeciam omnem, maiorem barbararum gentium partem subegit innumerasque animas ad Dei cultum, quem docebat, adscivit“ (Contra Cels. 1, 26 27; M 11, 710 sq.).

Magnam et celerem propagationem religionis christianae testantur iam libri Novi Testamenti, e. g. Act. 2, 41; 4, 4; 5, 14; 11, 26; 13, 49; 14, 20 sqq. et multis aliis locis (Rom. 1, 8. Col. 1, 6 23. 1 Thess. 1, 8. 1 Tim. 3, 16. 1 Petri 1, 1) et generatim epistulae apostolorum ad christianos tot variarum regionum missae. Idem testantur e primo saeculo non christiani tantum sed etiam gentiles scriptores, ut *Tacitus* et *Plinius* (supra n. 139 sq.).

Saeculo secundo *S. Iustinus M.* haec *Tryphoni* proponit: „Nullum omnino genus est sive graecorum sive barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel hamaxobiorum [scytharum], qui in plaustriis degunt, vel nomadum, qui domibus carent, vel scenitarum (ἐν σκηναῖς οἰκούντων), qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, eiusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones (εὐχαριστίαι) Patri et Creatori universorum fiant“ (Dial. n. 117; M 6, 747 sq.).

*S. Irenaeus*: „Ecclesia, per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum. . . . Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae, quae in Hiberis (Ἰβερίας) sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire“ (Adv. haer. 1, 10, 1 2; M 7, 550 sqq.).

Haec sint exempli causa allegata; nam multa alia similia dicta exstant; et quamquam interdum aliquid locutioni rhetoricae tribuendum est, non potuerunt tamen scriptores tam confidenter loqui, maxime ad adversarios refutandos, nisi factum magnae propagationis religionis

christianae omnibus notum fuisset. Initio saeculi quarti circiter 1500 sedes episcopales in mundo erant. Plura de hac re docet historia ecclesiastica.

**250.** His suppositis tria consideranda sunt: a) Doctrina Christi erat sublimissima, naturae contraria, ethnicorum principiis e diametro opposita, quae iudaeis esset scandalum et gentibus stultitia (1 Cor. 1, 23). b) Propagatio doctrinae facta est celerrime, ut *Tertullianus* ait: „Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa“ (Apol. c. 37; *M* 1, 462 sq.; cf. *Ad Nationes* 1, 8; *Ad Scapulam* 2 5; *Adversus Iudaeos* 7; *M* 1, 570 sq. 700 sq.; 2, 610 sq.). Quamquam autem plurimi erant de communi plebe, magnus tamen erat inter eos numerus hominum cultiorum. De qua re *Arnobius*: „Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi . . . quod tam magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti iuris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant?“ (*Adv. gent.* 2, 5; *M* 5, 816.) Exemplo sint *Sosthenes*, *Apollo*, *Crispus* (1 Cor. 1, 1. Act. 18, 8 24), *Sergius Paulus* proconsul, *Dionysius Areopagita* (Act. 13, 12; 17, 34), *Flavius Clemens* et *Domitilla* (Phil. 4, 3 22), *Iustinus*, *Athenagoras* etc. c) Tanta efficacia homines imbuti sunt doctrina christiana, ut ad normam eius totam vitam instituerent et parati essent ad mortem pro ea subeundam (cf. supra n. 139 sq.; *S. Thom.*, *Contra gent.* l. 1, c. 6; *Ottiger*, *Theol. fund.* I 850 sqq.).

Cum igitur, ut experientia testatur, res difficillima sit unum hominem convertere ad sententiam, a qua abhorret, vere singularis et grandis effectus erat tot homines omnis condicionis ad tam difficilem doctrinam tanta constantia amplectendam tam brevi tempore convertere.

**251.** Media, quibus haec res efficiebatur, erant plane improportionata, si humano modo considerantur. Auctor huius doctrinae erat iudaeus: iudaei autem romanis erant „despectissima pars servientium“, „taeterrima gens“ (*Tacitus*, *Hist.* 5, 8; cf. ib. c. 5), „gens contumelia numinum insignis“ (*Plinius*, *Hist. nat.* 13, 9), gens „foetentium iudaeorum et tumultuantium“ (*Ammian. Marcell.* 22, 5)<sup>1</sup>. Christus, morte turpissima affectus, hac doctrina proponebatur Deus colendus. Viri, qui primi hanc doctrinam praedicabant, erant inter ipsos iudaeos despecti, non docti homines sed pauperes piscatores. Non armorum vi, non auri corruptione, non propositis sensuum illecebris, non honoris expectatione nec generatim ullius terreni lucri promissione homines alliciebant, sed potius eos, qui his rebus tota mente inhaerebant, ad vitam novam,

<sup>1</sup> Iudicia veterum scriptorum romanorum de iudaeis collegit *Bludau* in „*Der Katholik*“ 1903 I 202 sqq.

pauperem, humilem, castam invitabant, idque non „in sublimitate sermonis aut sapientiae“ (1 Cor. 2, 1), sed „per stultitiam praedicationis“ (1 Cor. 1, 18 sqq.).

**252.** *Impedimenta erant maxima.* Doctrina enim Christi eo tendebat, ut subverteretur tota religio ethnica, quae religio cum vita publica et privata populorum gentilium artissime nexa erat. Nam quod a maioribus acceperant, quod semper tamquam sanctum coluerant, relinquere iuebantur. Qui christianus fiebat, non iam poterat interesse ludis, pompis, spectaculis publicis; a communi festivitate, a ritibus, qui adeo placebant inferiori homini, abstinere debebat. Praeterea idolorum cultus censebatur pars reipublicae et ab eius bono inseparabilis. Gloriam imperii deorum cultui imprimis acceptam referebant (cf. *Cicero*, *De nat. deor.* 3, 2). Quare philosophi omni studio conabantur despectam reddere religionem christianam. Ita *Celsus*, *Philostatus*, *Hierocles*, *Porphyrius* etc. Vocabant eam „exitiabilem superstitionem“ (*Tacitus*, *Ann.* 15, 44), „amentiam“ (*Plinius* l. 10, epist. 96 [al. 97] ad *Trai. imp.*), „furiosam opinionem“ (*Min. Felix*, *Octav.* 11; ed. *Halm* 15; *M* 3, 266), quae aliena esset a scientia, arte, ingenii cultura ideoque homine graeco vel romano indigna. Quantopere sacerdotum gentilium interfuerit impugnare religionem christianam, per se patet. Summi vero pontifices romanorum erant imperatores, qui et ipsi ut dii colebantur. Hi igitur non patienter ferebant sibi a christianis hanc auctoritatem et hunc honorem denegari, sed dirissimis persecutionibus per tria saecula religionem christianam extinguere conabantur. At exitus harum omnium persecutionum erat latior in dies divulgatio christiani nominis. Totum hoc argumentum eleganter tractat *S. Ioannes Chrysost.* homilia „Quod Christus sit Deus“ (*M* 48, 813 sqq.). Cf. *Fr. Segna*, *De ecclesiae Christi constitutione et regimine*, Romae 1900, c. 3 4, p. 61 sqq. Obiectiones vide apud *Muncumill*, *De vera religione* 359 sqq.

**253.** *Pars II.* In specie considerandum est *testimonium martyrum*. Ingens enim multitudo hominum omnis aetatis, generis, condicionis non dubitaverunt pro religione christiana omnia bona temporalia, immo vitam ipsam amittere, ut ait *S. Iustinus*, et ipse martyr: „Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, a confessione, ut manifestum est, non discedimus. Sed quanto magis magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt“ (*Dialog. cum Tryphone* n. 110; *M* 6, 730). Non subitanea excitatione commoti martyres mortem subierunt, non pro subiectiva opinione sed pro Iesu Christo eiusque doctrina; eadem principia, quae per vitam secuti erant, gloriosa morte coronabant. Illis temporibus tota vita christianorum erat quaedam continua mors, quia a societate gentilium exclusi christiani

perpetuis vexationibus obnoxii erant et cotidie ad patiendum et moriendum parati esse debebant. Hinc videmus eos non ad modum fanaticorum, sed pacatis animis nec sua fortitudine, sed Dei ope fretos ad pugnam procedere et saepe per multos annos in carceribus et metallis infracta semper patientia perseverare. Ad hoc autem non movebantur ulla spe lucri neque ulla inani gloria; nam quoties patiebantur in occulto, omnibus ignoti neque generatim ulla temporalis emolumentum exspectatione! Nihil igitur aliud eos movebat, ut ipsi fatentur, nisi firma persuasio divinitatis doctrinae christianae, quam tot miraculis physicis et moralibus probatam viderant.

Vetustissima et genuina „Acta martyrum“ sunt Martyrium Polycarpi (inter opera Patrum apostol.), Acta Carpi, Papyli et Agathonices (ultima ed. *Harnack* in *Texte und Untersuchungen* III 433 sqq.; *Kirch*, *Enchir.* n. 78 sqq.). Acta Iustini et (6) sociorum (*Migne*, P. G. 6, 1565 sqq.), Epistula ecclesiarum viennensis et lugdunensis (fragmenta tantum apud *Eusebium* ab initio libri 5 H. E.), Acta martyrum (12) scilitanorum (*Analect. Bolland.* VIII 5 sqq.; *Kirch*, *Enchir.* n. 71 sqq.), Acta S. Apollonii (*Texte und Untersuchungen* XV 91 sqq.), Acta Perpetuae et Felicitatis (et trium aliorum; *M*, P. L. 3, 13 sqq.)<sup>1</sup>, Acta S. Pionii (apud *Ruinart*). Cf. *Bardenheuer*, *Patrologie*, ed. 3, 200 sqq. Postea multa martyria conscripta sunt, partim fabulosa, partim genuina<sup>2</sup>. Ad haec ultima pertinet e. g. *Eusebii Caes.* liber „De martyribus Palaestinae“, seu ut titulus graecus habet: Περὶ τῶν κατ' αὐτὸν μαρτυρησάντων, i. e. de iis (84), qui Eusebii aetate martyrium subierunt (*M* 20, 1457 sqq.). Alia de persecutione Diocletiani narrat l. 8 H. E. (*M* 20, 739), alia commemorat variis locis H. E. Ut non genuinum a criticis reicitur e. g. martyrium Clementis Romani. Itaque fidem tum tantum variis relationibus habere licet, cum earum genuinitas sufficienter probata est. Posterioribus temporibus, quando sollemnis canonizatio instituta est, diligenter in factum et circumstantias martyriorum inquisierunt. Sed proxime hic loquimur de primis saeculis religionis christianae, ex parvis initiis tam splendide se expandentis et maximas difficultates tam gloriose superantis.

Quod ad numerum martyrum attinet, quidam exaggerantes statim loquuntur de decies centenis milibus martyrum; alii, in oppositum defectum incidentes, paucissimos martyres fuisse volunt. (Habetur de hac re dissertatio apud *Ruinart*, *Acta martyr.* praef. § 2 et § 3, n. 63.) Audiamus quaedam, quae *Eusebius* in libro octavo H. E. de sua aetate narrat. Dicit iam ante universalem persecutionem christianos saepe ob fidem vexatos esse, praecipue milites. „Ex quibus pauci admodum non modo dignitatem verum etiam vitam amittere pro defensione

<sup>1</sup> Novam editionem paravit *Franchi de' Cavalieri*, in *Römische Quartalschrift für christl. Altertumskunde*, Supplementheft V 103 sqq.

<sup>2</sup> Genuina Acta martyrum usque ad nostra tempora collegit et gallice edidit *H. Leclercq*, *Les Martyrs*, Paris 1892 sqq.

pietatis sustinuerunt, cum is, qui religioni nostrae struebat insidias, parce adhuc et raro sanguinem quorundam fundere auderet, deterritus, ut credibile est, multitudine fidelium, et universis simul bellum inferre formidans. Verum ubi apertius se ad bellum accinxit, dici non potest, quot et quantos christianos martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit“ (c. 4; *M* 20, 750). Narrato singulorum quorundam martyrio pergit: „Vix iam iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt martyrium. . . . Et quosdam quidem illorum in Palaestina claruisse, quosdam vero apud Tyrum urbem Phoenices. Quos quis est qui, cum videret, non admiratus sit innumerabiles ictus flagrorum et in iis perferendis constantiam illorum revera illustrium christianae fidei athletarum; et post verbera certamine cum bestiis humanum sanguinem lambere assuetis, atque in eo certamine incursus pardorum et ursorum immanium, aprorum etiam et taurorum, quos admoto igne et candenti ferro adversus illos incitabant; admirabilem denique fortissimorum martyrum in singulis bestiis sustinendis patientiam. Quae cum gererentur, nos ipsi praesentes aderamus. . . . Tandem denique post multiplices et horrendos bestiarum incursus cuncti gladio confossi sepulchri loco marinis gurgitibus commendati sunt“ (c. 6, 7; *M* 20, 755 sq.). „Sed et illos aegyptios, qui domi [i. e. in Aegypto] martyrium perpessi sunt, merito quis admiretur. Illic enim viri prope innumerabiles cum uxoribus et liberis pro servatoris nostri doctrina temporalem hanc vitam aspernati varia mortis genera sustinuerunt; alii quidem post ungulas ac fidiculas, post crudelissima verbera et varios, etiam dictu horrendos, cruciatus flammis absumpti; alii vero in mare demersi; alii carnificibus capita sua amputanda alacri animo praebuerunt. Nonnulli tormentis ipsis immortui; quidam fame consumpti; alii denique in crucem acti. Pars eo modo, quo malefici vulgo suffigi solent; pars atrocius capite deorsum verso clavis confixi et vivi eo usque servati, quoad in ipsis patibulis fame interiissent“ (c. 8; *M* 20, 758 sq.). „Verum omnem dicendi copiam superant cruciatus illi ac dolores, quos apud Thebaidem martyres pertulerunt, acutis testis vice unguarum adhibitis toto corpore ad mortem usque lacerati. Mulieres vero, altero pede religatae sublimes, capite deorsum vergente, machinis quibusdam in altum sublatae, nudisque ac prorsus intectis corporibus, foedissimum simul atque inhumanissimum spectaculum cunctis intuentibus praebuerunt. Alii rursus ad ramos et arbores alligati interiire. Nam cum robustissimos ramos inflexos machinamentis quibusdam in unum coire fecissent, martyrum cruribus utrimque ad eos religatis, ramos in proprium ac naturalem situm reverti sinebant, ut membra eorum, adversus quos haec excogitaverant, uno simul impetu discerperentur. Atque haec omnia non paucis diebus nec exiguo temporis spatio sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt; cum nunc deni, interdum viceni et amplius, nonnumquam ad triginta usque et sexaginta, quandoque et centeni

viri simul ac mulieres uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti. Nos quoque cum in illis partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus, adeo ut gladii ipsi hebetatos, ipsique carnifices, viribus fatiscientes, sibi invicem succederent" (c. 9; *M* 20, 759). Exponit ibidem, quanta fortitudine et constantia christiani martyrium subierint. Laudat inter alios Phileam, Thmues episcopum, ex cuius epistula varia excerpta, quae ipsius narrationem corroborant (c. 10; *M* 20, 763). Narrat combustionem integrae urbis in Phrygia „cum viris et mulieribus et parvulis, Christum omnium Deum invocantibus" (ib. c. 11).

Haec expositio, quae ad unam persecutionem refertur, satis ostendit plurimos christianos pro fide maximas poenas tolerasse et mortem subiisse. Sed Eusebius in *Historia* multa narrat similia de aliis praecedentibus persecutionibus. Secundum *Tacitum* sub Nerone „multitudo ingens" christianorum periit, quibus „pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur" (*Annal.* 15, 44; cf. *Suetonius*, Nero 16). De qua persecutione *Sulpicius Severus* scribit: „Paulus [apostolus] Romam deductus est Nerone imperante, qui, non dicam regum sed omnium hominum et vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus existit, qui persecutionem in christianos primus inciperet. . . . Hic primus christianum nomen tollere aggressus est: quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes adspiciuntur" (*Chronic.* 2, 28; *M* 20, 144 sq.). *Sulpicius* usque ad Constantinum novem persecutiones romanorum imperatorum numerat, de quarum ultima ait: „Qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est" (ib. c. 32; *M* 20, 147). Iam multo ante *Tertullianus* gentiles sic alloquitur: „Consulte commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc sectam [christianam], cum maxime Romae orientem, caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intellegere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum. Tentaverat et Domitianus, portio Neronis, de crudelitate", sed mox destitit (*Apologeticus* 5; *M* 1, 292 sq.). Nihilominus populi odium in christianos erat concitatum. „Adversus sanguinem innocentium conclamant, praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in causa. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit [non pluit], si terra movit, si fames, si lues, statim: Christianos ad leonem!" (ib. 40; *M* 1, 479 sq.) De persecutionibus Neronis et Domitiani loquitur etiam *Melito Sard.* apud Euseb. (*H. E.* 1. 4, c. 26; *M* 20, 395).

*Origenes* quidem scribit paucos fuisse martyres usque ad suam aetatem: sed attendendum est, quo sensu hoc dicat. Contra *Celsum*

ostendit christianos non esse seditiosos homines, immo eos non pugnare armis contra hostes suos, sed a Deo protegi, ne pereat religio christiana. „Id a Deo consecuti sunt, qui semper pugnavit pro illis et opportunis temporibus compescuit eos, qui in christianos insurgerent et eos interficere in animo haberent. Nam recordationis gratia (ut paucis pro religione agonizantibus videntes firmiores fierent mortemque spernerent) pauci per intervalla temporum et facile numerabiles pro christiana religione mortem obierunt. Sed eorum gentem prorsus exstingui numquam permisit Deus; immo consistere voluit et universam terram saluari illa et piissima doctrina repleti" (*Contra Celsum* 3, 8; *M* 11, 930). *Origenes* haec scripsit temporibus Philippi Arabis imperatoris, qui non erat christianis infestus, et quocum *Origenes* epistularum commercium habuit<sup>1</sup>. Sensus igitur illorum verborum est: In comparatione magni numeri christianorum, qui supervixerunt, pauci morte affecti sunt. Fuisse autem mentem romanorum prorsus delere christianum nomen, *Origenes* in eodem libro testatur: „Ad christianos quod spectat, senatum romanum, imperatores diversis temporibus, milites, populos, ipsos eorum, qui credebant, parentes, in eorum doctrinam conspirasse, ut tot undique hostium insidiis circumvallata, haud dubie oppressa fuisset, nisi divina virtute sustentata, non modo evasisset atque emersisset, sed etiam universum orbem vicisset, vel in se coniuratum" (ib. 1, 3; *M* 11, 662). Et alio loco: „Convenerunt reges terrae, senatus populusque et principes romani, ut expugnarent nomen Iesu et Israel simul. Decreverunt enim legibus suis, ut non sint christiani. Omnis civitas, omnis ordo christianorum nomen impugnat" (*In Ios. hom.* 9, 10; *M* 12, 879).

*S. Irenaeus* ait: „Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum, dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem" (*Adv. haer.* 4, 33, 9; *M* 7, 1078). Idem testantur alii, ut *Athenagoras* (*Legat. n.* 34), *Cyprianus* in libro de mortalitate, *Lactantius* vel alius De mortibus persecutorum. *Clemens Rom.* loquitur de martyrio apostolorum Petri et Pauli, et de „magna electorum multitudine", qui „suppliciis multis et tormentis" aggregati sunt apostolis (6, 1). Immo iam in prima Petri epistula (4, 12 sqq.) sermo est de iis, qui gravissimis persecutionibus premuntur, quia christiani sunt; et in *Apocalypsi* *S. Ioannes* videt „animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium (μαρτυρίαν), quod habebant" (6, 9), „animas decollatorum propter testimonium (τὴν μαρτυρίαν) Iesu et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam" (20, 4; cf. 17, 6). Unus ex illis martyribus fuit Antipas, qui Pergami ut testis fidelis (ὁ μάρτυς μου ὁ πιστός μου) occisus est (2, 13). Hinc nomen martyrii derivatum est. Omnes quidem dici possunt martyres, qui testimonium reddunt evangelio Christi (*Luc.* 24, 48. *Act.* 1, 8); paulatim autem

<sup>1</sup> Cf. *Eusebius*, *H. E.* 6, 36; *M* 20, 598.

haec appellatio (apud Latinos) reservata est iis, qui pro confessione fidei sanguinem fuderunt, quorum primus fuit S. Stephanus (τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου. Act. 22, 20)<sup>1</sup>.

254. *Potest martyrium imprimis considerari ut testimonium humanum, quatenus statim ab exordio religionis christianae adest continua series testium, qui indubitanter testantur existentiam illorum supernaturalium factorum, quibus nititur christiana religio, et ob quae ipsi martyres tam firmiter crediderunt (cf. 1 Cor. 15, 12 sqq.).*

Sed *martyrium est etiam testimonium divinum, quatenus solus Deus speciali adiutorio ad tam heroicam confessionem confortare potuit. Quamvis enim fanaticus, superbia, pertinacia unum alterumve hominem interdum impellere possint ad tormenta fortiter subeunda, nullum tamen principium naturale assignari potest, quod sufficiens sit ad tot homines omnis condicionis impellendos ad gravissima patienda cum tanta constantia, quiete, fortitudine. „Latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre non queunt: exclamant et gemitus edunt: vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de viris taceam, pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest. . . . Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si velint, sed voluntate, quia confidunt Deo“ (Lactantius, Inst. 5, 13; ed. Vind. 441; M 6, 592). Iam vero Deus, si mirabili modo iuvit martyres, doctrinam, quam testabantur, veram esse et ipse testatus est. Saepe etiam Deus apertis miraculis adfuit martyribus. Filius martyris et ipse dira pro fide peressus, Origenes, de hac re ait: „In omni orbe terrarum, in omni Graecia atque universis exteris nationibus innumeri sunt et immensi, qui relictis patriis legibus et his, quos putabant deos, ad observantiam Moysis legis et discipulatum se Christi cultumque tradiderunt, et hoc non sine ingenti odio adversum se commoto eorum, qui simulacra venerantur, ita ut ab his frequenter et cruciatibus affligantur, nonnumquam etiam agantur in mortem; amplectuntur tamen et cum omni affectu custodiunt doctrinae Christi sermonem. Et est videre, quomodo brevi tempore ipsa religio crevit, poenis cultorum mortibusque proficiens, sed et bonorum direptionibus atque ab his omni genere suppliciorum tolerato. . . . Ex quo dubium non est hoc humanis viribus aut opibus non agi, ut cum omni credulitate et potestate sermo Christi Iesu apud omnium mentes atque animos convalescat. Nam et prae-*

<sup>1</sup> De conceptu et condicionibus martyrii agitur in tomo VI. n. 424 sqq. et in tomo IX. n. 62 sqq. De historicis quaestionibus huc pertinentibus agunt Paul Allard, Histoire des persécutions, tomi 5 (Paris 1885 sqq.); Id., Le christianisme et l'empire romain<sup>4</sup> (Paris 1898; cf. Revue des Questions historiques, Jul. 1905, 235 sqq.). C. Calvecart in Revue d'histoire ecclésiastique 1901–1902. Der Katholik 1879 I 55 sqq. C. Kneller in Stimmen aus Maria-Laach XXXII (1887) et LV (1898).

dicta esse ab eo haec ipsa et divinis ab eo responsis confirmata manifestum est“ (De principiis 4, 1 2; M 11, 343 sq.). Similia habet Hippolytus (Comm. in Dan. 31; ed. Bonwetsch 80).

Potest igitur tertio considerari *martyrium ut impletio vaticinii Christi*, qui et persecutiones et constantiam martyrum praedixit (Matth. 10, 16 sqq. Luc. 21, 15 sqq. Io. 15, 18; 16, 2 33).

Quae cum ita sint, martyrium tam evidens est indicium divinitatis religionis christianae, ut hac sola ratione convicti plurimi gentiles hanc religionem amplexi sint, ut saepe testantur acta martyrum. „Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum“ (Tertullianus, Apol. c. 50; M 1, 435). Cf. Ottiger, Theol. fund. I 877 sqq.

255. *Neque vero ab initio tantum religionis christianae, sed etiam per subsequentia saecula apparent eadem mirabilia facta. Numquam enim deerant martyres, numquam miracula aliaque signa specialis illius protectionis divinae, quam Christus usque ad finem mundi promisit (Matth. 16, 18; 28, 20). Sine dubio in historia religionis christianae multa cernuntur vitia humana; sed haec sunt novum argumentum divinitatis eius. Nam si opus humanum esset, haec religio diu periisset, non ex sola persecutorum rabie sed multo magis ex malitia multorum asseclorum suorum. Cum vero neque externa neque interna pericula eam potuerint pessumdare, sed hodieum firmissima stet, signum est eam non esse opus humanum sed divinum.*

De quibusdam obiectionibus cf. S. Thom., Contra gent. l. 1, c. 6; Hurter, Compend. I, n. 91; Balmes, Briefe an einen Zweifler, Regensburg 1852, 99 sqq.

## ART. V.

## DE CRITERIIS INTERNIS DOCTRINAE CHRISTI.

**Prop. XXIII.** *Interna quoque criteria divinitatem doctrinae Christi suadent.*

256. *Cum criteria interna nihil aliud sint nisi eae proprietates doctrinae, quae eam divinitus revelatam esse suadeant, potest duplex genus argumentandi ex criteriis internis distingui.*

Primo *negative nihil debet esse in doctrina, quod Deo indignum sit, ergo nihil falsum, pravum, nihil, quod pugnet cum veritatibus aliunde certis vel cum bonis moribus. Deus enim, qui est auctor utriusque luminis, rationis et revelationis, non potest secum pugnare. Ergo si quid evidenter falsum vel inhonestum in doctrina continetur, certum est hanc doctrinam non esse a Deo revelatam. Aliud tamen est contra rationem esse, aliud supra rationem esse. Itaque quod doctrina mysteria continet, non est argumentum falsitatis eius. Immo est indicium aliquod divinitatis; nam a priori probabile est Deum non ea tantum revelaturum esse homini, quae homo etiam per se satis facile inveniat. Neque verum est, quod rationalistae volunt, nullam doctrinam ad-*

mittendam esse, priusquam congruentiam eius cum recta ratione positive perspexerimus (cf. *Denzinger*, Vier Bücher von der relig. Erkenntnis II 291; *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit IV, n. 192). Si enim ex criteriis externis certo constat doctrinam esse divinitus revelatam, eo ipso constat illam esse veram. — Interna veritas vel dignitas doctrinae postea intellecta potest quidem suo modo hanc persuasionem confirmare; at necessarium esse tale praevidium examen, antequam doctrina admittatur, prorsus negandum est. Hac enim ratione non solum impediretur fides mysteriorum, quae positive intellegi nequeunt, sed etiam tota utilitas revelationis destrueretur, cum revelatio ideo necessaria sit, quia communiter homines non possunt sufficienter in internam veritatem inquirere neque ab aliis hominibus efficaciter doceri; ergo requiritur revelatio, quae tale praevidium examen non postulat. Praeterea fides tollitur eo ipso, quod homines nolunt quicquam admittere, nisi quod et quatenus ipsi intellexerint. Itaque merito damnata est doctrina *Georgii Hermes* statuentis dubium positivum esse basim omnis inquisitionis theologicae, et rationem humanam, quatenus positive intellegat internam veritatem dogmatum, esse unicum medium assequendi cognitionem supernaturalium veritatum (*Denz.* n. 1618 sqq.). Ceterum doctrinas revelatas non pugnare cum ratione humana ostenditur per totum decursum theologiae dogmaticae. *S. Thomas* ad hoc ostendendum scripsit quattuor libros „De veritate catholicae fidei contra gentiles“ (cf. l. 1, c. 9 et *A. v. Schmid*, Apolog. als spek. Grundl. 176 sqq.).

257. Si doctrina, quae ut revelata proponitur, etiam *positive concordat cum ratione*, hoc quidem non statim probat hanc doctrinam esse revelatam, quia multa vera intellectus humanus per se invenire potest. Nihilominus potest doctrina esse tam excellens, ut ex condicionibus naturalibus origo eius explicari nequeat ideoque ad divinam revelationem recurrendum sit. Talis autem fuit doctrina Christi; nam tam alta dogmata, tam insignia praecepta moralia, tam efficacia motiva et media cum tanta certitudine, simplicitate, efficacia proponit, ut nulla doctrina umquam ab hominibus inventa possit cum ea aequiparari. Hoc patet, si comparatur theologia christiana cum theologia gentili, ethica christiana cum ethica gentili, vita bonorum christianorum cum vita etiam optimorum gentilium, familia christiana cum familia gentili, societas civilis christiana cum societate gentili. Itaque cum haec doctrina non solum infinite superet philosophiam gentilem, sed etiam plurima contineat prioribus hominum opinionibus plane contraria, nulla eius ratio sufficiens assignari potest nisi divina revelatio. Quamvis autem non facile sit hac via divinitatem religionis christiana cum certitudine demonstrare, multum tamen iuvat hoc argumentum ad mentes hominum disponendas, ut facilius divinam eius originem admittant.

258. Ad interna criteria potest illa quoque *interna experientia* revocari, qua is, qui doctrinam Christi theoretice et practice sequitur, in se sentiat optimos et mirabiles eius effectus, animi quietem, studium virtutis, taedium rerum mundanarum, desiderium rerum caelestium, imminutionem malarum passionum, augmentum humilitatis, castitatis, patientiae, caritatis, pacem, quae exsuperet omnem sensum. Si e contrario sine hac religione omnia tenebescunt et ad ima feruntur, passiones convalescunt, virtus desperatur: utique hoc indicium est non leve doctrinam illam habere Deum auctorem. Hac autem interna experientia doctrinam Christi probari permulti homines testati sunt, et unusquisque idem periculum facere potest, dummodo serio conetur vitam suam instituere ad normam huius doctrinae (cf. *Suarez*, De fide disp. 4, sect. 6, n. 4; *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit IV, n. 190 sqq.; *A. v. Schmid* l. c. 226 sqq.).

259. Nihilominus *longe a vero aberrant multi protestantes*, qui reiectis omnibus aliis criteriis solum „testimonium spiritus“ admittunt et ex solis animi motionibus divinitatem doctrinae christiana diiudicandam esse docent. Facile quidem intellegitur, cur protestantes ad hanc rem confugerint. Cum enim *Lutherus* eiusque discipuli declarassent rationem humanam peccato originali adeo corruptam esse, ut in quaestionibus religiosi non possit nisi errare (cf. *Möhler*, Symb., ed. 8, § 6, p. 66 sqq.), quid lutheranis remanebat ad stabiliendam divinitatem religionis christiana nisi recursus ad internam experientiam et sensum pietatis? Sed hoc criterium se solo non esse aptum nullo negotio efficitur. Nam homines, qui nondum sunt christiani, carent illa experientia, et nihilominus doctrinam Christi ut divinitus revelatam amplecti debent. Ergo requiritur aliud criterium. Praeterea christiani ipsi non omnes neque semper easdem habent experientias internas. Omnes autem semper debent dignoscere posse revelationem ut divinam; ergo illud criterium non sufficit. Cum illae internae motiones sint res satis ambigua, vaga, variabilis, mirum non est, quod illi, qui has motiones duces unicos sequuntur, inconstantes sunt et in diversas partes abeunt nec raro doctrinas prorsus oppositas hac ratione ut divinitus revelatas vendunt.

Itaque non tam incerto duci Deus homines commisit, sed revelationem obiectivis criteriis insignivit, quae omnibus hominibus sufficiant ad intellegendum doctrinam a Christo propositam divinitus revelatam ideoque credibilem et credendam esse.



## PARS SECUNDA. DE ECCLESIA CHRISTI.

260. Iesum Christum esse legatum divinum eiusque doctrinam omnibus hominibus necessario amplectendam esse hactenus probavimus. Quia vero Christus non permansit in terra, ut ipse per se omnes homines instrueret, oritur quaestio, ubi eius doctrina inveniatur. Potuit quidem Christus ad doctrinam suam conservandam et propagandam varias vias inire et e. g. ad modum veterum prophetarum ea, quae a Deo acceperat, scriptis consignare, sed maluit instituere vivum magisterium, quod doctrinam revelatam viva voce hominibus traderet. Hoc imprimis nobis demonstrandum est.

Tum inquirendum est in naturam et proprietates huius magisterii, et videndum, quomodo distingui possit ab aliis institutis humanis, ubi terrarum inveniatur, quomodo potestatem a Christo sibi traditam exercent. Ecce obiectum et partitionem huius tractatus de ecclesia Christi. Quod ad fontes attinet, notandum est nos praeter evangelia uti aliis scriptis Novi Testamenti, sed interim abstractione facta ab eorum apostolica origine, simpliciter ut vetustissimis documentis religionis christianae, quae simul cum scriptis primorum Patrum unicos fontes constituunt, ex quibus vel nos vel adversarii nostri notitiam illorum temporum haurire possumus. Ceterum genuinitas omnium librorum Sacrae Scripturae probatur in introductione in Sacram Scripturam.

### SECTIO I.

#### DE INSTITUTIONE ECCLESIAE.

Prop. XXIV. Christus instituit vivum magisterium apostolicum ad doctrinam suam conservandam et propagandam.

261. *Argumentum.* Christus elegit ex discipulis suis duodecim, quos apostolos, i. e. legatos, vocavit, quos misit ad praedicandum, et quibus dedit potestatem patrando miracula, ut hoc modo legationem suam divinam probarent. „Vocavit ad se, quos voluit ipse, et venerunt ad eum, et fecit, ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicare“ (Marc. 3, 13 14). „Factum est autem in illis diebus,

exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit“ (Luc. 6, 12 13). „Convocatis autem duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos“ (Luc. 9, 1 2). Nomen „apostoli“ legitur praeterea Matth. 10, 2; Marc. 6, 30; Luc. 9, 10; 11, 49; 17, 5; 22, 14; 24, 10; Io. 13, 16; in Actibus et Epistulis S. Pauli saepissime. De variis significationibus huius nominis cf. *Batiffol*, *L'Église naissante*, ed. 2, Paris 1909, 46 sqq.

262. Misit quidem Christus etiam alios discipulos missione temporaria et limitata „in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus“ (Luc. 10, 1), sed prae ceteris potestatem praedicandi duodecim apostolis commisit, hos secum retinebat (Marc. 3, 14. Luc. 8, 1) et ipse eos specialiter educabat (Matth. 10, 1 sqq.; 13, 10 sqq. 51 sq. Io. 6, 67 sqq.; 15, 15), his brevi ante mortem suam longas instructiones dedit de munere apostolico recte gerendo (Io. 13 sqq.). Post resurrectionem saepe undecim apostolis apparuit, locutus est iis de futuro eorum munere et officium praedicandi iis solis in perpetuum contulit, et hoc quidem vi potestatis, quam sibi datam esse dicebat in caelo et in terra.

„Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete (μαθητεύσατε) omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes (διδάσκοντες) eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis“ (Matth. 28, 18 sq. Marc. 16, 15). Voluit tamen, ut exspectarent, donec Spiritum Sanctum promissum (Io. 14, 26) recepissent (Luc. 24, 49 sqq. Act. 1, 4). „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae“ (Act. 1, 8).

263. Cum autem Iudas defecisset e numero apostolorum, hi invocato Spiritu Sancto sorte elegerunt in eius locum *Matthiam*, qui simul cum aliis accepit Spiritum Sanctum et „annumeratus est cum undecim apostolis“ (Act. 1, 26). Postea Christus Dominus etiam *Paulo* (Saulo) apparuit eumque apostolum constituit; „quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel“ (Act. 9, 15). Ipse Paulus testatur se a Iesu Christo accepisse munus apostolatus (Act. 22, 3 sqq. Gal. 1, 12), et ab aliis apostolus agnitus est (Gal. 2, 9. Act. 9, 27)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cum saepius eodem modo cum Paulo nominetur *Barnabas* (Act. 13, 2 sqq.; 14, 13; 15, 22), multi concluderunt eum esse apostolum eodem perfecto sensu, quo sunt illi duodecim et Paulus (cf. *O. Braunsberger*, *Der Apostel Barnabas*, Mainz 1876, 37 sqq.); alii vero hoc negant et titulum apostoli latiore tantum sensu ei attribui volunt (cf. *Hefele*, *Das Sendschreiben des Apostels Barnabas*, Tübingen 1840, 1). Ea, quae de Barnaba occurrunt in Sacra Scriptura (e. g. Act. 14, 11; 1 Cor. 9, 6; Gal. 2, 9),

264. *Apostoli munus annuntiandi doctrinam Christi (κήρυγμα) praecipuum munus suum semper putaverunt illudque strenue exercuerunt.* „Illi autem profecti praedicaverunt (ἐκήρυξαν) ubique“ (Marc. 16, 20). „Illi autem profecti praedicaverunt (ἐκήρυξαν) ubique“ (Act. 4, 20). „Non possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui“ (Act. 4, 20). „Omni die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Iesum“ (Act. 5, 42). „Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. . . . Nos orationi et ministerio verbi (διακονία τοῦ λόγου) instantes erimus“ (Act. 6, 2-4). „Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare“ (1 Cor. 1, 17). „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“ (1 Cor. 4, 1). „Si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit, vae enim mihi est, si non evangelizavero“ (1 Cor. 9, 16). Fides enim hominibus necessaria est ad salutem, praedicatio autem est via ordinaria, qua ad fidem perveniant. „Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante (χωρὶς κηρύσσοντος)? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?“ (Rom. 10, 14-15).

Itaque evidenter patet Christum instituisse vivum magisterium, cuius munus proprium esset conservare et propagare doctrinam per Christum revelatam. Erant autem apostoli legati, testes, praecones, doctores.

**Prop. XXV.** Magisterium a Christo institutum praerogativa infallibilitatis in tradenda Christi doctrina insignitum est.

265. *Argumentum.* Christus omnes homines obligavit sub poena aeternae damnationis ad doctrinam apostolorum fideliter recipiendam. „Qui [vobis praedicantibus] crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur“ (Marc. 16, 16). Atqui Christus non potuit sub poena aeternae damnationis obligare homines ad credendam doctrinam, quae fortasse esset falsa. Ergo hoc praeceptum necessario supponit magisterium apostolorum esse infallibile. Quare Christus dicit apostolorum doctrinam recipere idem esse ac Dei doctrinam recipere. „Qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit“ (Io. 13, 20. Matth. 10, 40. Luc. 10, 16). Apostoli docere et fideles admittere debent omnia, quaecumque Christus mandavit (Matth. 28, 20).

266. Ut apostoli huic muneri pares essent, Christus promisit iis perpetuam suam assistentiam. Postquam enim iussit eos docere omnia, addit: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“ (Matth. 28, 20). Mittit enim Christus homines

magis favent sententiae affirmativae; similiter alii veteres testes (qui quidem pauci sunt). Sed cum iidem fere, qui Barnabam apostolum esse volunt, ei epistolam, quae Barnabae dicitur, abiudicent, res haec non est magni momenti. Ceterum missio divina immediata, quae ad apostolatam stricte dictum requiritur, in Barnaba non desideratur.

indoctos et naturaliter incapaces ad docendas omnes gentes. Itaque cum evidens esset eos per se solos hoc mandatum exsequi non posse, promittit iis specialem suam assistentiam. Assistentia autem, quae datur ad doctrinam Christi integram tradendam, ea est, qua apostoli ab erroribus in hac doctrina tradenda immunes sint, quia inducere homines in errores certe non est tradere, quae Christus mandavit. Ergo per assistentiam Christi in munere suo exercendo immunes sunt ab errore. „In me loquitur Christus“ (2 Cor. 13, 3).

267. Ad eundem finem Christus apostolis promisit Spiritum Sanctum, i. e. supernaturale quoddam auxilium, quo illustrarentur ad omnem veritatem a Christo revelatam recte cognoscendam et tradendam. „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. . . . Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixerero vobis“, ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν (Io. 14, 16-17-26); ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν (Io. 16, 13). Hoc loco non inquirendum est in naturam et proprietates Spiritus Sancti, sed sufficit nobis statuere Christum promississe apostolis supernaturale donum, quo possent omnem veritatem revelatam intellegere eamque docere. „Ille [Spiritus Sanctus] testimonium perhibebit de me, et vos [ab eo instructi] testimonium perhibebitis“ (Io. 15, 26-27). Testimonium autem, quod reddunt apostoli virtute doni supernaturalis dati ad recte docendum, non potest esse mendax et falsum; Spiritus enim, quem recipiunt, est Spiritus Sanctus et Spiritus veritatis. Ergo apostolis promissa est infallibilitas in tradenda doctrina Christi. Quod Christus promisit, hoc praestitit die pentecostes, ut ex hac die apostoli essent quodammodo libri vivi doctrinam Christi ubique circumferentes (cf. S. Io. Chrysost., In Matth. hom. 1, n. 1; M 57, 13 sqq.). Paulus vero apostolus postea donum Spiritus Sancti accepit (Act. 13, 4). „Puto (δοκῶ), quod et ego Spiritum Dei habeam“ (1 Cor. 7, 40; cf. 2, 10 sqq.).

268. *Apostoli ut authentici testes et legati doctrinam Christi praedicabant et doctrinae suae absolutam fidem postulabant.* „Nos sumus testes horum verborum [quae Christus fecit et docuit] et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus oboedientibus sibi“ (Act. 5, 32; cf. 15, 28). Unde resistere doctrinae apostolorum est resistere ipsi Deo, ut Paulus ad Elymam ait: „O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas [quaerens avertere a fide]. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus“ (Act. 13, 10-11). Accipere doctrinam apostolorum est oboedire Deo (Act. 6, 7). „Paulus servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei. . . . Per quem [Christum] accepimus gratiam et apostolatam, ad oboediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius“ (Rom. 1, 1-5), i. e. ut fidei oboedientiam exigamus inter omnes

gentes per auctoritatem Iesu Christi. „Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in oboedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti“ (Rom. 15, 18 sq.). „Non secundum carnem militamus . . . in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam“ (2 Cor. 10, 3 5 sq.). „Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei [verbum, quod a Deo per nos audistis], accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis“ (1 Thess. 2, 13). Doctrina apostolorum est doctrina Iesu Christi ipsius „in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non oboediunt evangelio Domini nostri Iesu Christi“ (2 Thess. 1, 8). Quare „licet angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit“ (Gal. 1, 8).

269. *Confirmarunt apostoli doctrinam suam multis miraculis* (cf. Act. 2, 43; 3, 1 sqq.; 4, 29 sqq.; 5, 12 sqq.; 9, 32 sqq.; 19, 11 12 etc.). Cum igitur apostoli integrae doctrinae suae fidem postularent et Deus miraculis ostenderet hanc postulationem esse iustam, sequitur apostolos non potuisse errare in docendo, cum Deus errorem miraculis confirmare non possit.

270. *Videntur quidem in Sacra Scriptura legi nonnulla, quae cum infallibilitate apostolorum conciliari nequeant.*

a) Videntur apostoli credidisse secundum adventum Christi iam prope, immo proximum esse (Rom. 13, 11 12. 1 Thess. 4, 14 16 etc.). Sed notandum est apostolos de tempore futuri iudicii nullam revelationem a Christo accepisse ideoque bene scivisse tempus esse prorsus incertum, sed simul cum Christo monuerunt omnes debere semper esse paratos (Matth. 24, 36 sqq.). Itaque possumus admittere eos dubios fuisse, quam prope instaret dies iudicii, sed noluerunt homines ideo negligere officia sua, quasi non iam operae pretium esset terrena curare, cum mox terrena cuncta peritura essent, sed semper inculcarunt propter rem incertam officia certa non esse negligenda (cf. 1 Thess. 5, 1 sqq.; 2 Thess. 3, 6 sqq.). Ipsi quoque futurae ecclesiae sorti diligenter providerunt, quia nesciebant, utrum ipsis viventibus Christus venturus esset necne (cf. 2 Cor. 5, 3 8; Phil. 1, 23 sqq.; Act. 14, 22; 20, 28; 1 Tim. 5, 22; 2 Tim. 4, 6; Tit. 1, 5)<sup>1</sup>.

b) Paulus Petrum vituperat, quod gentes coegerit iudaizare (Gal. 2, 11 sqq.). Sed quia de hac re latius agitur in tractatu de lege divina positiva (V, n. 530 sqq.), hic notasse sufficiat Petrum diserte docuisse gentibus non licere iudaizare, iudaeis vero interim licere observare

<sup>1</sup> Cf. Tract. de Verbo incarnato IV, n. 272; *Cornely*, Comment. in Rom. 13, 12; Comment. in 1 Cor. 6, 14; 7, 26; 15, 52.

mores suos patrios, dummodo in solo Christo spem ponerent (Act. 15). Ipse igitur cum iudaeus esset, poterat iudaice vivere, sed quia Antiochia prius cum christianis gentilibus conversatus fuerat, dein vero, ne iudaeos offenderet, ab eorum societate abstinerat, hac agendi ratione practice coegit gentes iudaizare. Quare Paulus eum vituperat, non quod non recte docuerit, sed quod non recte ambulaverit. De qua re *Tertullianus*: „Si reprehensus est Petrus, quod, cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non praedicationis“ (De praeser. 23; *M* 2, 36).

271. Observandum est apostolos eo, quod erant infallibiles in doctrina Christi proponenda, non fuisse exemptos ab omni errore in aliis rebus, quae ad doctrinam fidei et morum non pertinent. Ita Paulus miletanis dixit: „Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam“ (Act. 20, 25). Nihilominus postea iterum Mileti fuit, ubi reliquit Trophimum (2 Tim. 4, 20); hoc enim factum est in posteriore itinere, nam in priore itinere Trophimum secum duxerat Ierosolymam (Act. 21, 29). Ceterum Paulus ipse dixerat se ignorare, quae sibi ventura essent, nisi quod persecutiones se manerent.

**Prop. XXVI. Christus apostolis contulit potestatem iurisdictionis, i. e. potestatem legislativam, iudicalem, coactivam.**

272. Per se quidem hoc loco nobis sufficit ea sola tractare, quae a Christo instituta sunt ad doctrinam suam conservandam et propagandam. Postquam enim hac via ad infallibile magisterium ecclesiasticum pervenerimus, non difficile erit ab hoc magisterio discere omnia alia, quae praeter munus doctrinale Christus apostolis contulit. Nihilominus ad geneticum, ut aiunt, conceptum ecclesiae parandum utile erit iam hic videre, quae fuerit amplitudo potestatis apostolis a Christo collatae. Itaque imprimis dicimus *Christum apostolis non nudam tantum facultatem docendi, sed etiam potestatem regendi dedisse*, quae potestas solet vocari potestas iurisdictionis.

273. *Ipsam magisterii munus, quod Christus apostolis dedit, non est nuda docendi facultas, qualem habere potest privatus quoque homo, sed est munus publicum, quod certa officia et iura annexa habet.* Apostoli enim non possunt tantum praedicare evangelium, sed etiam debent, et quia debent, etiam *ius* habent, in quo iure exercendo a nullo homine impediri possunt. Quare cum principes iudaeorum apostolis denuntiassent, „ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu, Petrus et Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui“ (Act. 4, 18 sqq.). Itaque imprimis apostoli habebant strictum et inviolabile ius omnibus hominibus praedicandi evangelium. Ii autem, qui apostolorum doctrinam

ut divinitus revelatam receperant, eo ipso auctoritati apostolorum subiciebantur et obligabantur ad oboediendum in omnibus, quae ab apostolis proponebantur ut ad doctrinam Iesu Christi pertinentia. Neque solo iure naturae fideles obligabantur ad admittendam apostolorum doctrinam, sed apostoli habebant potestatem hanc oboedientiam imperandi et inoboedientiam puniendi, „in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi et in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam“ (2 Cor. 10, 5 6). „Quodsi quis non oboedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur“ (2 Thess. 3, 14).

Itaque magisterium apostolis commissum duas res continet: a) potestatem infallibiliter proponendi doctrinam Christi (clavem scientiae), b) potestatem hanc infallibilem doctrinam omnibus praedicandi eamque fidelibus sub poena tenendam intimandi (clavem potestatis). Priori potestati ex parte audientium respondet actus internus fidei divinae; alteri potestati ex parte fidelium respondet actus externus oboedientiae ecclesiasticae. Haec igitur altera potestas aliquid addit ad infallibilitatem in docendo per se consideratam, videlicet praeter ius praedicandi evangelium potestatem iurisdictionis, qua per viam oboedientiae fideles in rebus fidei et morum diriguntur (cf. *Franzelin*, De ecclesia 54 sqq.). Per hanc potestatem veritas doctrinae non definitur, sed auctoritative proponitur et communitur.

Attamen iurisdictionis apostolis concessa non restringitur ad solam auctoritativam intimationem doctrinae revelatae, sed etiam ad alia obiecta extenditur.

**274.** *Iesus promisit apostolis potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam.* Loquens enim de homine, qui alterum offendit et reconciliari renuit, ait: „Dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo“ (Matth. 18, 17 18). Iam vero his verbis Christus promisit apostolis *potestatem legiferam*. Quid enim est ligare et solvere? Sane non agitur de materiali ligatione vel solutione, sed de morali. Moraliter autem ligatur vel solvitur homo per praecepta superiorum. Ergo Christus promisit apostolis auctoritatem dandi praecepta. Propterea qui ecclesiae, i. e. illis, qui auctoritatem habent in ecclesia, non vult oboedire, censendus est publicanus et ethnicus, i. e. publicus peccator: talis autem censendus est, quia auctoritatem a Deo institutam inoboedientia contemnit (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. II, ed. 3, 128 sqq.).

Hoc inde quoque patet, quod *potestas ligandi et solvendi est potestas clavium* (Matth. 16, 19). Potestatem clavium habet, qui potest ita claudere, ut non possit quilibet aperire, aut ita aperire, ut non quilibet possit claudere (Is. 22, 22. Apoc. 3, 7). Unde moraliter habere

potestatem clavium est morale vinculum inicere aut remove posse, id quod fit per potestatem praecipiendi seu, ubi haec potestas communitatem respicit, per potestatem legiferam. Haec potestas modo indeterminato promissa est apostolis: „quaecumque ligaveritis“, „quaecumque solveritis“; ergo ipsis promissa est potestas legifera universalis (cf. *Knabenbauer* l. c. II 66 sqq.). Plura infra n. 293 sqq.

**275.** *Quod ante mortem suam apostolis promiserat, hoc post mortem suam Christus iis dedit, quando dixit: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“ (Io. 20, 21), ubi similitudo maxime in eo est, quod, sicut Christus venit cum plena auctoritate Patris, ita apostoli personam et auctoritatem Christi repraesentant.* De potestate enim sermonem esse ostendunt verba sequentia: „Quorum remiseritis peccata . . .“ Christus autem habuit potestatem legislativam universalem; ergo eandem habent apostoli, in quantum requiritur ad finem, ad quem mittuntur.

**276.** Praeterea ex plurimis locis evangeliorum constat *Christum voluisse in hac terra verum quoddam regnum spirituale instituere*, id quod mox magis explicabitur. In omni autem regno debet esse suprema quaedam regendi auctoritas. Ergo talem auctoritatem Christus etiam in regno suo instituit.

**277.** Cum potestate legifera suprema necessario nexa est *potestas iudiciaria et coactiva*; nam potestas legifera, quae de laesione praecceptorum non potest iudicare neque cogere subditum ad servandam legem neque transgressionem legis punire, est potestas vana et inutilis.

Propterea Christus Matth. 18, 17 ecclesiae tribuit potestatem iudicandi et puniendi inoboedientiam subditorum. Ecclesia autem ibi intellegitur auctoritas ecclesiastica, i. e. apostoli; nam causam, cur inoboediens tamquam publicanus et ethnicus seu tamquam ab ecclesia exclusus haberi debeat, hanc affert, quia, quodcumque apostoli ligaverint, erit ligatum. Ceterum quomodo haec verba Christi intellegenda sint, etiam clarius ex modo agendi apostolorum patet; ipsi enim infallibiliter intellexerunt, qualem sensum verba Christi haberent (cf. *Pasaglia*, De ecclesia 3, 19).

**278.** *Apostoli varias leges dederunt et potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam sibi adscripserunt.* Ita in concilio hierosolymitano apostoli gentilibus christianis inter iudaeos viventibus legem dederunt, ut abstinerent „ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato“ (Act. 15, 29), ad quam abstinentiam christiani neque lege naturali neque lege divina positiva obligabantur; ergo obligatio imposita est per legem ecclesiasticam. „Cum autem pertransirent civitates [Paulus et Timotheus], tradebant iis custodire dogmata [praecepta], quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis“ (Act. 16, 4). Imprimis S. Paulus hanc potestatem sibi diserte adscribit: „Laudo vos,

fratres, quod, sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis" (1 Cor. 11, 2). Cuius generis fuerint haec praecepta, quae Paulus corinthiis tradidit, patet ex sequentibus, ubi iubet viros detecto capite, mulieres vero velato capite orare, esurientes domi manducare, non vero opulentam cenam cum aliorum scandalo in publico conventu ecclesiastico sumere; „cetera autem, cum venero, disponam" (1 Cor. 11, 34). In epistulis ad Timotheum et Titum varia alia praecepta dat.

In corinthium incestuosum (1 Cor. 5, 3 sqq.) et in Hymenaeum et Alexandrum (1 Tim. 1, 19 20) sententiam tulit eosque punivit. Corinthios interrogat: „Quid vultis? In virga veniam ad vos an in caritate et spiritu mansuetudinis?" (1 Cor. 4, 21.) „In promptu habentes uleisci omnem inoboedientiam" (2 Cor. 10, 6). „Praedixi et praedico, ut praesens et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam. . . . Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem" (2 Cor. 13, 2 10).

**279. Schol. 1. De extensione potestatis coactivae apostolorum.**

Potest hic quaeri, *utrum potestas coactiva apostolorum complectatur solas poenas spirituales an etiam temporales.* Ad hoc respondendum est hanc potestatem esse universalem et complecti omnia, quae ad finem spiritualem conducere possunt. Unde in quantum poenae temporales servire possunt ad finem spiritualem, nulla est ratio dubitandi, quin hae poenae sint obiectum potestatis apostolis a Christo concessae (cf. 1 Cor. 5, 5; 2 Thess. 3, 14; 1 Tim. 5, 20). Plura vide apud Palmieri, De Rom. Pontif., ed. 2, 131 sqq. et M. d'Herbigny, De ecclesia I 181 sqq.

**280. Schol. 2. Praerogativae muneris apostolatus stricte dicti.**

*Munus apostolatus stricte dicti continet tres praerogativas:*

- a) immediatam missionem a Christo vel a Deo (Gal. 1, 1),
- b) infallibilitatem personalem in proponenda doctrina Christi,
- c) universalitatem et independentiam potestatis, sive relate ad locum sive relate ad homines sive relate ad functiones (cf. Passaglia, De ecclesia Christi 3, 9).

**Prop. XXVII.** Christus apostolis contulit potestatem ordinis seu potestatem sanctificandi homines per ritus religiosos a Christo institutos.

**281.** Haec quoque thesis ideo tantum statuitur, ut nihil omittatur eorum, quae Christus statim ab initio instituit. Itaque dicimus Christum praeter potestatem docendi et regendi *dedisse apostolis etiam potestatem sanctificandi homines per certos ritus religiosos*, qui vocantur sacramenta. Ipsa quidem doctrina ipsumque regimen sacrum etiam valent ad homines sanctificandos, sed eatenus tantum, quatenus homines auditis doctrina et praeceptis cooperantur ex sua parte per fidem et

oboedientiam. Ritus vero illi, qui sunt obiectum potestatis ordinis, in se habent eam efficaciam, ut rite applicati sanctificationem efficiant. Hoc autem loco nondum inquirimus in modum huius efficientiae nec in ambitum huius potestatis, quia haec inquisitio alibi instituetur, sed sufficit nobis generatim indicasse talem potestatem apostolis collatam esse. Hanc potestatem vocari potestatem ordinis, quod sacramento ordinis alligetur, ex alibi dicendis patebit.

**282. Argumentum.** Iesus loquens de via, qua homines in regnum suum pervenire possint, ait: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Io. 3, 5). Potestatem autem homines spiritualiter regenerandi ex aqua et Spiritu Sancto dedit apostolis: „Euntes . . . baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (Matth. 28, 19).

Rursum dixit: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis" (Io. 6, 54). Potestatem autem dandi hominibus carnem et sanguinem suum contulit apostolis in ultima cena (Luc. 22, 19 20).

Post resurrectionem suam apparens apostolis „insufflavit et dixit iis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt" (Io. 20, 22 23).

Per quadraginta dies apparens iis, locutus est iis multa de regno suo (Act. 1, 3). Quae autem fuerint hae instructiones, apparet ex iis, quae postea apostolos videmus agentes.

**283.** *Apostoli non solum docent et leges dant, sed etiam per externos quosdam ritus homines sanctificant.* Baptismo peccata delent et homines in ecclesiam recipiunt (Act. 2, 38 41. Rom. 6, 3. Gal. 3, 27. Eph. 5, 25 sqq.). Per impositionem manuum dant Spiritum Sanctum (Act. 8, 17; 19, 6) et episcopos constituunt (2 Tim. 1, 6). Deserviunt altari (1 Cor. 9, 13) benedicentes calici, qui est „communicatio sanguinis Christi", et frangentes panem, qui est „participatio corporis Domini" (1 Cor. 10, 16; cf. 11, 23 sqq.). Verbis igitur et factis ostendunt apostoli se esse missos ad sanctificandos homines, „ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem [mystici] corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi" (Eph. 4, 12 sq.).

**284.** Ex hisce illud quoque manifestum est, *quomodo potestas ordinis a potestate iurisdictionis differat.* Illa enim immediate respicit internam sanctificationem hominum per ritus quosdam ad hoc a Christo institutos (immediatus effectus in homine est sanctificatio ex opere operato); haec doctrinis et praeceptis dirigit hominem ad recte agendum et se ipsum sanctificandum (ultimus finis est sanctificatio hominis ex opere operantis). In quantum igitur omnis veri nominis potestas,

quae non immediate hominem interne sanctificat, sed per externas doctrinas auctoritative dirigit ad finem spiritualem, recte vocatur potestas iurisdictionis, in tantum tota potestas, quam apostoli praeter potestatem ordinis acceperunt, recte vocatur potestas iurisdictionis. Quia nihilominus alio modo dirigitur homo per infallibilem doctrinam divinitus revelatam et alio modo per leges ecclesiasticas, potestas iurisdictionis secundum totum ambitum sumpta recte dividi potest in potestatem iurisdictionis strictae et potestatem infallibilis magisterii (cf. *Franzelin*, De ecclesia thes. 5, p. 46).

**Prop. XXVIII.** In collegio apostolorum Petro primatus iurisdictionis in universam ecclesiam a Christo promissus est.

285. Apostoli non fuerunt duodecim separati homines, nullo vinculo inter se nexi, quorum unusquisque separatim constitutus erat legatus divinus, sed potius erant unum corpus morale, unum collegium magisteriale. Appellantur enim nomine collegiali, et collegialiter ab aliis distinguuntur. Post electionem vocantur οἱ δώδεκα (Matth. 10, 1; 11, 1; 20, 17 24. Marc. 3, 14; 4, 10; 6, 7. Luc. 8, 1; 9, 1 12. Io. 6, 68. Act. 6, 2); post mortem vero Iudae modo vocantur οἱ ἑνδεκά (Matth. 28, 16) modo οἱ δώδεκα (Io. 20, 24), quia scl. ex voluntate Christi debebant esse collegium τῶν δώδεκα. Ipsi ut collegium distinguuntur ab aliis illa locutione: οἱ ἑνδεκά καὶ οἱ λοιποὶ vel οἱ ἑνδεκά καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς (Luc. 24, 9 33). Petrus vero, ubi agebatur de electione novi apostoli in locum Iudae, dixit: „Oportet ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore . . . testem resurrectionis eius nobiscum (σὺν ἡμῖν) fieri unum ex istis . . . accipere locum ministerii huius et apostolatus“ (Act. 1, 21 sq. 25). „Et cecidit sors in Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis“ (Act. 1, 26). Apostolis Christus dixit: „Vos dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat“ (Io. 15, 15 16). „Hos duodecim misit Iesus, praecipiens iis . . . euntes praedicate . . . qui recipit vos, me recipit“ (Matth. 10, 5 7 40). Ergo non potest esse dubium, quin apostoli fuerint unum corpus morale, unum collegium apostolicum.

286. Iam quaestio oritur, *utrum apostoli fuerint collegium aequalium an collegium hierarchicum, in quo unus primatum habuerit.* Quamdiu Christus ipse erat cum apostolis, ipse erat visibile caput eorum et unicus magister. „Magister vester unus est Christus“ (Matth. 23, 10). Nihilominus, quamvis ipse in perpetuum mansurus esset supremus eorum magister, a quo omnis eorum potestas descenderet, significaverat tamen Christus se pro tempore, quo non iam visibiliter cum iis futurus esset, aliud visibile caput iis constituere velle (cf. infra n. 303 396). Hinc explicatur illa disputatio inter apostolos, quis eorum

futurus esset maior (μείζων), praecessor (ἡγούμενος), primus (πρώτος) in regno Christi (Matth. 20, 24 sqq. Marc. 9, 33 34; 10, 42—45. Luc. 22, 24 sqq.). Hauserant igitur ex Christi sermonibus hanc ideam: futurum esse unum ex ipsis maiorem et praecessorem. Christus quidem eorum ambitionem reprehendit, neque tamen negat quemquam illorum futurum esse maiorem. Immo clare indicavit, cui hanc dignitatem aliquando collaturus esset. Cum Andreas fratrem suum Simonem adduxisset ad Iesum, „intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon, filius Iona; tu vocaberis Cephias, quod interpretatur Petrus“ (Io. 1, 42). Haec ultima verba addit S. Ioannes. Idem factum referunt reliqui evangelistae (Matth. 10, 2. Marc. 3, 16. Luc. 6, 14). Ergo Iesus mutavit nomen Simonis et vocavit eum Cephiam, quod est vocabulum aramaicum et significat saxum. πέτρα (hebraice פֶּטְרָא), quantum scimus, numquam ante fuit nomen proprium ullius hominis<sup>1</sup>; unde cum Christus illud Simoni imposuerit, sine dubio voluit hoc nomine significare aliquam specialem dignitatem, quam ipse daturus esset Simoni (cf. Gen. 17, 5; 32, 28 etc.). Quae autem esset haec dignitas, postea clarius enuntiavit.

287. **Pars I. Petrus, petra ecclesiae.** Postquam Petrus confessus est fidem: „Tu es Christus, Filius Dei vivi“, respondit Iesus: „Beatus es Simon, Bar [filius] Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus [Cephas], et super hanc petram [Cephiam] aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis“ (Matth. 16, 17—19).

Mirum est, quomodo quidam dubitaverint haec dicta esse ad solum S. Petrum. Verba enim videntur tam perspicua, ut dubitationem non admittant. Adversarii autem argumentantur ita: Petrus locutus est nomine omnium; ergo Christus quoque Petrum alloquens loquitur ad omnes. Sed imprimis Petrum locutum esse nomine omnium gratis asseritur. Ad priores quidem interrogationes Christi omnes apostoli responderunt: „at illi dixerunt“; ad ultimam vero Christi interrogationem solus S. Petrus respondet. Sed hoc transmissio, ad solum Petrum

<sup>1</sup> In Sacra Scriptura Deus ut firmissimum adiutorium hominum vocatur petra. Neque tamen hoc sensu legitur *keph* sed alia synonyma: *eben* (Gen. 49, 24. Zach. 3, 9), *zur* (Deut. 32, 4 18 31), *sela* (2 Sam. 22, 2. Ps. 18, 3). F. Haase (Der Katholik 1917 I 340 sqq.) desiderat inquisitionem eruditam nominis Petri. De qua re conferri potest Zeitschrift für neutestam. Wissenschaft XV (Gießen 1914) 14 sqq., ubi reiectis aliis sententiis (e. g. nomen Petri esse formam contractam ex Petronio) statuitur iam primo saeculo appellationem Petri fuisse communem. Scriptor huius dissertationis, A. Dell, ad hanc conclusionem pervenit Matth. 16, 17—19 esse verba a Matthaeo scripta, non tamen a Iesu dicta, sed collecta ex popularibus phantasiis de nomine Petri (l. c. 49). Quae conclusio theologi protestantis, etsi circumdata multa eruditione, non tamen est nisi coniectura opinabilis, nullo solido fundamento nixa.

Christus loquitur: „Beatus es Simon, Bar Iona.“ Quomodo enim possunt haec verba dicta esse ad omnes? Similiter quae sequuntur: „Et ego dico tibi, quia tu es Cephass“, non valent nisi de solo Simone, quia illi soli Christus praedixerat eum vocatum iri Cephass. Nunc igitur Christus implet, quod tunc promiserat. Iam *S. Iustinus M.*, agens non de dignitate Petri sed de divinitate Christi, ait: „Unum ex discipulis suis, qui eum revelante ipsius Patre Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur“ (Dial. cum Tryph. n. 100; *M* 6, 710). Non allegat ipsa verba Scripturae, sed solum factum refert, quod Matth. 16, 16—18 narratur. Eum ad Scripturam respicere patet ex n. 106: „Quod autem unum ex apostolis mutato nomine Petrum appellasse dicitur, atque in apostolicis commentariis id quoque refertur“ (*M* 6, 723). Similiter *S. Irenaeus*: „Quomodo Petrus ignorare potuit [veritatem revelatam], cui Dominus testimonium dedit, quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater, qui in caelis est?“ (Contra haer. 3, 13, 2; *M* 7, 912.) „Ut quid autem beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret esse Filium Dei vivi“, nisi vere esset Filius Dei? (3, 21, 8; *M* 7, 953.) Huic filiationi divinae non obstat eius passio. „Et ipse autem Dominus manifestum facit eum, qui est passus. Cum enim interrogasset discipulos: „Quem me homines esse dicunt filium hominis?“ Petrus, cum respondisset: „Tu es Christus Filius Dei vivi“, et cum laudatus esset ab eo: „Quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater, qui est in caelis“, manifestum fecit, quoniam filius hominis hic est Christus Filius Dei vivi. . . . Ipse, qui est agnitus a Petro Christus . . . dixit semetipsum oportere multa pati et crucifigi“, et Petrum vituperavit passionem eius aversantem (3, 18, 4; *M* 7, 934). Intermedia verba: „Et super hanc petram“ etc. *Irenaeus* non allegat, quia ad eius propositum non pertinebant (cf. 3, 19, 2; *M* 7, 940); videtur autem alludere ad ea in fine eiusdem expositionis, ubi loquitur de haereticis, qui „effugientes fidem ecclesiae . . . digne in omni volutantur errore. . . . Non enim sunt fundati super unam petram sed super arenam, habentem in se ipsa multos lapides“ (3, 24, 2; *M* 7, 967). Nam cum *Irenaeus* in praecedentibus toties recurrat ad Matth. 16, 16 sqq., etiam hic unam petram videtur intellegere eam, de qua Christus ibi loquitur. Cf. *J. Hoh*, Die Lehre des hl. Irenäus über das N. T. 22, Anm. 2.

288. Itaque Christus ad Simonem dixit: *Tu es Cephass, et super hunc Cephass aedificabo ecclesiam meam.* Quod scriptor graecus secundo loco Cephass vertit πέτρα, ideo factum est, quia haec erat vox usitata ad significandum saxum; nihilominus priore loco ponit vocabulum πέτρος (quod rarius significat saxum), quia propter genus masculinum aptius est ad appellandum virum<sup>1</sup>. Unde haec diversa forma nominis nulla

<sup>1</sup> In lingua aramaica *kepha* est generis feminini, ergo graece et latine verba, quae Christus ad Petrum dixit, recte verti possunt: „Tu es petra, et super hanc

ratione significat diversum subiectum. Cum enim Christus dixerit: „Tu es Cephass, et super hunc Cephass aedificabo“, est contra sanam rationem fingere prius illud Cephass significare aliud subiectum quam secundum Cephass. Praeterea cur Christus Simonem appellavit saxum, nisi haec appellatio aliquid speciale in Simone significet? Quid autem hoc sit, non apparet, nisi sit illud, quod super Simonem aedificanda est ecclesia; sapiens enim homo, ut Christus ipse docet, aedificat domum suam super saxum (Matth. 7, 24). Itaque si super Simonem aedificanda est ecclesia, facile intellegitur, cur ipse vocetur Cephass. — Contra vero, si illum Cephass, super quem vult aedificare ecclesiam suam, alium intellexit atque Simonem, e. g. se ipsum, tota concinnitas sermonis perit. Quis enim ferre potest hanc interpretationem verborum Christi: Beatus es Simon, Bar Iona, quod me confessus es Filium Dei; et ego dico tibi: Tu es saxum; at non super te, sed super saxum, quod ego sum, aedificabo ecclesiam meam? Certe haec non esset paraphrasis, sed depravatio verborum Christi. Neque tamen ideo negamus Christum esse petram principaliter et per se, Simonem vero non ex se sed virtute primae petrae, a qua soliditatem accepit. At hic non quaeritur, quae sit causa efficiens, quae Simonem fecerit petram, sed quaeritur, sitne Simon vere petra. Ceterum sermo tam planus: „Tu es Cephass, et super hunc Cephass aedificabo“, non requirit ullam paraphrasin aut explicationem, quod attinet ad constructionem grammaticalem.

289. a) His etiam *excluditur opinio eorum, qui volunt Christum dixisse: Fides tua est petra, et super hanc petram aedificabo.* Christus enim hoc non dixit, sed dixit: Simon, Bar Iona, tu es Cephass, et super hunc Cephass aedificabo. Ob quam rationem Christus elegerit Simonem, ut sit Cephass, super quem aedificanda sit ecclesia, hic non venit in quaestionem (potest enim recte dici fuisse fides Petri); sed quaestio est, quis sit ille Cephass, super quem aedificabitur ecclesia, et quae sit ratio formalis, qua ipse constituatur Cephass (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. II, ed. 3, 58 sqq.).

Scribit quidem *S. Augustinus*: „Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit ecclesia . . . sed scio me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: Tu es Petrus etc., ut super hunc intellegeretur, quem confessus est Petrus. . . . Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus; petra autem erat Christus. . . . Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector“ (Retract. 1. 21; 1; *M* 32, 618). Quia iudicium relinquit lectori, eius auctoritas non potest contra nos invocari; iam enim demonstravimus non posse petram ad Christum referri. Dein recte notat *Bellarminus*: „Augustinum ex sola ignorantia

petram . . .“ In lingua hebraica *keph* est generis masculini, quae tamen vox in Vetere Testamento non legitur nisi in forma plurali (Iob 30, 6; Ier. 4, 29).

linguae hebraeae esse deceptum: nam argumentum ipsius est, quia non est dictum: Tu es petra, sed tu es Petrus. . . . At si advertisset Cepham nihil aliud significare quam petram, et Dominum dixisse: Tu es petra, et super hanc petram, nihil dubitasset de veritate nostrae sententiae" (De Rom. Pont. 1, 10). Cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II, 157 sqq.; *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 258 sq.

Reliqua, quae e Patribus afferuntur contra nostram expositionem, non sunt explicationes textus, sed morales applicationes, ut si *Origenes* dicit quemlibet imitatore Christum esse petram, super quam aedificetur ecclesia. Hoc sine dubio aliqua ratione verum est, at non est sensus verborum Christi (*Palmieri*, De Rom. Pont. 317 sqq.). Ceterum SS. Patres unanimiter textum nostro modo intellexisse videre est apud *Bellarminum* l. c.: *Petavium*, De ecclesiast. hierarchia 3, 7, 9; *Passaglia*, De praerogativis B. Petri 400 408 sqq.; *Palmieri* l. c. 307 sqq. E. g. *Tertullianus*: „Latuit aliquid Petrum, aedificandae ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?" (De praescr. 22; *M* 2, 34.) *Cyprianus*: „Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit ecclesiam suam" (Epist. 71, c. 3; *H* 2, 773). *Origenes*: „Vide magno illi ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae, inquit, fidei, quare dubitasti?" (In Ex. hom. 5, n. 4; *M* 12, 329.) De *S. Cyrilli Alex.* sententia cf. *Zeitschrift für kath. Theologie* 1919, 543 sqq.; de *S. Ioannis Damasc.* doctrina ib. 78 sqq. Apparet igitur ex una parte, quam immerito contra nos ad SS. Patres provocent, ex altera vero parte, quam solidum argumentum primatus S. Petri in illo textu habeatur, cum haec unica ratio sit, cur protestantes nullum lapidem non moveant ad illum textum pervertendum (cf. de eorum abortivis conatibus *Passaglia* l. c. 2, 4).

Multo simpliciore viam ineunt recentissimi protestantes, qui audacter negant Christum illa verba dixisse<sup>1</sup>. Fortasse, quia textus est critice

<sup>1</sup> Die Herrenworte Matth. 16, 18 und 18, 17 gehören erst dem 2. Jahrhundert [in ed. 3 et 4: „einer späteren Zeit" an] (Harnack, Dogmengeschichte I 69, nota 1; in ed. 4 p. 89, nota 1). Hanc assertionem quibusdam argumentis stabilire conatus est *A. Resch* (Paralleltex-te zu Matthäus und Markus, Leipzig 1894, 187 sqq.). Sed quam infirma sint haec argumenta, ostendit *C. A. Kneller* (Stimmen aus Maria-Laach L [1896] 129 sqq. 288 sqq. 375 sqq.). Idem multa alia testimonia antiquissima, sed minus nota, collegit in *Der Katholik* 1901 II 331 sqq. 443 sqq. 481 sqq. Cf. *A. Michiels*, L'origine de l'épiscopat 20 sqq.

Nuper *Harnack* rursus in hanc rem inquisivit: „Der Spruch über Petrus als den Felsen der Kirche (Matth. 16, 17 sq.)." Sitzungsberichte der preußischen Akademie der Wissenschaften, phil.-hist. Kl. XXXII (1918) I 637—654. Secundum hanc inquisitionem pericope Matth. 16, 13—19, si ut totum quid consideratur, antiquissimae originis aramaicae est et nota genuinitatis insignitur. Sola verba: „Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam" sunt suppositicia, tempore Adriani imperatoris (117—138) a christianis romanis adiecta. Textus genuinus erat: Κάτω δέ σοι λέγω ὅτι σὺ εἶ Κηφᾶς καὶ πύλαι Ἰαίδου οὐ καταχύσουσίν σου. Cetera omnia, ut nunc

dubius? Minime vero! sed quia secus theoria eorum esset falsa, id quod videlicet repugnat.

b) *Genuinitatem textus* testantur omnes codices et omnes versiones, etiam antiquissimae, ut syriaca, quam *F. Crawford Burkitt* a. 1904 edidit. In codice syro sinaitico prima tantum verba adsunt, dein deest integrum folium, cuius spatium sufficiens est ad recipienda ea, quae in syro curetoniano leguntur. Textum exhibent etiam versiones copticae, bohairica et sahidica, item vetus latina. Quare mirum non est textum sine ullo signo dubitationis receptum esse in omnes editiones criticas usque ad ultimas, ab *Herm. v. Soden* et *H. J. Vogels* paratas.

Quaeri potest, cur Marcus (8, 27 sqq.) et Lucas (9, 18 sqq.) textum non habeant. De Luca non videtur esse specialis difficultas, quia hic, ut alibi saepe, recipit narrationem Marci. Cur autem Marcus textum omittat, *Eusebius Caesar.* ita explicat: Marcus „cum ad illum locum historiae venisset, ubi Iesus interrogavit, quem se homines esse dicerent, ipsique sui discipuli quam de se opinionem haberent, subiunxissetque Petrus tamquam de Christo, nihil illi respondentem Iesum aut dicentem describit, sed illis comminantem dumtaxat, ut nemini de ipso dicant. Non enim interfuit Marcus iis, quae a Christo dicta sunt; ac ne Petrus quidem, quae ad ipsum ac de ipso dicta sunt ab Iesu, proprio testimonio proferre aequum putavit. Quae autem illa sint, quae ad ipsum Petrum dicta sunt, Matthaeus his indicat verbis [refert integrum locum Matth. 16, 15—19; dein pergit:] Cum haec tam multa dicta sint Petro ab Iesu, Marcus nihil horum commemorat, propterea quod ne Petrus quidem, ut verisimile est, talia in suis enarrationibus enuntiavit" (Demonstr. evang. l. 3, c. 5; *M* 22, 215 sq.).

Non obstante hoc testimonio tam diserto (et alio non minus diserto De resurrectione 2; *M* 24, 1111) quidam rationalistae dicunt Eusebium habuisse codices, in quibus textus non legeretur, cum variis locis textum non integrum proferat. Infirmum sane argumentum, quia illis locis non agit de S. Petro neque textum exponit, sed quaedam tantum verba allegat ad ostendendam ecclesiae perennitatem, e. g. quando ait: Servator „de impiorum quidem templo dixerat: „Relinquitur vobis domus vestra deserta; et non manebit in loco lapis super lapidem, qui non disturbetur." De ecclesia autem: „Supra petram aedificabo ecclesiam meam, et portae orci non praevalent adversus eam" (De laudib.

leguntur in editionibus criticis, sunt genuina. Portae inferi sunt regnum mortis; mors autem non praevalent adversus Petrum, quia Petrus non morietur (quae utique fuit falsa praedictio Christi). Hanc praedictionem esse puram fictionem facile intellegitur, ut explicatur a *C. A. Kneller*, *Zeitschrift für kath. Theologie* (Innsbruck 1920) 147 sqq., qui simul ostendit totum contextum postulare aliam omnino praedictionem, quae respondeat confessioni Petri de divinitate Christi; omnia optime cohaerere, si retineatur lectio: „Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam", reiecto autem hoc inciso nativam sententiarum seriem perrumpi; hanc lectionem etiam convenire cum iis, quae alibi in evangeliiis de Petro dicuntur, non vero praedictionem immortalitatis Petri.



Constant. 17; *M* 20, 1434). Qui ex talibus dictis conatur ostendere Eusebium non legisse verba praecedentia, ostendit se prae fracte velle rem desperatam defendere.

Neque melior est argumentatio, quam struunt *ex commentario S. Ephraemi in Diatessaron Tatiani*. Ephraem enim solet pauca verba ex evangelio recitare et dein addere brevem expositionem. Ita ex Matth. 16, 13 sqq. haec refert: „Quid de me dicunt homines, quod sit filius hominis? Respondent ei: Nonnulli dicunt, quod sit Elias, alii, quod sit Ieremias. Vos autem quid dicitis de me, quod sim? Simon locutus est: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Et respondit: Beatus es, Simon. Et portae inferi te non vincunt. Tu es petra.“ Si quis concludit Ephraem non legisse plura verba, est conclusio nimis tetra, quam quae seriam considerationem mereatur. Hoc ipso loco ait: „Cum Dominus ecclesiam suam aedificaret, aedificavit turrim, cuius fundamenta omnia, quae erant supraaedificanda, portare possent.“ Et Petrus est „illa petra, quam erexit, ut satanas in eam offenderet“ (Evangelii concordantis expositio, in latinum translata ab *I. B. Aucher*, edita a *G. Moesinger*, Venetiis 1876, 153 sq.). Alibi vero celebrat Petrum: „Beatus es, Simon, caput discipulorum, quia Filius Dei beatum te dixit . . . et claves regni tibi tradidit . . . cuique dedit virtutem et potestatem divinitus ligandi atque solvendi. . . . Beatus es, o Petre, quia Filius Dei te posuit in fundamento ecclesiae, ut portares pondus totius creaturae. . . . Beatus es, o Simon, quia super te aedificata est ecclesia, decora lucis sponsa, cui promisit Filius portas inferni contra eam non praevalituras“ (Hymni et Sermones, ed. *Lamy*, Malines 1882 ad 1902, IV 682 sqq.). Similia saepe repetit (ib. I 374 412 534; II 186; IV 534 738; cf. *Ottiger*, Theol. fundam. II 150; *Y. de la Brière*, Études CXIX, Paris 1909, 585 sqq.; CXX, 1910, 55 sqq.).

*Seb. Euringer*, Der locus classicus des Primates (Matth. 16, 18) und der Diatessaron text des hl. Ephraem (Festgabe für A. Ehrhard, Bonn u. Leipzig 1922) 141 sqq. accuratissima investigatione commentarii Ephraemi in Matth. 16, 13 sqq. studet eruere, quidnam S. Ephraem in suo Diatessaron legerit, quod correspondeat nostro Matth. 16, 18. Conclusio eius haec est: „S. Ephraem legit Matth. 16, 18 in suo Diatessaron propemodum eodem modo, quo legitur in nostro textu canonico, nempe: Tu es petra, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et vectes inferni non praevalent adversus eam“ (l. c. 179). In commentario Ephraem comparat aedificationem ecclesiae cum turri, cuius fundamenta sufficiunt ad omnia in iis superstruenda; similiter comparat cum monte Dei, in cuius cacumine erat paradisus. Undae infernales, vectes suos perrumpentes et contra hunc montem irruentes, neque montem evertere neque eos, qui in eius cacumine habitant, in perniciem trahere possunt (l. c. 147 sqq.). Alio quidem loco (Com. in Is. 54, 17) Ephraem ait: „Vectes inferi te non vincunt.“ Unde Harnack infert sensum esse: „Vectes inferi adversus te Simonem non prae-

valebunt.“ At hoc non ita est; nam eo loco sermo est non de Simone sed de Sione, et pronomen te est generis feminini (l. c. 170 sqq.). Cum constet Matth. 16, 18 secundum nullum testem Christum alloqui ecclesiam, illa permutatio verborum „adversus eam“ in verba: „adversus te“ est simplex artificium rhetoricum Ephraemi (l. c. 173 176). De immortalitate Petri nihil dicitur in commentario.

Rationalistae ideo omni vi student textum ex evangelio expungere, quia vident et concedunt illis verbis exprimi verum primatum Petri eumque perpetuum et in ecclesia mansurum. Quia autem secundum eorum dogma talis primatus non exsistebat nisi exeunte saeculo II, textus non potest esse genuinus. Eo ipso nobiscum consentiunt conatus priorum protestantium e verbis eliminandi conceptum veri primatus esse irritos. De genuinitate textus multa disserit *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 232 sqq.

**290.** Cum evidens sit Christum voluisse, ut Simon Petrus esset petra, super quam aedificaretur ecclesia, quaeritur, *quo sensu super Petrum ecclesia aedificetur*. Ecclesia est societas eorum, qui in Christum credunt, ut mox magis explicabitur. Itaque Petrus dicitur in hac societate esse id, quod fundamentum est in aedificio; nam Christus utitur metaphora domus aedificandae; saxum autem, super quod domus aedificatur, est fundamentum aedificii, i. e. reale principium stabilitatis et firmitatis (Matth. 7, 24 25). Illud autem, quod est reale principium stabilitatis et firmitatis in societate, est auctoritas seu potestas efficaciter dirigendi ad finem socialem assequendum, quae est potestas iurisdictionis. Ergo Petrus, quia est reale principium stabilitatis et firmitatis in ecclesia, habet potestatem iurisdictionis in ecclesiam, eamque talem, qualem nemo praeter ipsum habet, seu habet primatum iurisdictionis in universam ecclesiam; ipse enim solus neque ullus alius a Christo designatus est futurum fundamentum ecclesiae.

**291.** Quo vero absurditatis *protestantes* nonnulli processerint ad hanc partem verborum Christi pervertendam, ostendunt haec verba cuiusdam *Christiani Stock* (Clavis linguae sanctae N. T. s. v. Πέτρος): „Πέτρος, lapis, qui proici vel provolvi vel quacumque ratione e loco in locum moveri potest. . . . Ex hoc nomine appellativo Simon, Iona filius, sortitus est cognomen proprium, quia, ut Erasmus Schmidius ait, officio suo futurus erat lapis in omnes mundi partes prociendus, in quas eius confessio una cum ipsius obiecto, nempe Christo Iesu, Salvatore mundi, divulganda erat.“ Ergone super lapidem volitantem Christus aedificium ecclesiae exstruxit? Paulo rationabilior est alia explicatio, secundum quam Simon dictus est Cephas, quia eligendus erat, ut omnium primus iudaeis et gentibus evangelium praedicaret et ita firmum initium ecclesiae poneret<sup>1</sup>. At ne haec quidem ex-

<sup>1</sup> Ita *Carolus Hase*: „Das Recht der römischen Auslegung [Petrus sei der Fels] ergibt sich schon aus dem Wortspiele mit dem Namen Petrus, d. h. des Felsen-

plicatio admitti potest. Christus enim verbis maxime sollemnibus Petro in remunerationem confessionis annuntiasset rem relative parvam, scilicet eum tempore primum praedicaturum esse. Dein vero ipsa metaphora, qua Christus utitur, hanc explicationem non admittit. Quamvis enim omnes apostoli ratione doctrinae, quam praedicaverunt, et aliquo modo ratione muneris, quod in ecclesia perseverat, vero sensu dici possint fundamentum ecclesiae (Eph. 2, 20), tamen hic agitur de speciali praerogativa S. Petri. Nam nulli apostolorum dictum est: Tu es petra, super quam aedificabo ecclesiam meam. Super solum Petrum tota ecclesia aedificata est; apostoli sunt singuli lapides fundamentales, proxime huic communi petrae cohaerentes. (De differentia inter πέτραν et θεμέλιον cf. *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 255 sq.) Solus Petrus est commune principium stabilitatis pro tota ecclesia et pro omnibus et singulis partibus eius. Ergo tota ecclesia et reliqui quoque apostoli auctoritati Petri subiciuntur. Atqui sola prioritate praedicationis Petrus non est tale principium, quia metaphora petrae significat stabilem influxum, non actum transeuntem. Hoc etiam magis patet ex verbis Christi, quae sequuntur (cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 88 sq.).

292. Christus, postquam dixit Petrum esse fundamentum, super quod aedificanda esset ecclesia, statim addit: „*Et portae inferi non praevalent adversus eam.*“ Quae verba clare indicant futurum esse, ut inimicae potestates impugnent ecclesiam, sed ita, ut eam non possint destruere. Ratio autem, cur ecclesia non possit destrui, est, quod supra Petrum ut petram firmissimam est aedificata. Christus enim in illis verbis quodammodo gerit personam architecti dicentis: Aedificabo domum super petram, neque ullae adversae potestates subvertent eam. Quicumque talia verba audit, non potest nisi cogitare inter duo membra locutionis esse hunc nexum causalem: Ne domus subvertatur, aedificabo eam super petram; et quia aedificabo super petram, domus non subvertetur. Hic igitur sensus verbis Christi subest. Revera, si Petrus habet primatum iurisdictionis in ecclesiam, facile intellegitur, quo sensu dicatur firmum fundamentum, quo ecclesia muniatur ad sustentandas inimicas impugnationes.

Ἄιδης significat vel in genere locum, quo congregantur omnes mortui, qui beatitudinis participes non sunt (Act. 2, 31. Apoc. 6, 8), vel in specie habitaculum damnatorum (Luc. 16, 22), quod etiam vocatur abyssus et est locus proprius daemonum et sociorum eorum (Luc. 8, 31. Apoc. 20, 3), ubi igne cruciantur (Matth. 25, 41). Hic locus repraesentatur ut civitas, quae habet portas, quae clavibus clauduntur

mannes; nur derselbe kann als der Felsen gemeint sein, auf den Christus seine Kirche gründen will. . . . Er hat, wie es Christus von ihm erwartet hatte, die Mutterkirche in Jerusalem gegründet, nach der Apostelgeschichte auch ihre Übergänge zu den Heiden vermittelt, und in den ersten Jahren steht er überall, zumal der Gefahr entgegen, voran<sup>2</sup> (Polemik<sup>7</sup> [Leipzig 1900] 116 sq.).

(Apoc. 9, 1). Incolae huius civitatis pugnant contra regnum Christi (1 Petri 5, 8. Apoc. 12, 7 sqq.). Unde cum Christus repraesentet πύλας ἄδου conantes praevalere contra ecclesiam suam, respicit hoc inimicum regnum et potestatem eius; portae enim significant potentiam, quia in portis fiebat iudicium (Iob 5, 4. Is. 29, 21. Prov. 22, 22); portae pro regno ipso dicuntur (Gen. 22, 17. Is. 38, 10), sicut etiam nunc loquimur de „Alta porta“, i. e. regno turcico. Ergo portae inferi pugnantes contra regnum Christi sunt diabolicae potestates seu diaboli ipsi eorumque adiutores, quibuscum asseclis Christi est continua coluctatio (Eph. 6, 12). Sed ecclesia Christi per Petrum tantam habebit stabilitatem, ut acerrimi hi inimici non possint praevalere adversus eam; non utique per Petrum, secundum quod est ex se, sed in quantum a Christo fundamentum constituitur et soliditatem a Christo participatam cum ecclesia communicat. Haec non posse intellegi de transeunte actu Petri, sed referri ad permanens eius munus, evidens videtur. Ergo recte concludimus Christum per illa verba Petro promisisse primatum iurisdictionis, promisisse, inquam, nondum dedisse, cum dicat: „aedificabo“. Quare Petrus interim nondum fuit fundamentum ecclesiae, sed factus est post mortem Christi. Nihil igitur sunt ad rem, quae cum quadam specie veri videntur proferri posse contra stabilitatem Petri ex eo tempore, quo nondum munus suum actu acceperat, e. g. ex iis, quae Petrus fecit tempore passionis Christi (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. II, ed. 3, 63 sqq.).

293. *Pars II. Petrus claviger regni caelorum.* Tandem Christus addit: „*Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris . . .*“ Regnum caelorum hic est idem atque ecclesia Christi; ergo Christus, sicut antea dixit Petrum futurum esse fundamentum ecclesiae, ita hic dicit eum futurum esse clavigerum ecclesiae, penes quem sit potestas efficaciter solvendi et ligandi<sup>1</sup>. Quamvis regnum caelorum possit significare ecclesiam Christi tum existentem in hac terra tum regnantem

<sup>1</sup> Christus Petrum alloquens utitur tribus distinctis metaphoris: Prima est metaphora petrae, quae est fundamentum, super quod Christus aedificabit ecclesiam suam. Secunda est metaphora clavium regni caelorum, qua significatur suprema potestas in regno Christi. Tertia est metaphora solvendi et ligandi omnia, qua significatur universalitas iurisdictionis. Hae tres metaphorae nullo modo ita inter se continuantur, ut secunda imago sit explicatio primae, vel tertia sit explicatio secundae; nam aliud est secundum figuram locutionis esse petram, aliud est habere claves regni, aliud est ligare et solvere, quamvis ad eandem potestatem significandam omnes tres metaphorae referantur. Ergo mire aberrant a recta cognitione, qui obiciunt ab homine semitico non potuisse explicari imaginem clavium per imaginem ligationis et solutionis, sed hunc nexum manifeste factum esse ab homine graeco, qui vim metaphorarum semiticarum non bene perspexerit. At tota haec confusio non existit nisi in imaginatione eorum, qui per fas et nefas argumentantur ad ostendendum verba illa non esse a Christo dicta (cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 93). De metaphora ligandi et solvendi cf. *V. Brander*, Der Katholik 1914 II 116 sqq.; 1916 I 220 sqq. 287 sqq. et *K. Adam*, Theolog. Quartalschrift 1914, 49 sqq. 161 sqq.

in beatitudine, patet tamen in ecclesia glorificata non iam esse locum ligationis et solutionis, ideoque hic regnum caelorum, directe significatum, esse ecclesiam Christi, prout in terra existit (cf. Palmieri, De Rom. Pont. 260). Ergo in ecclesia Petrus habebit claves ad aperiendum et claudendum, i. e. potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, ut, quodcumque decreverit, Deus ratum habeat. Christus quidem per se est supremus Dominus ecclesiae, „qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit“ (Apoc. 3, 7. Cf. Is. 22, 22); at ipse cum Petro hanc potestatem communicat, ut Petrus suprema vicaria potestate in ecclesiam utatur. Traditio enim clavium alicuius loci, maxime apud orientales, semper significabat traditionem vel agnitionem potestatis supremae, saltem vicariae, in eum locum (cf. Wiseman, Die vornehmsten Lehren und Gebräuche der katholischen Kirche, ed. 3, Regensburg 1867, 289 sqq.).

**294.** *Acceperunt quidem etiam reliqui apostoli potestatem solvendi et ligandi* (Matth. 18, 18), et eatenus etiam aliquam potestatem clavium. At magna differentia adest inter hoc factum et illud, quod in c. 16 narratur: Matth. 18 Christus loquitur ad omnes apostolos iisque promittit potestatem, quae omnibus sit communis: Matth. 16 loquitur ad solum Petrum eique in remunerationem confessionis suae specialem praerogativam promittit: ergo Petrus, quamvis habeat communem illam potestatem cum reliquis apostolis, praeterea specialem potestatem habet, quae nulli alii apostolo convenit. Ibi Christus promittit apostolis potestatem ligandi et solvendi in genere, quae est potestas clavium intra ecclesiam; hic Petro dat non quomodocumque potestatem ligandi et solvendi, sed claves regni, i. e. supremam potestatem clavium super totam ecclesiam. Apostoli igitur ut apostoli inter se erant pares et independentes, sed omnes erant Petro subiecti, quia, quicumque sunt in regno, subiecti sunt ei, qui habet claves regni. Itaque Petro soli promissa sunt dignitas fundamenti ecclesiae et claves regni caelorum; ergo ipsi promissus est primatus iurisdictionis in universam ecclesiam (cf. Palmieri l. c. 270 sqq.; Knabenbauer, Comment. in Matth. II, ed. 3, 130 sq.; Concil. Collect. Lacensis VII 275b c).

Apostoli ab initio vim primatus Petro promissi non magis intellexerunt quam praedictam passionem et mortem Christi variasque alias res, et ideo disputabant de primo loco obtinendo, sed post diem pentecostes intellegentiam rei habuerunt, ut ait S. Ioan. Chrysostomus, loquens de rixa eorum circa primatum: „Nondum enim Spiritum Sanctum acceperant. Sed postea non tales fuerunt; ubique enim primas Petro concedunt et ad conciones publicas illum praeferunt, quamvis ceteris rudior videretur“ (In Matth. 14, 30, hom. 50, n. 2; M 58, 506). Et in Matth. 20, 24: „Viden, quantum imperfecti omnes essent, tum hi, qui decem illos praecedere tentabant, tum decem illi, qui duobus invidabant. Sed, ut dixi, post haec ostende illos mihi, et videbis omnibus his

affectibus vacuos. Audi, quomodo hic ipse Ioannes, qui nunc hac de causa accessit, primas semper Petro cedat et concionanti et miracula edenti in Actibus apostolorum . . . illumque sibi praeponit“ (ib. hom. 65, n. 4; M 58, 621 sq.). Tunc enim perspexerunt vim verborum: Tu es Petrus. . . . „Quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi [Petro] daturum [Christus] pollicetur; ut Pater Ieremiam alloquens, dicebat se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum (Ier. 1, 18), sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe“ (ib. hom. 54, n. 2; M 58, 534). Cf. Ottiger, Theologia fundam. II 97 sqq.

**295.** *Petrus non accepit promissionem primatus, ut erat persona privata, sed in utilitatem ecclesiae.* Quare recte SS. Patres docent ipsam ecclesiam in Petro accepisse claves, et clavium potestatem non cessasse cum Petri morte, ut montanistae et novatiani putabant. E. g. S. Augustinus: „Propter ipsam personam, quam totius ecclesiae solus gestabat, [Petrus] audire meruit: Tibi dabo claves regni caelorum; has enim claves non homo unus, sed unitas accepit ecclesiae“ (In nat. ss. apost. Petri et Pauli serm. 295, c. 2, n. 2; M 38, 1349. Cf. Tract. 124 in Io. n. 5; M 35, 1973; Serm. 149, c. 6, n. 7; M 38, 802). His igitur non negatur Petrum verum primatum iurisdictionis accepisse, sed statuitur eum hanc potestatem non sibi soli, sed ad utilitatem universae ecclesiae accepisse (cf. Ottiger, Theologia fundam. II 250 sqq.).

**296. Schol. 1.** *S. Petri auctoritas comparata cum auctoritate reliquorum apostolorum.*

*Si Petri auctoritas cum potestate reliquorum apostolorum comparatur,* Petrus vi illius promissionis a Christo acceptae erat caput non communium tantum fidelium, sed etiam ipsorum apostolorum; atque ideo poterat iis praecepta dare, poterat eorum leges solvere, ab iis dispensare, alias substituere. Patet quidem hanc potestatem primis temporibus, maxime quatenus respiciebat infallibiles apostolos, vix non semper mansisse in actu primo. Nihilominus aliqua manifestatio huius potestatis apparet in modo, quo S. Petrus agit in electione novi apostoli. Haec enim erat res, quae ex natura sua non pertinebat ad munus apostolatus ut tale, sed ad supremum regimen ecclesiae. Quare solus S. Petrus totum hoc negotium dirigendum suscipit (Act. 1, 15 sqq.). Tandem notandum est apostolatum sensu stricto fuisse institutum extraordinarium et transiens; quare post apostolos non venerunt alii eadem potestate iisdemque praerogativis instructi; sed Petri primatus erat munus ordinarium, quod perpetuo mansurum erat in ecclesia (cf. Palmieri l. c. 380 sqq., item supra n. 289 et Denz. n. 496).

297. *Schol. 2.* Tituli, qui Petro a SS. Patribus tribuuntur.

Ex dictis facile intelleguntur tituli, quibus SS. Patres Petrum honorare solent. Appellatur enim „ecclesiae petra“ (*Tertullianus*, De praescript. 22; *M* 2, 34); „ecclesiae fundamentum et petra solidissima, super quam Christus fundavit ecclesiam“ (*Origenes*, In Ex. hom. 5, n. 4; *M* 12, 329); „ecclesiae firmamentum“ (*Ambrosius*, De virg. 16, 105; *M* 16, 292); „caelestis regni ianitor“ (*Hilarius*, In Ps. 131, n. 4; *M* 9, 730); „apostolorum princeps“ (*Origenes*, In Luc. hom. 17; *M* 13, 1845); ὁ κορυφαϊότατος καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων (*Cyrril. Hierosol.*, Catech. myst. 2, 19; *M* 33, 408). *S. Basilius*: „Petrus ecclesiae aedificationem in se ipsum recepit“ (*Adv. Eunom.* l. 2, n. 4; *M* 29, 579). *S. Gregorius Naz.*: „Hic petra vocatur, et ecclesiae fundamenta ei committuntur“ (*Or.* 32, n. 18; *M* 36, 194). *S. Gregorius Nyss.*: „Hic firma et solidissima petra est, super quam salvator ecclesiam aedificavit“ (*Or. in S. Steph.* *M* 46, 734). Per multa alia similia exstant (cf. supra n. 289 et quae habentur in Breviario rom. diebus festis S. Petri, die 18 ianuarii et die 22 februarii; *Ottiger*, Theologia fundam. II 145 sqq.).

298. *Schol. 3* (dogmaticum). De aequalitate Petri et Pauli.

Ex dictis porro intellegitur, cur ab *Imocentio X* die 29 ianuarii 1674 reiecta sit doctrina *Antonii Arnauld de aequalitate apostolorum Petri et Pauli*: „Sanctissimus . . . propositionem hanc: S. Petrus et S. Paulus sunt duo ecclesiae principes, qui unicum efficiunt, vel: sunt duo ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces, summa inter se unitate coniuncti, vel: sunt geminus universalis ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel: sunt duo ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis ecclesiae, haereticam censuit et declaravit“ (*Denz.* n. 1091).

Sanctus quidem Paulus missionem suam immediate a Christo accepit, non a S. Petro, sicut et reliqui apostoli (*Gal.* 1, 1): at debebat ipse quoque aedificari super fundamentum universae ecclesiae et clavigero regni caelorum subici. De conatibus ostendendi ex dictis quorundam Patrum vel scriptorum alios apostolos Petro aequiparari vel praeferrari cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 198 sqq.

**Prop. XXIX.** Iesus Christus post resurrectionem suam Petro primatum promissum contulit.

299. *Pars I.* Petrus pastor ovium. Cum Iesus Christus Petro primatum promississet, certum est eum Petrum vere primatem ecclesiae fecisse, etiamsi huius rei nulla umquam mentio fieret. Christus enim, quidquid promisit, ad effectum perduxit. At in evangelio suo S. Ioannes nobis diserte testatur, quando Petrus promissam dignitatem acceperit,

scilicet in illa apparitione, qua Iesus se manifestavit discipulis suis ad mare Tiberiadis.

„Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos! Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos! Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? . . . Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas!“ (*Io.* 21, 15—17.)<sup>1</sup>

Christum hic loqui ad solum S. Petrum, quamvis nonnulli protestantes negaverint, manifestum est. Evangelista hoc affirmat: „Dicit Simoni Petro“; Christus hoc verbis exprimit: „Simon Ioannis, diligis me?“ Immo diserte eum ab aliis distinguit: „Diligis me plus his“ apostolis scilicet praesentibus? Ergo etiam illud verbum Christi „pasce“ soli Petro dicitur, sicut ad solum Petrum pertinent quae statim sequuntur de futura morte Petri: „Amen, amen, dico tibi: Cum esses iunior . . .“ (cf. *Passaglia*, De praerogat. S. Petri l. 2, c. 15, n. 223 sqq.).

300. Christus dicit Petro: Βόσκει τὰ ἀρνία μου, ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου. Quod ad lectiones variantes attinet, illud ἀρνία μου, quod primo loco ponitur, est critice plane certum. Secundo et tertio loco variantur lectiones inter πρόβατα et προβάτια. Quidquid est de hac differentia, Christus nominans agnos et oves indicat sine dubio totum gregem suum. Grex autem Christi sunt fideles, qui omnes pertinent ad unum ovile, cuius ipse est pastor (*Io.* 10, 14 sqq.). Cum ipse distinguat inter agnos et oves (vel oviculas), recte infertur eum indicasse in ovili suo esse aliquam inaequalitatem, quatenus ibi sint inferiores et superiores, ut per illa verba: „pasce agnos, pasce oves“, omnium inferiorum et superiorum cura Petro tradatur, ipseque constituatur omnium pastor.

Βόσκειν et ποιμαίνειν in textu ut synonyma adhibentur, et utrumque simpliciter munus pastorale erga fideles Christi significat. Pastorem hominum esse apud veteres scriptores, tum profanos (cf. *Homerus*, qui reges vocat ποιμένας λαῶν) tum sacros (e. g. 2 *Reg.* 5, 2; *Is.* 44, 28; *Matth.* 2, 6 graece), idem est atque regere homines seu potestatem iurisdictionis in eos habere. Quare Christus, qui supremam in fideles iurisdictionem habet, se ipsum vocat pastorem, cuius vocem oves suae audiant (*Io.* 10, 26 27).

301. Cum igitur hoc loco Christus soli Petro conferat iurisdictionem, necessario intellegitur primatus iurisdictionis; nam communem illam iurisdictionem, quae apostolatui annectitur, Petrus una cum reliquis

<sup>1</sup> Textus est critice certus. Omnes codices et versiones eum habent. Lectiones variantes substantiam rei non afficiunt. Etsi verbis 20, 30 sq. finis imponitur evangelio, potuit tamen Ioannes c. 21 postea addere ob certas causas, de quibus vide *Knabenbauer*, Commentar. in *Io.* 2 589 sq. vel alios exegetas catholicos.

apostolis accepit (Io. 20, 21); hic autem agitur de speciali praerogativa, quam solus Petrus a Christo accepit, postquam specialem in eum amorem professus est. Praeterea Petrus regendum accipit integrum gregem Christi, omnes, quotcumque designantur istis terminis: τὰ ἀρνία μου, τὰ πρόβατά μου = ἡ ἐκκλησία μου, ergo ipsos quoque apostolos, qui inter se sunt aequales et praepositi inferioribus fidelibus. Itaque si comparantur haec verba cum absoluta promissione primatus (Matth. 16), dubium esse nequit, quin Christus hic impleverit, quod tunc promisit, et Petrum universae ecclesiae primatem constituerit.

Hunc sensum his verbis subesse veteres scriptores omnes intellexerunt. Ita *Leo M.* (Serm. 4, c. 2; *M* 54, 149 sq.): „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque ecclesiae pastoribus praeponeatur, ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.“ *S. Ambrosius*: Petrus, „quia solus proficitur ex omnibus, omnibus antefertur. . . . Denique tertio Dominus non iam ‚diligis me?‘ sed ‚amas me?‘ interrogavit: et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret“ (In Luc. 1. 10, n. 175 sq.; *M* 15, 1848). *S. Bernardus*: „Cui, non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas“ (De consid. 1. 2, c. 8, n. 15; *M* 182, 751). Itemque multi alii (cf. *Passaglia*, De praerog. S. Petri l. 2, c. 15, n. 227 sq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 178 sqq.). Cf. *Knabenbauer*, Comm. in Io. 21, 15 sqq., p. 595 sqq.

**302. Pars II. Petrus in collegio apostolorum.** Supposito primatu Petri facile intellegitur singularis illa condicio, quam S. Petrus obtinet in evangelii et aliis libris Novi Testamenti.

a) *S. Petrus in catalogis apostolorum semper primo loco ponitur*, quamvis reliquorum apostolorum ordo permutetur (Matth. 10, 2. Marc. 3, 16. Luc. 6, 14. Act. 1, 13). A S. Matthaeo diserte dicitur „primus“ inter apostolos. Atqui non est primus, quia primus vocatus est ad apostolatam, cum duo alii ante eum vocati sint (Io. 1, 35 sqq.); neque quia aetate maxime proventus erat, cum nihil tale evangelistae indicent neque ordinem aetatis in catalogis servent. Non dicitur: Primus Petrus, qui senior erat; sed: „Primus Simon, qui dicitur Petrus“; ergo ratio primatus in eo est, quod Simon est Petrus. Neque illud „primus“ apud Matthaeum habet rationem enumerationis, cum non addatur: secundus, tertius. . . .

Adsunt locutiones, quae satis directe proponant Petrum ut caput collegii apostolici, ut illae: ὁ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ (Marc. 1, 36), ὁ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ (Luc. 9, 32), ὁ Πέτρος σὺν τοῖς ἑνδεκά (Act. 2, 14), ὁ Πέτρος καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι (Act. 2, 37), ὁ Πέτρος καὶ οἱ

ἀπόστολοι (Act. 5, 29). In aliis quibusdam textibus videtur quidem hic ordo non servari; at 1 Cor. 1, 12 est gradatio a Paulo, qui de se loquens infimo loco se ponit, ad Apollo, ad Petrum, ad Christum. Similiter 3, 22 et 9, 6. In unico textu, qui revera alium ordinem exhibet (Gal. 2, 9), lectio non est certa, cum multi codices et Patres legant primo loco Cephas. Ceterum merito, ubi sermo est de iis, qui Ierosolymis in honore erant, Iacobus, episcopus huius civitatis, poterat primo loco poni.

b) *Petrum Christus speciali modo honorat.* Nam soli Petro novum nomen indidit, quod ei mansit (Marc. 3, 16), in domo Petri habitare solebat, quando erat in urbe Capharnaum (Matth. 8, 14. Marc. 1, 29. Luc. 4, 38), e Petri nave docebat (Luc. 5, 3), Petro in specie dixit eum futurum piscatorem hominum (Luc. 5, 10). Miraculoso modo Christus affert staterem, quem Petrus solveret pro Christo et pro se ipso (Matth. 17, 26), cuius rei occasione videtur orta esse contentio inter discipulos, quis eorum futurus esset maior in regno caelorum (Matth. 18, 1). Christus speciatim pro Petro orat (cf. infra n. 509). Post resurrectionem Christi mulieres ab angelis mittuntur: „Dicite discipulis eius et Petro“ (Marc. 16, 7). Christus Petro apparet, cum hic erat solus (Luc. 24, 34. 1 Cor. 15, 5).

c) *Petrus, quando apostoli sunt simul, semper praesidet et omnium nomine loquitur.* Ita in electione Matthiae (Act. 1), ita die pentecostes (Act. 2), ita coram principibus et senioribus iudaeorum (Act. 4); ipse primus gentes ad ecclesiam admittit (Act. 10), ipse primus rem definit in concilio apostolorum (Act. 15), ipse universas ecclesias visitat et confirmat (Act. 9, 32 sqq.).

Haec omnia ostendunt Petri condicionem fuisse prorsus singularem in primitiva ecclesia. Quae autem fuerit ratio huius honoris, nisi erat primatus iurisdictionis, non apparet.

**303. Schol. 1 (dogmaticum). Doctrina Vaticani de primatu Petri.**

Ex dictis efficitur, quam iuste *conc. vatic.* declaraverit: „Docemus et declaramus iuxta evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei ecclesiam *immediate et directe* beato Petro apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas, postquam ille suam edidit confessionem inquires: Tu es Christus, Filius Dei vivi, sollemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon, Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam: et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem

in totum suum ovile dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas. Huic tam manifestae Sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum prae ceteris apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro sed ecclesiae et per hanc illi ut ipsius ecclesiae ministro delatum fuisse. Si quis igitur dixerit beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse, A. S.\* (*Denz. n. 1822 sq.*). Petrus eiusque successores sunt visibile caput ecclesiae ut vicarii Christi, qui est unum caput principale, sed non iam visibiliter in terra existens (*cf. M. d'Herbigny, De ecclesia I 99 sq.*).

#### 304. Schol. 2. Obiectiones contra primatum Petri.

Quae ab adversariis ex S. Scriptura contra primatum Petri proferuntur, pleraque statim apparent omni vi probandi destituta. Quod e. g. Petrus communi apostolorum consilio mittitur in Samariam (*Act. 8, 14*), quod iudaizantes ei obiciunt admissionem gentilium ad ecclesiam (*Act. 11, 2 sqq.*), quod Paulus in munere praedicationis se aequiparat Petro (*Gal. 2, 7*), haec omnia aperte primatum Petri relinquunt intactum.

Paulo maioris momenti videri potest, quod Paulus dicit se Petro in faciem restitisse (*Gal. 2, 11*). Vituperavit igitur Paulus Petrum; unde videtur colligi Petrum non fuisse Pauli superiorem. At duplex est correctio: auctoritatis et caritatis. Auctoritatem autem Paulum habuisse in reliquos apostolos nemo prudens dixerit; ergo fuit correctio fraterna, quae servatis servandis potest etiam ab inferiore superiori adhiberi. Nam si superioris agendi ratio scandalum parat, sive cum eius culpa sive sine eius culpa, inferior, qui convenienter potest, debet eum monere, etiam coram aliis, si hoc requiritur. Itaque cum Petri agendi modus reapse scandalum creasset, licet sine eius culpa, neque hoc malum aliter curari posse videretur, Paulus, qui ut apostolus gentium et collega Petri hoc ex omnibus convenientissime poterat, merito Petro coram aliis restitit.

Ceterum, quae dicit Paulus in epistula ad Galatas, tantum abest ut destruant primatum Petri, ut eum confirmant. „Post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum (*ἰστορήσαι Πέτρον*) et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Iacobum, fratrem Domini“ (*Gal. 1, 18 19*). Cur ascendit ad videndum Petrum, nihil curans de visitatione aliorum apostolorum? Cur dicit *ἰστορήσαι Πέτρον*? „Non dixit *ιδεῖν Πέτρον*, sed *ἰστορήσαι Πέτρον*,

quomodo loqui solent, qui magnas splendidasque urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operae pretium esse, etiam virum dumtaxat videre. . . . Nam et virum honore prosequitur et prae omnibus diligit; neque enim propter alium quemvis ex apostolis, sed propter ipsum solum se venisse scribit“ (*S. Io. Chrysost., In Gal. 1, 18; M 61, 631*)<sup>1</sup>. Praeterea tanta erat auctoritas Petri, ut, quamvis Paulus diserte doceret gentibus non esse iudaizandum, tamen sola conversatio Petri, quae contrarium innuere videbatur, sufficeret ad omnium animos perturbandos (*Gal. 2, 13 14*). Multo igitur maior erat auctoritas Petri quam Pauli (*cf. Zeitschrift f. kath. Theologie VII, Innsbruck 1883, 489; tract. de lege divin. posit. V, n. 530*).

**Prop. XXX.** Christus eo, quod instituit collegium apostolicum sub Petro primate ad homines docendos, regendos, sanctificandos, factus est auctor societatis religiosae supernaturalis, quam vocavit ecclesiam suam.

**305. Pars I.** *Christus instituit societatem religiosam.* Societas sensu stricto est coniunctio moralis et constans hominum sub communi auctoritate communem finem appetentium. Haec notio ex philosophia supponitur. Itaque cum homines tali modo iuncti ad Deum debito modo colendum conspirant, habetur societas religiosa (*cf. G. Wilmers, De Christi ecclesia, Ratisbonae 1897, 1 sqq.*).

Iam vero *Christus auctor est coniunctionis moralis et constantis hominum eosque communi auctoritati subiecit.* Eo enim ipso, quod misit apostolos ad homines docendos, regendos, sanctificandos, homines in unum coetum coniunxit iisque auctoritatem constituit. Ergo Christus societatem instituit. Utrum autem haec societas sit civilis an religiosa, ex fine pendet.

*Finem proximum appetendum Christus huic societati sanctificationem hominum proposuit.* Nam voluit, ut homines crederent revelationem divinam, ut paenitentiam agerent de peccatis suis, ut parati essent ad mandata sua servanda, ut sic dispositi baptismo sanctificarentur et in ecclesiam adunarentur. „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis“ (*Matth. 28, 19 sq.*). „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur“ (*Marc. 16, 16*). Oportet „praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes“ (*Luc. 24, 47*). Sic apostoli docuerunt et egerunt. Petrum praedicantem multi interrogaverunt: „Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Paenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum

<sup>1</sup> Quod attinet ad Chrysostomi doctrinam de primatu Petri, *cf. The Dublin Review 1903, 73 sqq.*

Spiritus Sancti. . . . Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria milia" (Act. 2, 37 sqq.). "Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata" (Eph. 5, 25 sqq.; cf. 4, 11 sqq. et supra n. 178). Ut postea in tractatu de Verbo incarnato dicitur, proximus finis adventus Christi est redemptio et sanctificatio hominum (IV, n. 390 sqq.). Ecclesia autem est societas, in qua finis a Christo intentus obtineri debet applicatione meritorum et satisfactionum Christi. Ergo sanctificatio hominum est finis proximus societatis ecclesiasticae a Christo institutae. Quare Christus orat Patrem: "Sanctifica eos in veritate. . . . Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro iis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro iis autem rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint" (Io. 17, 17 sqq.).

*Ultimus autem finis ecclesiae est glorificatio Dei per debitum cultum Dei in hac terra et in regno caelesti.* Cum glorificatio Dei in caelis sit ultimus finis totius ordinis revelati, sufficit dicere de glorificatione Dei per cultum Deo exhibitum ab ecclesia in his terris constituta. Intellegitur cultus sensu latissimo, quatenus consistit in professione fidei, in exercitio caritatis et aliarum virtutum, in Dei adoratione, brevi in omnibus iis actibus, quibus Deus vere glorificatur. Non quaeritur, num singuli homines praecise ut hi individui homines tales actus exercere debeant, sed num ecclesia, ut est societas, sit instituta ad Deum glorificandum. Atqui hoc ex dictis est evidens. Nam ecclesia instituta est ad doctrinam a Deo revelatam conservandam et propagandam (supra n. 261 sqq.), ad dirigendos homines, ut secundum voluntatem Dei vivant et salutem consequantur (n. 272 sqq.), ad exercendos illos ritus sacros, quorum Christus auctor est (supra n. 281 sqq.). Atqui his omnibus glorificatur Deus. Et haec quidem omnia ita comparata sunt, ut separata singulorum actione perfecte obtineri nequeant, sed necessario requirant societatem ecclesiasticam et socialem eius actionem, quatenus in hac societate alii praesunt, alii subditi sunt, alii docent, alii discunt, alii leges dant, alii oboediunt, alii ritus sacros applicant, alii recipiunt. Itaque ecclesia, ut omnis vera societas, est organismus moralis, cuius singula membra functiones suas habent; sed differt ab aliis societatibus, quatenus totum corpus et membra ut membra conspirant ad Deum glorificandum. De qua re ait S. Paulus apostolus: "Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus" (1 Cor. 12, 12 sq.). "Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati

estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. . . . Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi" (Eph. 4, 4 sqq.). "Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus" (1 Cor. 15, 28). Hic igitur est ultimus finis ecclesiae, finis utique religiosus. Ergo ecclesia est societas religiosa, "genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum" (1 Petri 2, 9). Plura vide apud *Straub*, De ecclesia Christi I 247 sqq.; *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 52 sqq.

Hunc esse sensum ipsius ecclesiae patet ex verbis *Leonis XIII* (Encycl. "Satis cognitum" 29 Iunii 1896): "Hoc sine ulla dubitatione est officium ecclesiae: christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia; immo ne finis quidem, cuius causa est ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines tum sanctos efficeret tum salvos. Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae. Ista igitur omnia inesse in ecclesia oportet. . . . Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eundemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus exsisteret iure sociatus, fidei, finis, rerum ad finem idonearum communionem unus, uni eidemque subiectus potestati" (cf. *Denz.* n. 1957 sqq.).

Quia autem ecclesiae finis et media sunt supernaturalia, *ecclesia est societas religiosa supernaturalis* (cf. *Straub* l. c. 268 sqq.).

**306.** *Hanc societatem Christus vocavit regnum suum.* Regnum aeternum messianicum iam vaticiniis Veteris Testamenti saepissime promissum erat, id quod prop. XX (praecipue n. 231 sqq.) vidimus. Ad haec vaticinia respiciens angelus, qui Christi nativitatem annuntiabat, dixit ad Mariam: "Ecce, paries filium, et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus

sedem (τὸν θρόνον) David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis" (Luc. 1, 31 sqq.). Pii homines illis temporibus erant exspectantes regnum Dei (Marc. 15, 43). Unde, ubi Iesus in publico apparere et docere coepit, omnes invitabantur, ut se huic regno adiungerent. „Paenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum" (Matth. 3, 2)<sup>1</sup>; nam „lex et prophetae usque ad Ioannem, ex eo regnum Dei evangelizatur" (Luc. 16, 16). „Et circumibat Iesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni" (Matth. 9, 35). Cum vero multi iudaei nollent se adiungere regno Dei, sed vellent regnum construere secundum suas ideas praeconceptas, Christus ait iis: „Dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius" (Matth. 21, 43). Boni vero iudaei Christo acclamabant: „Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel" (Io. 12, 13), „benedictum, quod venit, regnum patris nostri David" (Marc. 11, 10). Christus coram Pilato fatetur: „Rex sum ego" (Io. 18, 37), sed simul monet regnum suum non esse terrenum ad instar aliorum regnorum: „Regnum meum non est de hoc mundo" (Io. 18, 36). Quomodo non sit de hoc mundo, explicat discipulis suis: „Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus" (Io. 15, 19). Hoc regnum simile est arbori, in cuius ramis multae aves habitant (Matth. 13, 31 sqq.), simile est familiae regis (Matth. 18, 23), simile est vineae cum multis operariis (Matth. 20, 1 sqq.); hoc regnum continet in se bonos et malos, sicut sagena missa in mare colligit omnis generis pisces (Matth. 13, 47), vel sicut ager, in quo crescunt triticum et zizania (Matth. 13, 24 sqq.); sed in fine mundi angeli colligent de hoc regno omnia scandala, i. e. „eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis" (Matth. 13, 41 sq.). Itaque non potest esse dubium, quin regnum Christi sit societas visibilis in hac terra, ideoque simpliciter falsum est, quod volunt nonnulli protestantes, ecclesiam nulla ratione esse regnum Dei<sup>2</sup>. In textibus citatis simpliciter poni potest nomen ecclesiae Christi pro regno Dei, non vero salus supernaturalis. De metaphoris civitatis, domus, templi deque parabolis, quibus Christus naturam ecclesiae illustravit, cf. *Pasaglia*, De eccl. 1, 3; *J. Schäfer*, Das Reich Gottes, Mainz 1897, 109 sqq.

**307.** Sine dubio *regnum Dei vel regnum caelorum non absolvitur terrena ecclesiae forma, sed extenditur ad alteram vitam ibique sub alia*

<sup>1</sup> Solus Matthaeus loquitur de „regno caelorum", i. e. de regno messianico a Deo per prophetas promisso. Ceteri evangelistae pro pagano-christianis scribentes loquuntur de „regno Dei", qui terminus a gentilibus facilius intellegebatur. Ceterum ipse quoque Matthaeus saepe dicit „regnum Dei" (12, 28; 21, 31 etc.).

<sup>2</sup> *H. Cremer* (Wörterbuch der neutestam. Gräzität s. v. βασιλεία): „Nach allem erscheint das Reich Gottes in erster Linie als Heilsgut, nicht als Gemeinwesen, und ist als solches Besitz und zugleich Hoffnung der Gemeinde. . . . In keinem Falle ist die Kirche als Erscheinungsform des Reiches Gottes zu fassen."

*forma perficitur.* Qui status perfectus indirecte saltem semper respicitur, quando sermo est de regno caelorum. Saepe quoque directe significatur status alterius vitae, ut si Christus ait: „Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum; filii autem regni eicientur in tenebras exteriores" (Matth. 8, 11 12). At idem est regnum in terra in statu imperfecto, quod postea in caelo sub alia forma habebit totam suam perfectionem. Quia vero differentia specifica huius regni a regnis mundanis consistit in caractere spirituali et supernaturali, ideo Christus iudaeis, exspectantibus regnum Dei ad modum regnorum huius saeculi, respondet: „Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic! Ecce enim regnum Dei intra vos est" (Luc. 17, 20 21), i. e. nolite exspectare aliud regnum, nisi quod iam videtis intra vos in me et discipulis meis. Hic igitur non excluditur externa societas, sed inculcatur principalitas interni spiritus. Sicut Iesus Christus ipse non est de hoc mundo (Io. 8, 23), ita regnum eius non est mundanum, sed supramundanum et supernaturale (cf. infra n. 285).

**308.** *Comparat Christus hoc regnum suum cum grege collecto in unum ovile.* Illum enim novum pastorem, qui in vaticiniis erat praedictus, Christus se ipsum exhibet: „Ego sum pastor bonus . . . et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili [iudaico], et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et erit unum ovile et unus pastor" (Io. 10, 11 sqq.). Vicarios vero pastores Petrum et sub eo reliquos apostolos instituit, id quod etiam praedictum erat per prophetas: „Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina" (Ier. 3, 15; cf. 23, 4).

**309.** *Pars II. Christus hanc societatem vocavit ecclesiam.* Quia nomina regni, ovilis, vineae etiam ad instituta humana applicantur, Christus nomen, quod societati a se fundatae proprium esset, elegit illud ecclesiae. Hoc quidem nomen ipse bis tantum in evangeliiis usurpavit (Matth. 16, 18 et 18, 17); at iam ab apostolis christiana societas hoc nomine ut proprio appellari solet (Act. 5, 11; 8, 3; 20, 28. 1 Cor. 10, 32; 11, 16 22; 14, 12; 15, 9. Gal. 1, 13). Per se solum nomen significat universam societatem christianam (Eph. 1, 22; 3, 21; 5, 23 sqq. 1 Tim. 3, 15), cum addito vero aut in numero plurali significat etiam particulares coetus christianos (1 Cor. 4, 17; 14, 33. Act. 15, 41). Interdum significat publicum fidelium conventum (1 Cor. 11, 18), posterioribus vero temporibus materiale quoque aedificium, in quod fideles conveniunt ad peragenda sacra mysteria (postea τὸ κυριακὸν οἶκεῖον, ut in edicto Maximini apud *Eusebium*, H. E. 9, 10; *M* 20, 833). Cf. *Battifol*, L'Église naissante 87 sqq.

Vocabulum ecclesiae in Septuaginta plerumque ponitur pro hebraico  $\text{קְהָל}$  et significat totum populum israeliticum ut coetum Deo dedicatum



(Deut. 23, 2 sq. 1 Par. 28, 8. Neh. 13, 1. Mich. 2, 5). Vocabulum  $\kappa\eta\rho\eta$  plerumque vertitur  $\sigma\upsilon\nu\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ , quamvis haec duo vocabula interdum ut synonyma adhibeantur. In Novo autem Testamento communitas fidelium Veteris Testamenti solet vocari synagoga, communitas vero fidelium Novi Testamenti vocatur ecclesia (cui regulae non obstant Hebr. 10, 25 et Iac. 2, 2. Cf. *Franzelin*, De ecclesia 7, nota; *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 34 sq.). Quamvis igitur ecclesia vi vocis (= evocatio seu coetus eorum, qui vocatione collecti in unum convenerunt) possit quemlibet conventum, sive sacrum sive profanum, significare, in sacris tamen libris Novi Testamenti et apud scriptores christianos significat universitatem eorum, qui sub auctoritate apostolica christianam religionem profitentur, quia hi ad Deum colendum a Christo per apostolos vocati in unum corpus morale convenerunt (cf. *J. Schäfer*, Das Reich Gottes 1 sqq.).

*Potest igitur definiiri ecclesia*: coetus hominum, qui eiusdem fidei professione et eorundem sacramentorum communione sub apostolicis pastoribus eorumque primatu regnum Christi in terris constituunt (cf. *Bellarmin.*, De ecll. 3, 1; *Suarez*, De relig. tr. 7, l. 1, c. 2, n. 2). Hac definitione omnia elementa, quae prioribus propositionibus ex Christi institutione ad ecclesiam pertinentia probavimus, continentur.

### 310. Schol. 1. De variis placitis protestantium recentium.

Per ea, quae diximus, refutata sunt *varia placita protestantium recentium*, qui ecclesiam, ut a Christo instituta est, veram societatem hierarchice ordinatam fuisse negant. Volunt igitur Christum ab initio docuisse tantum homines rectum modum colendi Deum ut Patrem caelestem et se praeparandi ad futurum regnum Dei, sectatores vero Christi postea necessitate adactos in externos quoque coetus coisse et ad hos formandos elementa practica ex republica romana, elementa vero doctrinalia ex philosophia graeca mutuatos esse. Ex hac compositione ortam esse ecclesiam catholicam, quae a Christo fundata non sit<sup>1</sup>.

Non negamus, idque multo ante hos pseudotheologos notum erat, ecclesiam tum ex philosophia gentili tum ex institutis civilibus multa transsumpsisse, quia rationi congruit, rationabilia, ubicumque inveniuntur, agnoscere et in usum convertere; neque enim admittimus, quod hi rationalistae volunt, fidem christianam ab initio fuisse irrationabilem

<sup>1</sup> *Harnack*, Lehrbuch der Dogmengeschichte I<sup>4</sup> 48 51 57 sq. 81 sqq. Haud multum dispar est opinio cuiusdam theologi catholici, qui extenuata iuridica institutione ecclesiae a Christo facta, communitatem christianorum caritate mutua, interna novae vitae experientia, nativa quadam necessitate se ipsam formasse in ecclesiam sine speciali Christi mandato tam audacter affirmat, ut dicat eos qui alio sensu loquantur „de actu foundationis ecclesiae“, „adulterare historiam“. Videlicet aliter loquitur magisterium ecclesiasticum, quod contrariam doctrinam semper ut catholicam proposuit, immo saepius sollempniter definivit. Cf. *H. Dieckmann* in Zeitschrift für kath. Theologie 1922, 630 sqq.

quendam entusiasmum sine ullis firmis doctrinae principiis, sed dicimus eam semper fuisse rationabile obsequium (Rom. 12, 1) et amicam sanae rationis, cuius servitium non respuebat, sed requirebat et supponebat. Negamus Christum ipsum non instituisse ecclesiam hierarchicam, sed eam sine intentione et mandato Christi ex rerum adiunctis paulatim formatam esse. Contrarium probavimus ex evangeliiis, neque adsunt ullae rationes, ob quas textus, ex quibus doctrinam nostram probavimus, sint critice dubii. Neque adversarii indicare possunt tempus, quando ecclesia hierarchica nondum exstiterit. Dicunt quidem temporibus Cypriani hierarchiam perfectam esse, sed simul debent agnoscere iam Callistum pontificem auctoritati suae fortiter instituisse; at, inquit, haec fuit pura arrogantia; debent agnoscere Tertullianum et Irenaeum iam apostolicam successionem episcoporum ut vinculum unitatis et firmamentum veritatis praedicasse; at, inquit, haec est contradictio contra reliquam eorum doctrinam; debent agnoscere in orientali ecclesia e. g. Clementem Alexandrinum visibilem ecclesiam docuisse; at, inquit, hoc polemice docuit contra haereticos, non thetice ut articulum fidei christianae.

Ita student levissimis effugiis singula testimonia enervare; dein recurrunt ad quaedam scripta anonyma vel etiam apocrypha, quae plerumque de rebus plane diversis tractant, et si ibi doctrinam de ecclesia hierarchica non inveniunt expositam, statim concludunt illis temporibus hanc doctrinam nondum exstitisse. Tandem suas proprias hypotheses ut theses proponunt, et quidem eo maiore fiducia, quo debiliora, immo nulla habent argumenta, hisque praestitis se gerunt, quasi totam doctrinam catholicam egregie confutaverint et suam opinionem solide stabiliverint. Itaque dummodo ne quis se obrui sinat ostentatione eruditionis, quae persaepe plane non est ad rem, de qua agitur, sed poscat vera argumenta et veras solutiones nostrorum argumentorum, statim videbit istas theorias, quas iactant, esse inania figmenta et mera spectra scientifica. Plura in progressu tractatus videbimus.

Similes theorias atque Harnack proponunt Harnackii magister *A. Ritschl* (Die Entstehung der altkatholischen Kirche, ed. 2, Bonn 1857), *I. Köstlin* (Realenzyklopädie für protest. Theol. X, ed. 3, 315 sqq.), *Hatch* (Die Gesellschaftsverfassung der christlichen Kirchen im Altertum, übersetzt von *Harnack*, Gießen 1883), *I. Réville* (Les origines de l'épiscopat, Paris 1894), alii. At hi, quamvis in neganda divina institutione ecclesiae unanimes sint, in ponendis propositionibus quam maxime inter se dissentiunt. (Cf. infra n. 356.)

### 311. Schol. 2 (dogmaticum). Quomodo ecclesia ab initio mundi exstiterit.

*Ecclesia Christi, si secundum amplissimam notionem accipitur, recte dici potest iam exstitisse ab initio mundi.* Nam cum post primum pec-

catum homines salvi fieri non iam possent nisi per merita Christi, ideoque Christus esset, saltem implicite, obiectum fidei et cultus eorum, patet eos omnes, qui ab initio mundi fideles fuerint, aliquo vero sensu fuisse membra ecclesiae Christi: „Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt ecclesiae constituti“ (*Gregorius M.* l. 5, ep. 18; *M* 77, 740. Cf. *Euseb.*, H. E. 1, 4; *M* 20, 75 sq.; *S. Leo*, Serm. 3, c. 4; *M* 54, 147; *Auctor incert.* De voc. gent. 2, 5; *M* 51, 691; *S. August.*, In Io. tract. 45, n. 9; *M* 35, 1722, et *Retract.* 1, 13, 3; *M* 32, 603; *S. Thom.* 3, q. 8, a. 3; *Suarez*, De fide disp. 9, sect. 2, n. 3). Ea de causa in Sacra Scriptura Abraham exhibetur pater omnium credentium, et omnes populi praedicuntur confluxuri ad montem Sion et aedificaturi civitatem sanctam Ierusalem (supra n. 231 sqq.). Sive enim in oeconomia praeparationis sive in oeconomia perfectionis, omnes credentes uniuntur in uno capite Christo. Idem valet de oeconomia expiationis in purgatorio et de oeconomia glorificationis in caelo: „Una civitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis [beatis] opitulatur“ (*S. August.*, De civ. Dei 10, 7; *M* 41, 284). Quia per Christum, novum caput, omnia restituuntur, quae per Adam, primum caput, perierant. haec restitutio vocatur ἀνακεφαλαίωσις (Eph. 1, 10), quae suo modo etiam angelos respicit (Col. 1, 18 sqq. Hebr. 12, 22 sqq. Cf. *S. August.*, Enchir. 61 62; *M* 40, 260 sq.; In Ps. 36, serm. 3; *M* 36, 383). Haec est ecclesia Christi, in quantum est *Communio Sanctorum*, cuius membra omnia sub hoc respectu uno quidem vinculo internae gratiae (saltem fidei), non vero eadem externa auctoritate coniunguntur, ideoque non est id, quod intellegimus, quando de ecclesia ut de societate a Christo instituta loquimur (cf. *Franzelin*, De eccl. thes. 2).

**312.** Quamvis etiam in Vetere Testamento vero aliquo sensu fuerit ecclesia Christi, tamen *synagoga ab ecclesia Christi simpliciter dicta multis modis distinguitur*. Synagoga enim erat non sacer tantum coetus, sed etiam civilis; ecclesia nulla ratione est regnum huius mundi. Synagoga erat societas nationalis, ecclesia est societas universalis. Synagoga erat typus, ecclesia est antitypus. Synagoga conferebat sanctitatem legalem, ecclesia confert sanctitatem internam. Synagoga erat quidem status perfectior, comparata cum lege naturae quam vocant; in hac enim lege coniunctio membrorum ad unam ecclesiam erat laxior, cum tota auctoritas religiosa, qua homines in unum coniungerentur, esset penes capita familiarum seu patriarchas, quorum iudicio pro rerum condicione cultus divinus determinabatur. In lege autem mosaica cultus divinus unus erat pro toto populo, una auctoritas religiosa, a Deo determinata. (Cf. V, n. 464 sqq.) Nihilominus haec omnia a Deo instituta erant non ratione sui, sed ut typus essent futurorum bonorum, quae propria sunt ecclesiae Christi. Quapropter omnia erant imperfecta: sacrificia, sacramenta, magisterium, et propter

suam imperfectionem abolenda erant per institutionem Novi Foederis et ecclesiae Christi proprie dictae (cf. *Franzelin* l. c. thes. 3 et 4).

**Prop. XXXI.** Christus voluit, ut ecclesia a se instituta morte apostolorum non interiret, sed usque ad finem mundi permaneret.

**313. Pars I.** Cum societas possit institui aut ad tempus aut in perpetuum, quaeritur, utrum Christus societatem temporariam an perennem instituerit. *Christus voluit, ut ecclesia esset societas perennis*. Dixit enim se venisse ad implenda ea, quae in Vetere Testamento praedicta erant. Atqui praedictum erat regnum aeternum et foedus perpetuum. Ergo regnum a Christo institutum est regnum aeternum (e. g. Ps. 2 88 109; Mich. 4, 1 sqq.; Is. 55, 3 sq.; Dan. 2, 44; 7, 14). Quare angelus de Christo annuntiat: „Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis“ (Luc. 1, 32 sq. Cf. Hebr. 12, 27 28). Porro Christus diserte docuit regnum suum duraturum esse usque ad ultimum iudicium. Tunc enim et non prius separabuntur omnes mali homines, qui vivunt in ecclesia cum bonis, et deinceps in regno Christi soli iusti erunt (Matth. 13, 40 41 49). Ergo ecclesia usque ad finem mundi permanebit; ideo Christus ait: „Et portae inferi non praevalent adversus eam“ (Matth. 16, 18). Cf. supra n. 178.

**314.** *Eandem doctrinam variis modis apostoli proponunt*. Ecclesia enim est corpus Christi, Christus vero caput eius (1 Cor. 12, 12 sqq.); Eph. 1, 22 23; Col. 1, 18 etc.). Atqui corpus Christi non peribit, sed debet continuo aedificari, „donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi“ (Eph. 4, 13). Similiter Christus est sponsus, qui numquam relinquet ecclesiam, sponsam suam (Eph. 5, 22 sqq. Cf. Os. 2, 19 20). Quare illa verba Aggaei prophetae (2, 7): „Adhuc semel, et ego movebo non solum terram sed et caelum“ (Hebr. 12, 26), explicantur de abrogatione Veteris Foederis et de institutione Novi Foederis: „Quod autem ‚adhuc semel‘ dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam“ (Hebr. 12, 27 28). Ecclesia enim instituta est, ut per eam omnes homines ad fidem et salutem ducantur. Ergo tamdiu permanere debet, quamdiu adsunt homines ad fidem et salutem ducendi; nam Deus „omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire“ (1 Tim. 2, 4).

**315.** *Idem censuit christiana antiquitas; ideo ab omnibus semper postulavit hanc fidem: „Credo unam sanctam ecclesiam.“* Hic autem non posset esse articulus fidei, nisi ecclesia semper permaneret. Quare *S. Ambrosius* ait: „Ecclesia tempora sua habet, persecutionis videlicet et pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest“ (Hexaem. 4, 2, 7; *M* 14, 190). *S. Hier-*

*onymus*: „Super quam [petram] fundata ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur“ (In Is. 4, 6; *M* 24, 74). *S. Augustinus*: „Non vincetur ecclesia, non eradicabitur, nec cedit quibuslibet tentationibus, donec veniat huius saeculi finis“ (In Ps. 60, n. 6; *M* 36, 726. Cf. in Ps. 103, serm. 2, n. 5; *M* 37, 1353). Hoc etiam valet de magna illa persecutione et discessione, quae in fine mundi futura est (Matth. 24, 12-24. Luc. 18, 8. 2 Thess. 2, 3. 1 Tim. 4, 1). Tunc enim, ut hi ipsi textus indicant, quamvis multi defecturi sint, electi tamen in fide et caritate persistent.

**316. Pars II.** *Christus voluit, ut perenne esset ministerium apostolicum.* Mittens enim apostolos suos ad homines docendos, regendos, sanctificandos, promittit iis: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“ (Matth. 28, 20). Vobiscum sum in exercendo illo munere, ad quod misi vos, ut debito modo eo fungamini, et quidem continuo usque ad consummationem saeculi. Ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος est finis illius temporis, quod praecedit secundum adventum Christi seu ultimum iudicium (Matth. 13, 40-49; 24, 3).

Ut autem apostoli munere suo bene fungerentur, Christus promisit et dedit illis Spiritum Sanctum, sicut iam praedictum erat in Vetere Testamento: „Hoc foedus meum cum iis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum“ (Is. 59, 21). De hoc Spiritu Christus dicit: „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis“ (Io. 14, 16-17. Cf. Io. 7, 38-39).

Apostolus, postquam narravit institutionem sacramenti corporis et sanguinis Christi, addit: „Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat [ad iudicium]“ (1 Cor. 11, 26). Ergo, donec veniat Christus, sacramenta ab eo instituta in ecclesia celebranda sunt.

Ut igitur ministerium apostolicum perpetuaretur, instituerunt apostoli successores (Act. 14, 22. 1 Tim. 1, 3-18; 4, 14. Tit. 1, 5), iis contulerunt potestatem regiminis (1 Tim. 5, 7-19-20. Tit. 2, 15), iis iniunxerunt, ut alios post se instituerent (Tit. 1, 5)<sup>1</sup>. De qua re *Clemens Rom.* scribit: „Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. . . . Itaque acceptis mandatis . . . egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant“ (1 Cor. 42). „Constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum

<sup>1</sup> *Apollonius*, qui scripsit circa finem saeculi II, tamquam ex veterum traditione haec refert: Dominum apostolis suis praecepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent“ (*Eusebius*, H. E. 5, 18; *M* 20, 479).

illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent“ (ib. 44). *S. Irenaeus*: „Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos“ (Adv. haer. 3, 3, 1; *M* 7, 848). Idem docuerunt alii, ut non possit esse dubium, quin inde ab apostolis semper perpetuum sit munus apostolicum in ecclesia, idque ob mandatum a Iesu Christo acceptum.

**317. Pars III.** *Christus voluit, ut perennis esset primatus in ecclesia.* Ideo enim primatum instituit, ut hoc firmissimo fundamento ecclesia solidaretur ad impetus portarum inferi sustinendos. Cum igitur ex una parte aedificium sine fundamento nullam habeat soliditatem, ex altera vero parte ecclesia semper impugnationi inferi resistere debeat, Christus utique voluit, ut ecclesia semper solidaretur illa firmitate, quae ei ex primatu ut fundamento accedit. Nullibi enim Christus aliud remedium indicavit, quo ecclesia, priore fundamento remoto, firmata et stabilienda esset; sed dicit se velle supra Petrum aedificare totam ecclesiam suam, τὴν ἐκκλησίαν μου. Illa igitur suprema potestas docendi et regendi, qua Petrus est fundamentum ecclesiae, tamdiu durare debet, quamdiu durat ipsa ecclesia, i. e. usque ad finem mundi.

Similiter Christus Petro pascendum, i. e. instruendum et regendum tradidit integrum gregem suum: Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Integer autem grex Christi non iis tantum constituitur fidelibus, qui temporibus S. Petri vivebant, neque his tantum pastoralis cura impendenda erat sed omnibus, qui in posterum in Christum credituri erant (Io. 17, 17 sqq.). Unius gregis unus debet esse pastor supremus, estque hoc munus ordinarium, ad gregem bene servandum necessarium. Petrus igitur, qui hoc munus a Christo accepit, non accepit ut extraordinarium et temporarium, sed ut ordinarium et perpetuum, i. e. pro se et successoribus suis.

Primatus Petri institutus est ad constituendam ecclesiam perfecte unam. Perfecta autem unitas semper convenire debet ecclesiae, siquidem semper „corpus unum est“ (1 Cor. 12, 12 sqq.); ergo principium huius unitatis, i. e. primatus, semper in ecclesia exsistere debet. Neque enim vere una esset ecclesia, si singulis tantum particularibus ecclesiis praeesent episcopi (cf. *Bellarmino*, De Rom. Pont. 2, 12; *Palmieri*, De Rom. Pont. thes. 7).

**318. Testatur hanc fidem antiquitas christiana,** sed quia plurima argumenta postea afferenda sunt, pauca interim sufficiant. *S. Ambrosius*: „Ubi Petrus, ibi ecclesia“ (In Ps. 40, n. 30; *M* 14, 1082). *S. Cyprianus*: „Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata“ (Ep. 43, n. 5; *H* 2, 594). *S. Petrus Chrysologus*: „Beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem“ (inter Epist. Leonis M. Ep. 25; *M* 54, 743). *S. Leo M.*: „Beatus Petrus in accepta fortitudine petrae

perseverans suscepta ecclesiae gubernacula non reliquit" (Sermo 3, c. 3; *M* 54, 146). Cf. supra n. 297 et *Petar.*, De eccl. hierarch. 3, 16.

319. Itaque primatus Petri est quidem praerogativa personalis, quatenus illi praeter reliquos apostolos data est, non vero quasi cum illo exstinguenda sit. Etsi dignitas apostolatus stricte dicti cum apostolis cessavit, quia, quae ad ecclesiam primum fundandam necessaria erant, non iam requirebantur, postquam ecclesia fundata erat, tamen, quae pertinent ad internam constitutionem ecclesiae, ut fundamentum ad domum et pastor ad gregem, permanere necesse est. Ipsi protestantes, qui primatum Petri vel saltem perennitatem huius primatus negant, suo exemplo ostendunt, quam misere in sectas et conventicula dilabatur societas supremo unitatis principio orbata. Tam miserum autem statum dissensionis et discordiae certe ecclesiae suae Christus noluit esse proprium. Modernistarum doctrina de mutabilitate ecclesiae merito damnata est (*Denz.* n. 2091 2094); nam ecclesia non vere permanet, si continenter alias et alias essentialiter formas constitutionis, regiminis, fidei, cultus accipit.

Novatores omnes, sive provocant ad novas revelationes supernaturales, sive ecclesiam reformare student secundum placita rationis suae naturalis, manifeste contradicunt iis, quae Christus et eius apostoli de perennitate ecclesiae docuerunt (cf. *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 76 sqq.).

## SECTIO II.

### DE NATURA ET PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

#### QUOMODO HAEC SECTIO CUM PRIORE COHAEREAT.

320. Illis ipsis argumentis, quibus probavimus Iesum Christum instituisse ecclesiam, multa quoque didicimus de natura huius societatis. Nihilominus *conceptus ecclesiae magis expoliendus est*, ut naturam et proprietates eius penitus intellegamus. Quamvis enim Christus ipse omnia essentialia ecclesiae instituerit, et quamvis haec institutio in evangeliiis clare proponatur, tamen et ipsum opus a Christo institutum et cognitio huius operis progressu temporis magis evoluta sunt. Unde non sufficit considerasse ea, quae in evangeliiis narrantur, sed praeter ea examinanda sunt documenta, quae exstant e primis saeculis religionis christianae, ut ex iis discamus effectum institutionis Christi. Nam quod Christus ut legatus divinus instituit, non potuit sine effectu manere. Sicut ex institutione Christi possumus a priori concludere, qualis effectus reapse secutus sit, ita ex examine effectus magis patebit, quae fuerit voluntas Christi in instituenda ecclesia.

321. *Diu quidem protestantes conati sunt ostendere temporibus medii aevi opus a Christo institutum plane corruptum et eius loco subrogatum*

esse aliud opus, per ambitiosos homines ad instar civilis potestatis formatum et externo regimine instructum, quod a mente Christi quam alienissimum sit. Ita omnes protestantes sentiebant de primatu, plurimi etiam de episcopatu et de sacro regimine generatim (cf. *Möhler*, Symbolik § 45 50). At multi *recentiores protestantes, evidentia historica adacti, concedunt ecclesiam catholicam cum tota sua hierarchia adfuisse inde a medio saeculo III*, attamen dicunt eam non a Christo institutam, sed per tria prima saecula, variis causis cooperantibus, paulatim ortam esse<sup>1</sup>.

Itaque ostendendum est ecclesiam semper fuisse essentialiter eandem, eiusque causam non aliam esse nisi institutionem Christi. Argumentabimur praecipue ex documentis trium primorum saeculorum, neque vero neglegemus documenta posteriorum temporum, quia nostrum est non solum adversarios refutare, sed etiam verum ostendere. Quodsi in hac sectione nonnulla documenta afferemus, quae directe referuntur ad ecclesiam romanam, non ideo hoc fit, ut hic iam probemus ecclesiam romanam esse veram ecclesiam Christi (hoc enim in sectione III fiet), sed solum ut explicemus notionem ecclesiae Christi ut societatis hierarchicae et monarchicae, et ut quaestiones dogmaticas affines absolvamus, ne postea ad eandem rem redeundum sit.

### Prop. XXXII. Ecclesia est societas visibilis.

322. Priusquam incipimus agere de singulis proprietatibus ecclesiae a Christo institutae, ante omnia quaestio solvenda est, *possimusne de ecclesia Christi, prout hic et nunc existit, aliquid scientificè cognoscere et probare*. Hoc quidem *protestantes saepe negarunt, dicentes veram ecclesiam Christi esse invisibilem et soli Deo notam*. Lutherus enim et alii haeresiarchae saeculi XVI, interrogati a catholicis, quomodo per tot saecula Christus potuisset relinquere ecclesiam suam in gravissimis erroribus, respondebant Christum non reliquisse ecclesiam suam, at non eam esse veram ecclesiam Christi, quae extrinsecus appareret, sed eam, quae oculis hominum occulta Deum recto modo coleret<sup>2</sup>. Nihilominus cum contra Lutherum alii haeretici exstitissent et declarassent se quoque Spiritum Dei habere nec quicquam curare de communionem cum lutheranis, Lutherus subito intellexit externam quoque ecclesiam esse necessariam, ut veri fideles a perturbatoribus (den

<sup>1</sup> „Man darf sagen, daß die Reichskirche in dem Momente fertig geworden ist, in welchem Diokletian die große Reorganisation des Reiches unternahm. . . . Der Katholizismus war nun fertig“ (*Harnack*, Dogmengeschichte I<sup>4</sup> 455 sq.).

<sup>2</sup> „Die Gemeinde oder Sammlung heisset aller derer, die im rechten glauben, hoffnung und lieb leben, also das der christenheit wesen, leben und natur nicht sei leiblich versammlunge, sondern eine versammlung der hertzen in einem glauben“ (*Luther*, Vom Bapstthumb. *Möhler*, Symbolik § 46. Cf. *Hettinger*, Fundamentaltheologie<sup>2</sup> 461 sqq.).

Schwarmgeistern) dignosci possent<sup>1</sup>. Itaque hic ut alibi saepe Lutherus non dubitabat, prout opportunitas requirere videbatur, contradictoria statuere. Similiter *posteriores protestantes semper ancipites haerebant* inter conceptum ecclesiae invisibilis, qui iis utilissimus erat in impugnanda doctrina catholica, et inter doctrinam ecclesiae visibilis, qua se non plane carere posse intellegebant. Immo usque ad nostra tempora de hac re acerbissime inter se dimicant, aliis omni vi conantibus confortare „auctoritatem ecclesiasticam“ et constituere aliquam hierarchiam ad exemplar hierarchiae romanae, aliis e contra negantibus religionem christianam, ut quae sit aliquid pure internum et personale, indigere talibus fulcris periculosus potius quam utilis.

*Multi protestantes student hanc litem eo modo componere, ut admittant duplicem ecclesiam, alteram invisibilem, alteram visibilem, quarum illa hac contineatur, quarum illa complectatur solos praedestinos vel solos iustos, haec eos omnes, qui christianam fidem profiteantur et rectum usum sacramentorum habeant; quarum illa deficere non possit, haec vero possit. Alii aliter rem explicant. Qui plenioram ideam huius confusionis babylonicae acquirere cupit, legat e. g. quae habet Patricius Murray in tractatu De eccl. disp. 5, sect. 1, n. 15 sqq. (I 553 sqq.). Cf. Bellarm., De conciliis et eccl. 3, 11, et Suarez, Defens. contra reg. angl. 1, 7. Ex recentibus protestantibus: W. Kahl, Bekenntnisgebundenheit und Lehrfreiheit, Berlin 1897. A. Agricola, Bekenntnisgebundenheit und Lehrfreiheit unter dem Gesichtspunkt des Rechts, Eisenach 1898. Secundum modernistas distinguendum est inter ecclesiam „officialem“ externam, et veram ecclesiam invisibilem, quae cum sola communio ad salutem est necessaria (cf. Carbone, De modernistarum doctrinis 242).*

323. Nos igitur dicimus *ecclesiam esse visibilem, et quidem ecclesiam reduplicative sumptam*, i. e. ut veram ecclesiam Christi; neque enim ulla secta haeretica tam stultam doctrinam tradet, ut dicat se ne materialiter quidem esse visibilem, cum societas humana concipi non possit, quae sit plane invisibilis. Sed quaestio est, sitne ecclesia ex institutione Christi talis, ut in ratione ecclesiae Christi sit visibilis. Eam autem esse visibilem nihil aliud significat nisi eam nobis esse cognoscibilem, seu eam se eo modo manifestare, ut mediis cognitionis, quae nobis praesto sunt, eam ut ecclesiam cognoscere et ab omni alio

<sup>1</sup> Ita contra sacramentarios (qui negabant realem Christi praesentiam in eucharistia) scribit: „Welches Zeugniß der ganzen heiligen christlichen Kirche (wenn wir schon nichts mehr hätten) soll uns allein genugsam sein, bei diesem Artikel zu bleiben und darüber keinen Rottengeist noch zu hören noch zu leiden: denn es gefährlich ist und erschrecklich, etwas zu hören und zu glauben wider das einträchtige Zeugniß, Glauben und Lehre der ganzen heiligen christlichen Kirchen, so sie von Anfang her nun über 1500 Jahre in aller Welt einträchtiglich gehalten hat“ (Brief an den Herzog Albrecht von Preußen. Möhler, Symbolik § 48, nota 2).

coetu discernere possimus. Visibilitas igitur refertur ad modum sese manifestandi, obiectum autem, quod manifestatur, nequaquam secundum omnia sua constitutiva est immediate sensibile. Ad ecclesiam enim essentialiter pertinent multae res spirituales et supernaturales, quae non possunt per se videri, ut Spiritus Sanctus et dona eius, quae ubi desunt, certe ibi non est ecclesia Christi, et tamen in se sunt invisibilia. Nihilominus sicut homo, quamvis habeat partem invisibilem, i. e. animam, tamen dicitur visibilis, quia externa sua existendi et agendi ratione manifestatur ut homo, ita ecclesia est visibilis, quia certis quibusdam proprietatibus sensibilibus manifestatur ut ecclesia Christi. Et hae quidem proprietates, quibus ecclesia est sensibilis seu visibilis, sunt essentialia eius constitutiva; nam si ecclesia esset in se invisibilis et solum per accidentales effectus quosdam externos se manifestaret, simpliciter dicenda esset invisibilis sicut Deus, qui, quamquam ex effectibus sensibilibus cognoscitur, tamen simpliciter invisibilis est. Ergo possumus recte ita dicere: *Visibilitatem ecclesiae constituunt quaedam eius proprietates sensibiles, quae eam ut ecclesiam Christi manifestant*. Cum ecclesia sit corpus mysticum Christi seu quodammodo Christus continuatus, in ecclesia, sicut in ipso Christo, ea, quae extrinsecus visibilitate immediata apparent, ab iis, quae intrinsecus latent et solum mediate visibilia sunt, ita informantur, ut, sicut Christus est unum suppositum physicum, totum quidem, sed non secundum totum visibile, ita ecclesia sit unum suppositum morale, totum quidem visibile, sed non secundum totum. Ergo vides ecclesiam non dici eo sensu visibilem, quod mere sensibili perceptione apprehendatur ut ecclesia; hoc enim est absurdum, sed quod sensibilia, quae exhibet, ea sunt, ex quibus ratio (gratia illustrata) possit veram eius naturam cognoscere et intellegere hanc esse illam societatem, quam Christus instituerit ad homines docendos, regendos, sanctificandos.

324. *Argumentum.* Deus, si voluisset religionem christianam ita instituere, ut non esset coetus visibilis, sed esset tantum numerus fidelium debito modo Deum colentium sine sociali colligatione, soli Deo notus, ipse immediata revelatione doceret singulos homines eosque dirigeret in rebus religiosis. Atqui hunc agendi modum, utpote non convenientem naturae humanae, numquam secutus est in religione positiva instituenda; sed sicut in Vetere Testamento legatos suos ad homines misit, ita etiam in Novo Testamento misit visibilem legatum eumque visibilibus signis legatum suum demonstravit. Porro hic legatus divinus alios magistros humanos elegit et iis officium docendi, regendi, sanctificandi homines per media visibilia imposuit, et hoc munus apostolicum perenne esse voluit. Iam vero hoc visibile magisterium et regimen, quod mediis humanae cognitioni perviis sese ut legitimum probat, imprimis intellegitur, quando ecclesia dicitur visibilis. Eo enim ipso, quod hoc magisterium ut authenticum cognoscunt, homines vident ecclesiam

Christi. Quare Christus ecclesiam suam appellat nominibus, quae visibilem societatem significant, ut sunt nomina ovilis, vineae, familiae, alia, quae supra (n. 306 308) consideravimus.

Reapse nihil aliud intendebant haeretici statuendo ecclesiam invisibilem nisi hoc externum magisterium et imperium reicere et oboedientiam ei debitam negare et ad internum, quod praetendebant, spiritus testimonium se recipere. Cum igitur probatum sit Christum instituisse magisterium et imperium externum et perenne, probata est ecclesia visibilis.

Si iam magis singillatim inquiris, *quid sit visibile in ecclesia*, ita responderi potest: Visibiles apostoli a Christo visibili modo instituti sunt, et ab ipsis visibili modo alii instituti sunt, et ab his rursum alii, et ita usque ad nostrum tempus. Tota igitur haec res absolvitur obiectis et argumentis sensibilibus et historicis. Similiter visibile est, qui homines per visibilia media a Christo instituta ecclesiae adiuncti sint et visibili magisterio adhaereant et ei oboedientiam profiteantur. Eodem enim modo, quo cognosci potest, num quis se profiteatur civem regni germanici vel anglici, cognosci quoque potest, num se profiteatur membrum ecclesiae Christi. Itaque ex elementis, quae constituunt ecclesiam Christi, visibilia sunt, et quidem formaliter ut elementa constituentia ecclesiae Christi: *magisterium* authenticum, unitas praedicationis et professionis, *imperium* sacrum cum suis legibus, iudiciis et sanctionibus et correspondens disciplina ecclesiastica, *sacerdotium* cum visibilibus ritibus sacris et fructu sanctitatis etiam visibili. Haec omnia Christus in sua ecclesia adesse voluit; haec extra ecclesiam Christi nusquam inveniuntur; haec, ubi adsunt, etiam annexa habent invisibilia elementa, sine quibus ecclesia Christi esse nequit: gratiam, virtutes etc. Unde, sicut scio animam adesse, cum video hominem agentem, ita, ubi triplex illud ministerium apostolicum video exerceri, scio dona interna adesse, quae quodammodo animam ecclesiae constituunt. Ergo haec interna sunt mediate visibilia per illa externa.

325. Est autem *vanum effugium quorundam protestantium*, qui dicunt utique non posse umquam cultores religionis christianae existere sine ulla externa communionem, sed hanc externam communionem esse solum „massam ecclesiasticam“ et se habere accidentaliter ad veram ecclesiam Christi invisibilem et posse a veritate fidei deficere et reapse saepe defecisse (cf. *Murray*, De eccl. I 258 sqq.).

At nonne mirum est Christum numquam de illa invisibili ecclesia locutum esse neque umquam dixisse: Doctrinam meam tradam sine doctore, regam et sanctificabo homines sine externo regimine et sacerdotio: sed semper locutum esse de illa externa ecclesia, de collegio apostolorum et primatu Petri, de potestate, quam habeant, docendi, ligandi, solvendi, de oboedientia ipsis debita etc.? Hoc signum est Christum unam ecclesiam eamque visibilem instituisse, illam vero alteram ecclesiam invisibilem esse commentum haeticorum.

326. Iam *vaticinia Veteris Testamenti*, quae ab illis protestantibus admittuntur, eos erroris convincunt. Visibilitas enim futuri regni messianici magna cum emphasi effertur, cum ecclesia Christi describatur ut mons excelsus et sublimis super omnes montes, ad quem omnes populi confluent, ut signum levatum in nationes (Is. 2, 2; 11, 12).

Varia haec vaticinia SS. Patres coniungunt cum verbis Christi: „Non potest civitas abscondi supra montem posita“ (Matth. 5, 14), et dicunt illum montem et hanc civitatem esse ecclesiam Christi omnibus hominibus conspicuam. E. g. *S. Basilius*: „Quomodo enim tunc mons Domini fiet conspicuus? Quo item pacto domus Dei collocabitur in montium cacuminibus? . . . Domus Dei in montium cacuminibus sita ecclesia est iuxta apostoli sententiam. Sciendum est enim, inquit, quomodo oporteat versari in domo Dei, quae est ecclesia Dei viventis [1 Tim. 3, 15], cuius fundamenta sunt in montibus sanctis; est enim aedificata supra fundamentum apostolorum et prophetarum“ (In Is. n. 66; *M* 30, 234). *S. Io. Chrysost.* de illis verbis „Erit in illis diebus manifestus mons Domini“ ait: „Manifestus. Id nulla deinceps interpretatione indiget, sic ipsa rerum natura tuba clariorem emittit vocem, splendorem ostendens ecclesiae. Etenim neque sol ita splendidus neque eius lux ita clara est, ut sunt τῆς ἐκκλησίας τὰ πράγματα. Nam domus Dei supra verticem montium“ (In Is. c. 2, n. 2; *M* 56, 29). *S. Augustinus*: „Numquid sic [ut digito lunam] ostendimus ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? Nonne manifesta? Nonne tenuit omnes gentes? . . . Ecce mons implens universam faciem terrae, ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi super montem constituta. . . . Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium (Is. 2, 2). Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrum novit Olympum montem? quomodo ibi qui habitant, Giddabam nostrum non norunt. In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae, et de illo dicitur: ‚Paratus in cacumine montium.‘ Mons est super cacumina omnium montium“ (In epist. Io. ad Parth. tract. 1, n. 13; *M* 35, 1988. Multa alia vide apud *Murray*, De eccl. I 284 sqq.). Quae clare ostendunt, quantopere distet illa doctrina de invisibili ecclesia a sensu antiquitatis christianae<sup>1</sup>.

327. At, inquit protestantes: Quomodo ecclesia credi potest, si videtur? Respondeo, quia nihil impedit, quominus idem sub una ratione credatur, quod sub altera videtur. Nonne Christus a multis hominibus visus est? et tamen ab omnibus credi debuit. Visus, i. e. cognitus est, etiam ut legatus divinus et Filius Dei, quatenus per visibilia signa

<sup>1</sup> „Auf die verzweifelte Idee einer unsichtbaren Kirche ist man [in den ersten Jahrhunderten] nicht verfallen“ *Hernack*, Dogmengeschichte I<sup>4</sup> 415, nota 5).

hominibus se ostendit et, quem se esse professus erat, probavit. Creditus est et creditur, quatenus est obiectum revelationis Dei, qui de eo testimonium perhibuit. Similiter ecclesia, in quantum est visibilis, a nobis scitur et scita praebet motivum credibilitatis; in quantum a Deo revelata est, pertinet ad obiecta materialia fidei et ob auctoritatem Dei assensum nostrum postulat. Responsum hoc difficultatem plane solvit iis, qui admittunt idem posse sub alia et alia ratione esse obiectum scientiae et fidei. Qui aliud sentiunt, viderint ipsi. Certe non placet haec distinctio: illud, quod sit visibile in ecclesia, sciri, illud vero, quod sit divinum, credi. Nam scire debemus ecclesiam esse divinum institutum, priusquam ei fidem, quam postulat, adhibere possimus, et ex altera parte etiam ea, quae sunt visibilia in ecclesia, credi debent.

Quod interdum obiciunt non posse a nobis cognosci, num homines habeant internam fidem et characterem baptismalem, sine quibus nemo possit esse membrum ecclesiae, non est ad rem. Hic enim non quaeritur, num hic vel ille homo possit videri pertinere ad ecclesiam, sed num ecclesia, ut est societas religiosa a Christo instituta, videri possit. Si ecclesia videtur, eo ipso constat in illo coetu non deesse interna elementa, sine quibus ecclesia Christi esse non potest.

Neque textus illi Scripturae (Matth. 13, 44. Luc. 17, 20 21. Eph. 5, 25 27. Hebr. 12, 18 22 23. 1 Petri 2, 5), quibus spiritualis natura ecclesiae et idealis eius perfectio exprimitur, sunt contra nostram thesim; nam spiritualia non negamus, sed dicimus ea non esse sine visibili corpore, et concedimus ecclesiam adducendam esse ad statum perfectum, in quo corpus eius non erit quidem ablatum, sed glorificatum.

### 328. Schol. (dogmaticum). De membris ecclesiae.

Cum quaestione de visibilitate ecclesiae cohaeret quaestio de membris eius; nam ecclesia non potest esse visibilis, nisi adsit norma, qua possimus distinguere eos, qui sunt membra eius, ab iis, qui non sunt. Membrum enim esse est idem atque actu ad visibile corpus pertinere.

Duae tamen quaestiones hic non sunt confundendae: prior, num generatim cognosci possint membra ecclesiae; altera, num speciatim constet hunc vel illum hominem esse membrum ecclesiae. Hae enim sunt duae res valde diversae; sicut in civili quoque societate sine dubio generatim constat, qui sint cives alicuius regni, et tamen possunt esse singuli homines, de quibus dubium est.

Itaque ille sine dubio est membrum ecclesiae, qui triplici illi potestati, quam Christus instituit, se subiecit: et magisterio quidem infallibili per verae fidei professionem, ministerio sacro per baptismi receptionem, regimini ecclesiastico per debitam oboedientiam. Nam fide et baptismo homo ingreditur ecclesiam (Marc. 16, 16. Act. 2, 41; 8, 12 36; 18, 8. Eph. 4, 5): sine oboedientia autem nemo potest manere

in ecclesia (Matth. 18, 17). Ex debita subiectione sub potestatem ecclesiasticam oritur illa coniunctio membrorum inter se, quae requiritur ad unitatem corporis socialis (1 Cor. 1, 10). Cf. *Denz.* n. 696 895.

329. Sequitur manifeste non baptizatos et notorios haereticos et schismaticos et iuste excommunicatos non esse membra ecclesiae. Notandum autem est in iis, qui nondum possint sua voluntate esse aut fideles aut inoboedientes, ut sunt infantes, alia via suppleri, quod deest ex parte voluntatis eorum. Dummodo igitur hi rite baptizati sint, sunt membra ecclesiae (*Denz.* n. 869); sed si, postquam adoleverunt, voluntarie ecclesiae resistunt, ab ipsa separantur et, non obstante valido baptismo, non manent membra ecclesiae.

Quia vero homines baptizati, sed in haeresi educati possunt bona fide errare, quaeritur, num tales accensendi sint membris ecclesiae. Respondeo non esse, cum desit visibile vinculum cum ecclesia. Nihilominus in voluntatis proposito manent membra ecclesiae, cuius auctoritati implicite se subiciunt (cf. *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 252 sqq.).

E contra si quis servat externam cum ecclesia coniunctionem, membrum ecclesiae manet, quamvis intus sit haereticus et in voluntatis proposito ab ecclesia defecerit. Hoc quidem negant nonnulli, ut *Suarez* (De fide disp. 9, sect. 1, n. 23 sqq.); sed *Bellarminus* (De eccl. milit. 3, 10), *Palmieri* (De Rom. Pont. 43 sqq.), alii communius affirmant. Et merito; nam omnibus fatentibus episcopus vel parochus occulte haereticus retinet iurisdictionem; immo si quis concedit absolute fieri posse, ut summus pontifex sit occulte haereticus (contrarium saltem non est certum), debet concedere occulte haereticum posse esse caput ecclesiae. Atqui vi muneris iurisdictionem in ecclesia habere et a fortiori caput ecclesiae esse nemo potest, qui non sit membrum ecclesiae<sup>1</sup>. Ergo occulte haereticus manet membrum ecclesiae. Hoc qui negaverit, visibilitatem ecclesiae in periculum vocat (cf. *Straub*, De ecclesia Christi II 1292 sqq.).

Quid, si quis censetur baptizatus et in communionem ecclesiae vivit, sed revera sine sua culpa non est baptizatus? Respondet *Innocentius III* (potius *Innocentius II*) „de presbytero non baptizato“: „Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum et caelestis patriae gaudium adeptum asserimus incunctanter“ (*Denz.* n. 388). Quibus verbis videtur innui talem hominem esse membrum ecclesiae, cuius rei ratio est, quia non sola interna gratia baptismi voto obtinetur, sed externa

<sup>1</sup> Non negatur posse per auctoritatem ecclesiasticam ex speciali ratione etiam iis, qui ab ecclesia separati sunt, iurisdictionem concedi, sicut e. g. ecclesia dat omnibus sacerdotibus, etiam nominatim excommunicatis, facultatem moribundos absolvendi. Sed in textu dicitur, quid per se et quasi ex natura rei fiat. Cf. *Codex iuris can.* can. 2261.

quoque coniunctio per subiectionem hominis ab auctoritate ecclesiastica agnitam perficitur. Haec est differentia a catechumenis, qui nondum agnoscuntur perfecte ecclesiae uniti (cf. *Straub* l. c. n. 1304 sqq.). Alii tamen aliter sentiunt, ut e. g. *Bellarminus* (l. c. 3, 10), *Wilmers* (De Christi ecclesia 627), *Palmieri* (l. c. Proleg. § 11, n. 4), *Billot* (De ecclesia Christi I, Romae 1898, 295 sq.).

330. *Etiam in illis, qui actu non sunt membra ecclesiae, est tamen, quamdiu in hac vita sunt, aliqua relatio ad ecclesiam.* Soli damnati ab ea sunt plane separati. Omnes homines viatores in hoc ordine rerum voluntate Dei salvifica destinantur ad ecclesiam (1 Tim. 2, 1 4). Porro ii, qui characterem baptismalem habent, subiecti sunt iurisdictioni ecclesiasticae, licet forte hoc invincibiliter ignorent. Nam hi homines indelebili modo consecrati sunt cultui Dei, qui in sola ecclesia secundum institutionem divinam peragitur. Etiam propinquiorem ad ecclesiam relationem ii habent, qui solum excommunicati sunt, quia hi ad tempus tantum pro poena a communione ecclesiastica separantur, ut hac re territi ad meliorem frugem redeant. Immo nonnulli dicunt eos manere membra ecclesiae (*Suarez* l. c. disp. 9, sect. 1, n. 14), sed alii melius hoc negant (*Bellarmin.* l. c. 3, 6).

331. Similiter de catechumenis dissentiunt theologi, quia alii dicunt eos voto tantum et potentia proxima esse membra ecclesiae (*Bellarmin.* l. c. c. 3), alii volunt esse membra actualia (*Suarez* l. c. disp. 9, sect. 1, n. 18), cum iis ab auctoritate ecclesiastica paenitentiae et poenae imponantur et consequenter tractentur ut actualia ecclesiae membra. Sed certum est ab auctoritate ecclesiastica non considerari quemquam coniunctum corpori ecclesiae nisi per baptismum (saltem praesumptum), per quem solum homo iurisdictioni ecclesiasticae subicitur (*Conc. florent.* decr. pro Arm.; *Denz.* n. 696. *Conc. Trid.* sess. 14, De paen. c. 2; *Denz.* n. 895). Itaque paenitentiae, quas subire debent catechumeni, iis imponuntur per legem divinam, ut acquirant dispositionem requisitam ad baptismum recte suscipiendum; ex parte ecclesiae vero nihil fit, nisi ut haec lex divina iis proponatur et explicetur. Poenae, quae catechumenis pro criminibus imponuntur, sunt dilatio vel negatio baptismi. Haec igitur impositio paenitentiarum vel poenarum non ostendit catechumenos actu esse membra ecclesiae. Ex altera autem parte catechumeni habent actum fidei supernaturalis, unde possunt pervenire ad actum perfectae caritatis et per hunc iustificari. Omnis autem fidelis et multo magis omnis iustificatus particeps est illius principii vitae supernaturalis, quod dicitur anima ecclesiae, et quod per se ibi tantum adest, ubi est corpus ecclesiae, per accidens vero etiam extra hoc corpus. Ergo catechumeni non sunt simpliciter dicendi membra ecclesiae, quia vocabulum membri proxime ad corpus refertur, sed dicendi sunt actu pertinere ad animam ec-

clesiae, voto vero et potentia proxima ad corpus ecclesiae (cf. *Straub* l. c. n. 1279 sqq.)<sup>1</sup>.

332. Prorsus vero *falsum est dicere omnes et solos iustos vel praedestinos pertinere ad ecclesiam*; nam possunt esse praedestinati, in quibus adhuc omnia desiderantur, quibus homo constituitur membrum ecclesiae (cf. 1 Cor. 6, 9 sqq.); et possunt esse vera membra ecclesiae, quae in peccatis moriuntur et damnantur. Similiter dicendum est de iustis et peccatoribus, quamvis nunc nemo possit esse iustus, qui non voto saltem pertineat ad corpus ecclesiae. Peccatores inveniri in ecclesia ostendunt parabola Christi de decem virginibus, de zizaniis in agro etc., idem supponitur in epistulis apostolorum (cf. 1 Cor. 11, 30; Gal. 6, 1; 2 Tim. 2, 20 etc.). Contraria doctrina saepius damnata est (cf. *Denz.* n. 627 629 631 632 646 1422 sqq. 1515). Nihilominus non eodem perfecto sensu peccatores pertinent ad ecclesiam quo iusti, quia vinculum gratiae, quo cum Christo capite et cum aliis membris coniungantur, deest. Quia autem hoc vinculum non est unicum, manent uniti vinculis fidei et subiectionis ecclesiasticae, et sic pertinent ad Christum et ad mysticum corpus eius; peccato autem separati sunt a Christo et facti sunt quodammodo membra diaboli. Porro potest quis membrum alicuius societatis esse et tamen vero eius spiritu non informari, et de tali homine recte dicitur: Non est verum membrum huius societatis. Eodem modo possumus de eo, qui profitetur quidem fidem catholicam, spiritum tamen catholicum non habet et postea deficit, dicere: Ille numquam verum membrum ecclesiae fuit (cf. 1 Io. 2, 19). Similes locutiones non simpliciter intellegendae sunt, sed sub certo illo respectu, qui subintellegitur, sicut dicimus: Hic non est verus miles, hic non est verus germanus, vel alia similia. In his enim locutionibus idealis potius status respicitur, qui debet esse, quam realis status, qui actu est. Hac ratione intelleguntur quaedam dicta apud S. Augustinum frequentia: malos videri esse in ecclesia, reapse esse foris, et cetera, de quibus vide *Palmieri*, De Rom. Pont. 47 sqq.; *Straub*, De ecclesia Christi II, n. 1235 1241 1249 sqq.

Totam hanc quaestionem de membris ecclesiae dogmatice egregie tractat *Franzelin*, De eccl. thes. 22 23. Latius idem exponunt *Murray*, De eccl. I 143 sqq.; *Passaglia*, De eccl. 3, 33 sqq.; *Straub* l. c. n. 1229 sqq. Communissime receptae censi possunt illae sententiae, quas proponit *Bellarminus*, De eccl. milit. 3, 2—10.

### Prop. XXXIII. Ecclesia est societas hierarchica.

333. Vidimus Christum potestatem docendi, regendi, sanctificandi homines solis apostolis dedisse et omnes homines sub poena aeternae

<sup>1</sup> *Codex iuris can.* can. 1239, § 1: „Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint.“ § 2: „Catechumeni, qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt.“



damnationis obligasse officio se illis subiciendi. Cum praeterea Christus nullo signo indicaverit societatem a se institutam postea in aliam mutandam esse, sed potius eam perennem esse voluerit, constat ecclesiam ex Christi institutione esse societatem hierarchicam.

**334.** *Hierarchia est sacer principatus*; ideo ecclesiam esse societatem hierarchicam nihil aliud significat nisi eam esse societatem inaequalem, in qua ex institutione divina sint alii praepositi, alii subditi, alii auctoritative docentes et praecipientes, alii ex obligatione audientes et oboedientes, quamvis, ut in omni alia societate fieri solet, iidem, qui praesunt sub una ratione, sub alia ratione subiecti sint et sic pertineant simul et ad ecclesiam docentem et ad ecclesiam audientem<sup>1</sup>. *Sacer* (ἱερός) dicitur hic principatus, quia ex positiva institutione Dei ortus est et circa obiecta sacra versatur.

Cum dicta evangeliorum iam examinaverimus, restat, ut in reliqua scripta primae aetatis christianae, sive libris sacris accensentur sive non accensentur, inquiramus et videamus, quid de constitutione ecclesiae doceant. Nam si in omnibus libris primitivae aetatis religionis christianae ecclesia apparet hierarchice constituta, inane est supponere eam unquam non fuisse hierarchicam, aut hanc constitutionem a Christo intentam non esse.

### 335. Testimonia S. Scripturae.

*In omnibus scriptis Novi Testamenti videmus eam divisionem fidelium quam iam ex evangelis probavimus, in praepositos et subditos.* Paulus comparat coniunctionem fidelium cum corpore organizato, cuius „omnia membra non eundem actum habent“, sed alia ad alias functiones serviunt. Ita in ecclesia sunt, quorum munus est docere, exhortari, praeesse (προϊστάμενοι) in sollicitudine (Rom. 12, 4 sqq.). Monentur fideles: „Mementote praepositorum (ἡγουμένων) vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. . . . Oboedite praepositis vestris et subiacete iis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri“ (Hebr. 13, 7 17). Et iterum: „Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos et praesunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum, pacem habete cum iis“ (1 Thess. 5, 12 sq. Cf. 1 Tim. 5, 17). Praepositis vero ipsis dicitur: „Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo“ (1 Petri 5, 2 3).

<sup>1</sup> Excipitur solus romanus pontifex, qui caput est ecclesiae nullique subiectus. Nihilominus ipse quoque veritate revelata et definitionibus dogmaticis astringitur, ipse quoque per sacramenta a Christo immutabiliter instituta sanctificari debet et in foro conscientiae confessario subicitur.

**336.** *Est autem distinguendum ordinarium munus docendi et regendi ab extraordinariis charismatis, revelationibus, prophetiis, dono scientiae aliisque, quae ab initio ecclesiae Deus saepe concessit christianis; haec enim tunc dabantur „in signum“ ut ait S. Paulus, i. e. ad probandam et confirmandam veritatem doctrinae christianae sive fidelibus sive infidelibus (1 Cor. 14, 22). De his charismatis loquitur S. Paulus maxime in epistula 1 ad corinthios (12 sqq. Cf. Eph. 4, 11). Numquam quidem talia charismata in ecclesia plene defuerunt; sed eo minus necessaria sunt, quo magis ordinarium magisterium et regimen ecclesiae perfecte constitutum est, ideoque postea non iam tanta abundantia concessa sunt, quanta in prima ecclesia (cf. Döllinger, Christentum und Kirche 296 sqq.). Omissis igitur his extraordinariis donis videndum est de muneribus ordinariis.*

**337.** *Erant semper in ecclesia munera ordinaria, quae a Spiritu Sancto non immediate sed mediantibus hominibus conferebantur. Ita apostoli constituebant per singulas ecclesias presbyteros vel episcopos et iuebant alios eorum successores institui (cf. Act. 11, 30; 14, 22; Tit. 1, 5). Institutio fiebat per sensibilem ritum impositionis manuum cum oratione (Act. 14, 23 graece. 1 Tim. 4, 14; 5, 19 22. 2 Tim. 1, 6. De χειροτονία cf. VII, n. 570 601 sqq. 607 sqq. 615 sqq. 623 sqq., et Petav., De eccl. hier. 1, 8, 10; 2, 6, 6 sqq.), et illi, qui ita instituti erant, non habebant ut apostoli iurisdictionem in universalem ecclesiam, sed in illam particularem ecclesiam, cui praepositi erant (Act. 14, 22; 20, 28. 1 Thess. 5, 12. Tit. 1, 5 sqq. 1 Petr. 5, 2). Sic in primis capitibus apocalypsis septem ecclesiis Asiae minoris septem videmus praepositos fuisse „angelos“, i. e. episcopos, quorum munus esset servare doctrinam ab apostolis acceptam, arcere doctrinas contrarias et falsos doctores, vigilare et confirmare fideles in vera doctrina (Apc. 2, 2 14 15 20; 3, 2 3 9).*

**338.** *Horum praepositorum tria nomina occurrunt; vocantur enim episcopi, presbyteri, diaconi. Numquam primis temporibus appellationes iudaicae sacerdotum et levitarum applicantur ad ministros ecclesiae, id quod sine dubio factum est, ut ipsis iam nominibus ostenderetur haec munera non esse continuationem veteris sacerdotii. Postea vero, cum omne periculum talis suspicionis remotum esset, frequenter christianorum quoque ministri sacri vocati sunt sacerdotes et levitae, retentis tamen simul prioribus nominibus. Nomina autem episcopi et presbyteri occurrunt iam in versione Septuaginta, et inde videntur esse transsumpta in religionem christianam. Sanctus enim Petrus verba Psalmi 108, 8 applicat ad Iudam: Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λαβέτω ἕτερος (Act. 1, 20), ubi notandum nomen ἐπισκοπῆς non inveniri apud profanos scriptores. Ἐπίσκοπος est inspector, praefectus, praeses (cf. Num. 4, 16; 31, 14; Iud. 9, 28; 4 Reg. 11, 15 18 etc.). Πρεσβύτερος est senior*

(cf. Luc. 15, 25; 1 Tim. 5, 2: presbyteria) vices gerens populi (Ex. 19, 7 sq.; cf. 3, 16 18; 4, 29 sqq.), membrum collegii electi ad regendum populum (Num. 11, 16), membrum synedrii iudaici (cf. Dan. 13, 28 61, graece ante c. 1; Iudith 10, 6; 1 Mach. 12, 6 35; Luc. 22, 66. Cf. *Hundhausen*, Erster Brief Petri 429, nota 2). Ex usu igitur versionis Septuaginta utrumque nomen significat munus publicum, cui iurisdictio quaedam est annexa. Diaconi autem nomen significat ministrum.

339. Iam si rem ipsam aspicimus, quae his nominibus in Novo Testamento indicatur, *episcopi* praepositi sunt gregi suo ad regendam ecclesiam Dei (Act. 20, 28), ad praedicandum, ad faciendum opus evangelistae, i. e. ad explicandam et inculcandam rectam doctrinam (1 Tim. 4, 16. 2 Tim. 4, 2 sqq. Tit. 1, 9), ut dirigant publicum cultum (1 Tim. 2), ut administrent sacramenta (1 Tim. 5, 22), brevi, ut in rebus ecclesiasticis sint προεστῶτες, laborantes in verbo et ministerio sacro (1 Tim. 5, 17), ut, si opus sit, etiam iudicent et arguant (1 Tim. 5, 19 20. Tit. 1, 5 13; 2, 15). Debent igitur in sua ecclesia exercere tria illa munera, quae apostoli acceperant pro toto mundo.

*Diaconi* vero constituti sunt ad iuvandos episcopos in functionibus suis, maxime quidem in negotiis temporalibus (Act. 6), sed etiam in praedicando evangelio (Act. 6, 8 sqq.) et in administrando sacramento baptismi (Act. 8, 5 sqq.).

Maiores difficultates est de *presbyteris*, quia in libris Novi Testamenti nullus textus invenitur, ex quo cum certitudine deduci possit, quae distinctio intercedat inter episcopum et presbyterum. Posteriora vero documenta ecclesiastica diserte testantur presbyteratum esse ordinem intermedium inter episcopatum et diaconatum, et hunc quoque ordinem a Christo Domino esse institutum. Ita oritur quaestio, quomodo intellegendi sint illi textus S. Scripturae, in quibus vocabula episcopi et presbyteri synonyma esse videntur.

340. Inter omnes convenit *episcopos saepe nomine presbyterorum appellatos esse*. Ita e. g. Act. 20, 17 28: [Παῦλος] μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας . . . εἶπεν αὐτοῖς . . . Προσέχετε . . . τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Similiter 1 Petr. 5, 1; Tit. 1, 5 7.

Idem usus τοὺς ἐπισκόπους vocandi presbyteros etiam apud quosdam posteriores scriptores animadvertitur. Ita *S. Irenaeus* ait: „Iis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt“ (Adv. haer. 4, 26, 2: M 7, 1053). Cf. Epist. ad Florinum, in qua suos praedecessores vocat presbyteros (ib. 1227), et Epist. ad Victorem papam, ubi romanos pontifices vocat presbyteros (ib. 1230).

341. Cum igitur certum sit episcopos vocatos esse presbyteros, non convenit inter doctos, num in S. Scriptura simplices quoque presbyteri vocati sint episcopi. Duo loci, qui dubitationem habent, sunt Act. 20, 17, ubi sermo est de episcopis Ephesi, et Phil. 1, 1, ubi Paulus salutatur episcopos, qui sunt Philippis. Videntur igitur in una urbe plures fuisse, qui vocabantur episcopi. Suntne hi omnes episcopi, an hoc nomine etiam veniunt presbyteri?

Prima opinio est *Petavii*, qui censet nomen episcopi numquam datum esse simplicibus presbyteris, sed temporibus apostolorum in una eademque urbe plures episcopos fuisse institutos, ut semper parati essent, qui possent ad alias provincias vel urbes recens conversas mitti (Dissert. eccl. 1, 2. Cf. tamen De eccl. hier. 2, 5 et 4, 1). Sed haec opinio est singularis neque ullo exemplo historice noto confirmatur, cum ubique unius civitatis unus appareat episcopus, ut e. g. in primis capitibus apocalypsis. Immo veteres scriptores diserte docent unius civitatis unum tantum posse esse episcopum (cf. *S. Ignat.*, Ad philadelph. n. 4; *Cyprian.*, De unit. eccl. n. 8; *H* 1, 216). Itaque haec sententia relinquenda est.

342. Sententia secunda est simplices presbyteros vocatos esse episcopos. Hanc plures e SS. Patribus defendunt, ut *S. Ioannes Chrysostomus* (In Phil. 1, 1; M 62, 183): Οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι. *Theodoretus* in eundem locum (M 82, 560): Ἐπισκόπους δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ ἀμφοτέρω γὰρ εἶχον κατ' ἐκείνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα. *S. Hieronymus*: „Idem est presbyter, qui et episcopus“ (In Tit. 1, 5; M 26, 562). Similiter *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Ambrosiaster*, *S. Thomas* 2, 2, q. 184, a. 6 ad 1. Secundum hanc sententiam facile explicatur, cur in S. Scriptura numquam conumerentur episcopi, presbyteri, diaconi, sed episcopi tantum et diaconi (e. g. 1 Tim. 3). Si enim nomen episcopi sacerdotes primi et secundi ordinis significat et plane identicum habetur cum nomine presbyteri, non possunt haec duo nomina adhiberi ad significandas duas classes distinctas. Potest haec sententia eo confirmari, quod apostolus in epistula ad philippenses prius salutatur omnes episcopos, qui sunt Philippis, et postea unum alloquitur ut collegam: γνήσιε σύνζυγε (4, 3). Hic igitur, cui epistula tradita esse videtur, speciali modo erat apostoli collega, i. e. erat ceteris episcopis seu sacerdotibus praepositus et ita sensu pleno episcopus. Sed sensus illorum duorum vocabulorum est incertus.

*A. Michiels* contendit omnes illos, qui primo saeculo dicuntur episcopi, non fuisse nisi simplices sacerdotes: sacerdotes vero primi ordinis tunc nondum habuisse nomen proprium neque sedes fixas, sed ad instar apostolorum fuisse missionarios (prophetas, evangelistas). Apostolos vero vel eorum socios missionarios munus regendi ecclesias a se fundatas tradidisse collegio sacerdotum simplicium et interim supremam iurisditionem sibi reservasse. Paulatim vero singulis ecclesiis prin-

cipalibus praepositum esse unum virum plena potestate ordinis et iurisdictionis praeditum ad illam particularem ecclesiam regendam; ad hos viros inde a saeculo secundo nomen episcoporum exclusive transiisse (L'origine de l'épiscopat 167 sqq. 210 sqq.). Addit concilium tridentinum de hac quaestione exegetica et historica nihil definitivisse.

Simile systema proponit P. Batiffol (Revue biblique IV, 1895, 473 sqq. et Études d'histoire et de théologie positive I, ed. 5, Paris 1907, 225 sqq. 258 sqq.), sed cum hac differentia, quod secundum eum nomen presbyteri ab initio erat nomen honoris tantum, quod iis tribuebatur, qui primi religionem christianam receperant. Ex his veteranis christianis praecipue sumebantur viri, qui ordinarentur sacerdotes ad regendas ecclesias, et presbyteri ita electi et ordinati vocabantur πρεσβύτεροι ἐπισκοποῦντες, ἡγούμενοι, προϊστάμενοι, προεστῶτες, ποιμένες. Hi ab initio collegialiter ecclesias regebant; sed apostolis paulatim disparentibus haec quoque organizatio temporanea disparuit, et ecclesiae regimen transiit ad episcopos, i. e. primi ordinis sacerdotes.

Hae sunt coniecturae plus minusve fundatae textibus neque multis neque perspicuis, quae servire possunt ad solvendas certas quaestiones historicas et exegeticas, non possunt ad iaciendum firmum fundamentum apologeticum.

343. Tertia sententia negat nomen episcopi umquam commune fuisse simplicibus presbyteris, quamvis unius civitatis semper unus tantum fuerit episcopus. Ut igitur solvant difficultatem, quomodo Mileti et Philippis plures episcopi commemorantur, dicunt priore loco sermonem esse non de solo episcopo Mileti, sed etiam de episcopis proximarum civitatum, id quod iam Irenaeo placuit: „In Mileto convocatis episcopis et [!] presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus“ (Adv. haer. 3, 14, 2; M 7, 914). Hanc explicationem recentes exegetae amplectuntur, ut Felten, Belser, Knabenbauer. Quod vero ad Phil. 1, 1 attinet, censent epistolam hanc non ad solos philippenses, sed ad omnes Macedoniae ecclesias fuisse destinatum. Cum simile quid certum sit de aliis epistulis apostoli (cf. 2 Cor. 1, 1; Col. 4, 16), haec opinio est probabilis, et hoc modo probabiliter explicantur duo illi textus, qui soli insinuare videntur etiam simplices presbyteros vocatos fuisse episcopos. Ita post alios Franzelin (De eccl. thes. 16, n. 3). Cur tamen putet catholicum neminem posse post concilium tridentinum sententiam S. Chrysostomi defendere, non intellego. Nam argumenta conciliorum non sunt definitiones; praeterea concilium tridentinum (sess. 23, c. 4; Denz. n. 960) non ex nomine episcoporum argumentatur, sed ex eo, quod episcopi dicuntur positi a Spiritu Sancto regere ecclesiam Dei. Sufficit igitur, ut inter eos, qui Act. 20 convocati dicuntur, fuerint veri episcopi (miletanus et ephesinus), ad quos haec verba dirigebantur, licet forte nomen episcoporum etiam datum

sit simplicibus presbyteris. Immo etsi omnes illi erant simplices presbyteri, admonitiones, quas illis dedit apostolus, non minus valent pro episcopis<sup>1</sup>.

#### 344. Testimonia historica antiquitatis christianae.

Quia distinctio presbyteratus ab episcopatu ex Sacra Scriptura cum certitudine erui nequit, recurrendum est ad alia documenta ecclesiastica. Iam vero ex quo tempore memoria ecclesiasticae hierarchiae nobis tradita est, numquam et nullibi existit ecclesia, cui non praeesset unus episcopus et sub eo presbyteri et diaconi. Cum de presbyteris et diaconis non possit dubitari, sunt tamen inter protestantes, qui negent primis saeculis singulis ecclesiis episcopum fuisse praepositum, et qui putent tunc ecclesias a collegio presbyterorum fuisse administratas (ita presbyteriani et alii).

At quam falsum hoc sit, patet ex iis, quae Eusebius narrat de Hegesippo, qui vixit circa medium saeculum II: Hegesippus „scribit se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse et ab omnibus unam eandemque audivisse doctrinam. Idem, postquam de Clementis ad corinthios epistula quaedam commemoravit, haec addit, quae nos, si placet, audiamus: Et corinthiorum quidem, inquit, ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum, eiusdem loci episcopum, quocum familiariter collocutus sum, dum Romam navigarem. . . . Romam vero cum venissem, catalogum feci (διαδοχὴν ἐποιήσαμην) usque ad Anicetum [† 166], cuius tum diaconus erat Eleutherus. Post obitum dein Aniceti successit (διαδέχεται) Soter [† 175], quem excepit Eleutherus [† 189]. In singulis autem episcoporum successioneibus (ἐν ἐκάστη διαδοχῇ) et per singulas urbes eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt“ (H. E. 4, 22; M 20, 378). Διαδοχὴν ἐποιήσαμην vertitur in vulgata versione: „mansi ibi usque ad Anicetum“, sed falso; nam διαδοχή significat successionem principatus, ut immediate post recte vertitur. Sensus igitur est: Ut investigarem continuam traditionem apostolicam, inquisivi in successionem episcoporum, quia per hanc omnia manent sicut tradita sunt. Ergo medio saeculo II Hegesippus testatur munus episcopale multo ante existisse, ut iam tum operae pretium esset catalogos episcoporum singularum ecclesiarum conficere<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. The Dublin Review (July 1897) 50 sqq., ubi E. C. Butler examinat opiniones Dr. Hort, Duchesne, Weizsäcker, et Theologische Revue (Münster 1902) n. 17 sqq., ubi H. Koch simile examen instituit de aliis recentibus scriptoribus.

<sup>2</sup> Quidam volunt lectionem διαδοχὴν esse mendosam et legendum esse διατριβήν. De qua re Lightfoot ait: „Διατριβήν is not found in a single MS. It is a pure conjecture of Savile founded upon Rufinus. . . . It is quite clear that Eusebius himself did not read διατριβήν, for he says elsewhere (4, 11) that Hegesippus visited Rome in the time of Anicetus and remained there till the time of Eleutherus“ (The Apostolic Fathers. Part I: Clement of Rome [London 1890] 154. Cf. 328, nota 1). Harnack de interpretatione: διαδοχὴν ἐποιήσαμην = feci catalogum episcoporum suc-

345. Idem patet ex epistula, quam circa a. 195 *Polycrates*, episcopus ephesinus, ad Victorem papam de quaestione paschali dedit. Ut enim sententiam quartodecimanorum defendat, provocat ad priscos episcopos, ad Polycarpum, episcopum smyrnensem, aliosque complures. Dein addit: „Ego quoque, omnium vestrum minimus, Polycrates, ex traditione cognatorum meorum, quorum quosdam etiam [in munere episcopali] secutus sum; septem enim ex cognatis meis erant episcopi, ego autem octavus. Et semper diem celebrarunt cognati mei, quando populus [iudaeorum] removebat fermentum. Ego igitur, fratres, sexaginta quinque annos habens in Domino . . .” (*Euseb.*, H. E. 5, 24; *M* 20, 495). Itaque Polycrates, quando factus est episcopus (utique multis annis antequam epistolam scripsit), iam habuit inter cognatos suos septem episcopos, ex quorum traditione didicit: id quod ostendit initio saeculi II episcopale munus in ecclesia fuisse. Immo quia dicit Polycarpum fuisse episcopum, etiam testatur inde ab apostolorum temporibus in ecclesia fuisse munus episcopale.

346. Idem testatur *Irenaeus*, qui contra haereticos ad traditionem provocat: „Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos. . . . Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab apostolis, traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus [haereticos] omnes.” Dein catalogum texit a temporibus apostolorum usque ad Eleutherum.

cessionum, ait: „Aber kann διαδοχή diesen Sinn haben?“ Neque vult concedere paritatem cum alio verbo Eusebii: τὴν διαδοχὴν ἐπισκόπων . . . παραθέμενος (5, 5, 9; cf. 5, 12), cum priore loco non addatur ἐπισκόπων, et cum ποιῆσθαι non sit παρτίθεσθαι. Quae duae rationes non sunt tam urgentes, ut suadeant illam antiquam corruptionem textus, quam in suppositione Harnackii debemus admittere. Eusebius dicit Hegesippum usque ad Eleutherum, non usque ad Anicetum, Romae mansisse (H. E. 4, 11; *M* 20, 330). „Eusebius scheint hier freilich aus Flüchtigkeit in einen Irrtum geraten zu sein“ (*Die Chronologie der altchristl. Literatur* [Leipzig 1897] 180 sqq.). Haec non sufficiunt ad illam lectionem tam certam in dubium revocandam, ut inter alios ostendit *Bardenheuer*, *Geschichte der altkirchl. Literatur* I<sup>2</sup> 389 sqq. Cf. *Michiels*, *L'origine de l'épiscopat* 309 sqq. *E. Schwartz* in ed. Eusebii t. II, p. 2, cxxxv, not. 3 censet locum Eusebii esse „desperate corruptum“. Haec assertio non nititur ulla critica consideratione codicum, sed praeiudicio dogmatico non fuisse ante Soterem Romae episcopatum monarchicum, ut ipse ibidem exponit.

qui „nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet“ (*Adv. haer.* 3, 3, 1 sqq.; *M* 7, 848).

*Eusebius* ex veteribus documentis excerpit hos catalogos episcoporum saeculorum I et II a) alexandrinorum: post Marcum evangelistam Amianus, Abilius, Cerdo, Primus, Iustus, Eumenes, Marcus, Celadion, Agrippinus, Iulianus, Demetrius (H. E. 2, 24; 3, 14 21; 4, 1 4 5 11 19; 5, 9 22; *M* 20, 206 250 255 304 307 310 330 378 454 490); b) antiochenorum: Evodius a Petro apostolo institutus, Ignatius, Hero, Cornelius, Eros, Theophilus, Maximinus, Serapio (ib. 3, 22 36; 4, 20 24; 5, 19; *M* 20, 255 287 291 378 390 482); c) ierosolymitanorum: „Primus fuit Iacobus, is qui Domini frater vocabatur, secundus Simeon, tertius Iustus, quartus Zachaeus, quintus Tobias, sextus Benjamin, septimus Ioannes, octavus Matthias, nonus Philippus, decimus subrogatus est Seneca, cui successit undecimus Iustus. Post quem Levi duodecimus ordine fuit. Ephres dein secutus est, post haec Ioseph. Omnium postremus [ex hebraeis fidelibus] fuit Iudas, ordine quintus decimus. Atqui hi omnino sunt Hierosolymorum episcopi, qui iam inde ab apostolis usque ad Iudam et ad illa, quae designavimus tempora [finem saeculi II], omnes ex circumcissione fuerunt“ (H. E. 4, 5; *M* 20, 310). „Et cum ecclesia eiusdem loci [qui tum Aelia vocabatur] ex gentibus coaluisset, primus post episcopos ex circumcissione sacerdotium illius civitatis suscepit Marcus“ (ib. 4, 7; *M* 20, 315). Secuti sunt dein episcopi Cassianus, Publius, Maximus, Iulianus, Caius, Symmachus, Caius, Iulianus, Capito, Maximus, Antoninus, Valens, Dolichianus, Narcissus (ib. 5, 12; *M* 20, 458 sq.). Variarum quaestiones, quae de hoc catalogo moveri possunt, ad rem nostram non pertinent (cf. *Michiels*, *L'origine de l'épiscopat* 349 sqq.); sufficit nobis illud testimonium (probabiliter ex Hegesippo haustum), secundum quod inde a temporibus apostolorum Ierosolymis episcopi fuerunt. In hac enim parte ille catalogus, loquens de Iacobo et Simeone, rationaliter in dubium vocari nequit, quidquid est de multis ex sequentibus nominibus. Similem catalogum exhibet Eusebius pro ecclesia romana, de quo postea. Quodsi addiderimus septem angelos ecclesiarum Asiae in apocalypsi, qui non possunt esse nisi episcopi, sine dubio constat episcopatum „monarchicum“, ut loquuntur, iam primo saeculo exstitisse, et iam tum fuisse episcopos in fixis sedibus constitutos (cf. *Segna*, *De eccl. Christi constit.* 201 sqq.). Falsum igitur est, quod protestantes volunt, episcopatum ortum non esse nisi medio saeculo II, et usque ad id tempus ecclesiis praefuisse collegium presbyterorum. Itaque his ex historia praemissis videamus, quid vetustissimi scriptores de dignitate et officio episcoporum et aliorum ordinum ecclesiasticorum doceant. Non possumus quidem doctrinam de episcopatu a presbyteratu distincto cum certitudine haurire ex scriptis S. Ignatio martyre prioribus. Nihilominus vetustissima illa scripta, in quantum de nostra quaestione loquuntur, audienda sunt.

## 347. Dicta SS. Patrum.

*Clemens Romanus* (circa finem saeculi I) scripsit epistolam ad corinthios, quorum nonnulli contra praepositos ecclesiasticos rebellabant, dicentes reliquis praeferos esse eos, qui essent potentes in enarranda cognitione, sapientes in sermonum diiudicatione, qui excellentiora dona haberent (48, 5). Erat igitur pugna ingenii contra legitimum munus seu rebellio ingeniosorum laicorum contra praepositos ecclesiasticos forte minus ingeniosos. Unde intellegitur, cur Clemens neque episcopum neque diaconos corinthiorum in specie nominet, sed potius generalioribus nominibus utatur, et eos, quorum res agebatur, vocet πρεσβυτέρους, προηγουμένους vel ἡγουμένους, a quibus distinguit diaconos (1, 3; 21, 6). „Turpia, fratres, turpia valde auditu sunt et christiana vivendi ratione indigna, quae comperimus: firmissimam et antiquam corinthiorum ecclesiam propter unum aut alterum hominem seditionem movere contra presbyteros“ (47, 6). Dicit munera ecclesiastica apostolica successione ad praesentes possessores venisse (supra n. 316). „Itaque qui constituti sunt ab illis [apostolis] vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia . . . hos iudicamus munere suo non iuste deici. Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sancte et sine reprehensione munera [sacrificium] obtulerunt, episcopatu eicimus“ (44, 3 4). „Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis, in oboedientia subditi estote presbyteris et correctionem suscipite in paenitentiam“ (57, 1). Itaque distinguit Clemens diaconos, presbyteros et „viros eximios“, a quibus presbyteri instituti sint. Et alludens ad instituta Veteris Testamenti, quae typus sint Novi, manifeste indicat triplicem ordinem hierarchicum: „Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus statutis temporibus peragere iussit. . . . Domini enim mandata sequentes non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis adstringitur“ (40, 1 4 5). Comparatio hierarchiae ecclesiasticae cum hierarchia levitica frequens est apud Patres, qui episcopum aequiparant cum summo sacerdote, presbyteros et diaconos cum sacerdotibus et levitis (cf. Const. apost. 8, 46; *M* 1, 1156; *Hieron.*, Ep. 52, n. 7; *M* 22, 534; *S. Leo*, Serm. 59 (al. 57), c. 7; *M* 54, 341). Cum iis, quae Clemens dicit de apostolica successione episcoporum, plane consentiunt, quae modo audivimus ex Irenaeo et quae narrat *Eusebius* (*H. E.* 3, 37; *M* 20, 291).

Quia autem apud Clementem primo occurrit appellatio laicorum, notandum est iam primis temporibus usurpatam esse *divisionem in clericos et laicos*. Quia enim ii, qui pertinent ad ordines hierarchicos, segregantur a communi plebe christiana et singulari modo Deo dicantur, ideo vocantur κληρος (κληρικοί), i. e. sors Domini, sicut levitae quoque Veteris Testamenti specialis sors Domini fuerant (Num. 8, 13 14). Huic ordini simplices fideles ut λαός (λαϊκοί) opponuntur, qui interdum ιδιώται, i. e. homines privati, appellantur.

348. Non Corinthi tantum, sed etiam in aliis ecclesiis videtur fuisse inclinatio pluris aestimandi eos, qui donis sive naturalibus sive supernaturalibus exercebant, quam eos, qui muneribus ecclesiasticis ex officio fungebantur. Nam in *Doctrina duodecim apostolorum* (circa a. 70—80) hoc monitum habetur: „Ne contemnatis eos [episcopos et diaconos]; ipsi enim sunt honorati inter vos una cum prophetis et doctoribus“ (15, 2). Quid autem principale episcoporum et diaconorum munus sit, patet ex praecedentibus. Postquam enim sermo fuit de sacrificio missae, statim pergitur: „Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos; vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum“ (15, 1). Offerre dona esse munus episcoporum et diaconorum iam Clementem dicentem audivimus (44, 4). Idem scribit *Iustinus M.* in Apologia, ubi dicit praepositos ecclesiasticos (προεστῶτας) publicam liturgiam peragere: „Ei, qui fratribus praeest (προεστῶτι), panis offertur et poculum aquae et vini, quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit. . . . Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes deferunt“ (Apol. 1, n. 65; *M* 6, 427). „Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi desiit qui legit, is qui praeest (προεστῶς) admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. . . . Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur, apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse . . . omnium indigentium curam suscipit“ (ib. n. 67; *M* 6, 430). Ergo episcopi est sacrificare, praedicare, egentium curam agere.

In *Pastore Hermae* nominantur episcopi, presbyteri, diaconi (Vis. 2, c. 4, n. 2 3; Vis. 3, c. 5; Similit. 9, c. 26, n. 2; c. 27, n. 2). Sed quia textus sunt obscuri, eos omittimus (cf. *Michiels*, L'origine de l'épiscopat 322 sqq.). Secundum *Harnack* temporibus Hermae etiam in hierarchia ecclesiastica erant non soli episcopi, presbyteri, diaconi, sed etiam apostoli et prophetae. Sed *E. Dorsch* ostendit hanc opinionem nullo niti solido fundamento; apostolos, de quibus loquitur Hermae, esse duodecim apostolos, iam diu defunctos (cf. Similit. 9, c. 15 16 17 25), prophetas autem illa aetate viventes non pertinuisse ad hierarchiam ecclesiasticam (*Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck 1904, 250 sqq.).

349. Ex Patribus apostolicis luculentissime de muneribus ecclesiasticis loquitur *S. Ignatius M.*, ut ob hanc ipsam rationem olim multi

genuinitatem epistularum negaverint. At solida argumenta numquam protulerunt, et maxime post editionem doctoris *Lightfoot* genuinitas extra omnem rationabilem dubitationem posita videtur (cf. etiam *F. X. Funk*, Die Echtheit der Ignatiusbriefe, Tübingen 1883). Epistulas iam laudat *S. Polycarpus* ad philippenses scribens (13, 2), et post eum maxime *Eusebius* (H. E. 3, 36; *M* 20, 287). Itaque secundum Ignatium munera gerunt in ecclesia episcopi, presbyteri, diaconi: „episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi“ (Magn. 6, 1). „Ut in oboedientia una perfecti, subiecti episcopo et presbyterio, per omnia sanctificati sitis“ (Eph. 2, 2). „Decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae“ (Eph. 4, 1). „Quemcumque enim paterfamilias [Christus] mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum“ (Eph. 6, 1). Laudatur *Zotio* diaconus, „quia subditus est episcopo ut benignitati Dei et presbyterio ut legi Iesu Christi“ (Magn. 2). Et licet episcopus iunior sit, fideles et presbyteri ei oboedire debent, „non ei autem, sed Patri Iesu Christi, omnium episcopo“ (Magn. 3, 1). „Studete igitur confirmari in doctrinis Domini et apostolorum . . . cum dignissimo episcopo vestro et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri et cum diaconis Deo placentibus“ (Magn. 13, 1). „Cuncti reveantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur“ (Trall. 3, 1). „A talibus [haereticis] vos custodite. Hoc autem fiet, si nec inflati nec avulsi fueritis a Deo Iesu Christo et episcopo et praeceptis apostolorum. Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra altare est, non est mundus; hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia“ (Trall. 7; cf. 12, 2; 13, 2). Verum episcopum „non a se ipso neque per homines neque ob inanem gloriam, sed caritate Patris et Domini Iesu Christi obtinuisse ministerium regendi“ (Philad. 1, 1). „Quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo“ (Philad. 3, 2). „Clamavi inter eos, quibus loquebar, magna voce, Dei voce: Episcopo oboedite et presbyterio et diaconis“ (Philad. 7, 1). „Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis, diaconos autem reveantur ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quicquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur vel sub eo, cui ipse concesserit. . . . Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare, sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum“ (Smyrn. 8).

**350.** Smyrnaeorum, ad quos has ultimas sententias scripsit Ignatius, primum episcopum ab ipsis apostolis institutum fuisse Polycarpum testatur *Irenaeus*, discipulus eius (Adv. haer. 3, 3, 4; *M* 7, 851). *Polycarpus* autem in epistula sua eodem modo loquitur quo Ignatius: Omnes fideles subesse debent „presbyteris et diaconis tamquam Deo et Christo“: ὑποτασσόμενοι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ὡς θεῷ καὶ Χριστῷ (5, 3). Notant quidem adversarii Polycarpum se non vocare episcopum, at inscriptio epistulae: Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι, dignitatem eius satis clare indicat, et *Ignatius M.* in epistula ad eum data ita eum alloquitur: Ἰγνάτιος, ὁ καὶ θεοφόρος, Πολυκάρπῳ, ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας Σμυρναίων, μᾶλλον ἐπισκοπημένῳ ὑπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, πλείστα χαίρειν.

Itaque Patres apostolici testantur etiam primis illis temporibus singulis ecclesiis praefuisse episcopum, cuius esset regere ecclesiam, eius bona temporalia dispensare, sacrificium offerre, sacramenta administrare, rectam doctrinam conservare et propagare. Cf. *W. Moran*, The Government of the Church in the first century, Dublin 1913.

**351.** Ex posterioribus Patribus iam audivimus eos, quorum testimonia affert *Eusebius*, dein *Iustinum* et *Irenaeum* (n. 316 346 348). Huius tamen iuverit addere haec verba: „Omnes ii [haeretici] valde posteriores sunt quam episcopi, quibus apostoli tradiderunt ecclesias. . . . Eorum autem, qui ab ecclesia sunt, [una est] semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem . . . et eandem figuram eius, quae est erga ecclesiam, ordinationis [i. e. eandem regiminis ecclesiastici formam] custodientibus. . . . Qui ergo relinquunt praeconium ecclesiae, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista“ (Adv. haer. 5, 20, 1 sq.; *M* 7, 1177).

**352.** Ad apostolicam episcoporum successionem *Tertullianus* quoque provocat contra haereticos: „Edant ergo [haeretici] origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt“ (De praescr. c. 32; *M* 2, 44). „Dandi quidem [baptismum] habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est“ (De bapt. c. 17; *M* 1, 1218). Quod vero *Tertullianus*, apostata factus, contra auctoritatem ecclesiasticam rebellaverit et ea dixerit, quae cum priore eius doctrina non cohaereant, utique mirum non est.

353. *Clemens Alexandrinus* nullibi quidem de industria tradit doctrinam de ecclesiastica hierarchia, at obiter de ea ita loquitur, ut non possit esse dubitatio de mente eius. Dicit enim posse quemlibet christianum, dummodo „gnosticus“, i. e. perfectionis studiosus sit, eandem gloriam in caelis assequi, quam apostoli et presbyteri et diaconi assequantur, licet ordines nullos acceperit. „Hic vere presbyter ecclesiae est et diaconus verus voluntatis Dei, si faciat et doceat praecepta Domini, non ab hominibus ordinatus, neque quia presbyter, ideo iustus reputatus, sed quia iustus, in presbyterio connumeratus; et quamvis hic in terra primaria cathedra non honoretur, in viginti quattuor thronis sedebit, iudicans populum, ut in apocalypsi ait Ioannes. . . . Nam ii qui hic in ecclesia sunt gradus episcoporum, presbyterorum, diaconorum, imitationes sunt, nisi fallor, angelicae gloriae et illius oeconomiae, quae secundum Scripturas manet eos, qui insistentes vestigiis apostolorum in perfectione iustitiae secundum evangelium vixerunt“ (Strom. 6, 13; *M* 9, 327 sq.). „Inter officia, quae hominibus praestantur, alia sunt, quibus meliores fiunt, alia, quibus iis ministerium exhibetur [exempla affert medici, qui reddit homines meliores, et famulorum, qui ministrant]. Similiter in ecclesia officiorum, quae reddunt homines meliores, formam servant presbyteri, ministerii vero formam diaconi“ (Strom. 7, 1; *M* 9, 406). Illa caelestis philosophia, quae homines meliores reddit, per apostolicam successionem ad nos pervenit, a qua haeretici recesserunt, sed „gnosticus, apostolicam et ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem, rectissime vivit secundum evangelium“ (Strom. 7, 16; *M* 9, 543). „Quae cum ita sint, manifestum est ex antiquissima et verissima ecclesia has recentiores . . . fuisse innovatas adulterinae notae haereses“ (Strom. 7, 17; *M* 9, 551). „Plurima autem praecepta, quae ad personas electas pertinent, in sacris litteris scripta sunt, alia presbyteris, alia episcopis, alia diaconis, alia viduis“ (Paedag. 3, 12; *M* 8, 675). „Nos enim ecclesiarum praepositi pastores sumus ad imaginem boni pastoris, vos [simplices fideles] autem oves“ (Paedag. 1, 6; *M* 8, 295).

354. Clementis discipulus *Origenes* eodem modo quo magister suus saepe loquitur de hierarchia ecclesiastica. Ita in libello De oratione n. 28, postquam exposuit variorum hominum officia, addit: „Praeter haec omnia, quae magis ad universos pertinent, est aliquod debitum viduae, cuius ecclesia curam gerit; item aliud diaconi, aliud presbyteri, episcopi denique officium gravissimum est, quod nisi reddatur, iudicio repetet totius ecclesiae Salvator“ (*M* 11, 523). Sicut in singulis civitatibus sunt praesides civiles, ita suum quaeque ecclesia habet antistitem (ἀρχοντα ἐκκλησίας), qui virtute excellere debet (Contra Cels. 3, 30; *M* 11, 959). Nam „nos, qui scimus in singulis civitatibus aliam esse patriam a Verbo Dei constitutam, eos, qui potentes sermone et quorum mores sani sunt, ad regendas ecclesias advocamus. Qui dignitates amant, eos repudiamus, cogimus vero illos, qui prae multa modestia

communem ecclesiae Dei curam in se facile recipere nolunt. Itaque qui nobis sapienter praesunt, id illi coacti faciunt, coacti, inquam, a magno illo rege, quem Dei Filium Deumque Verbum esse nobis persuasum est“ (Contra Cels. 8, 75; *M* 11, 1630). „Nos, qui putamur aliquid esse, i. e. qui in clericatus vobis ordine praesidemus in tantum, ut quidam de minore gradu [laicorum] ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus; multi enim et presbyteri pereunt et laici beatissimi reperiuntur. . . . Plus a me [presbytero] exigitur quam a diacono, plus a diacono quam a laico. Qui vero totius ecclesiae arcem obtinet [episcopus], pro omni ecclesia reddet rationem“ (In Ier. hom. 11, n. 3; *M* 13, 370 sq.).

A primo igitur saeculo usque ad medium saeculum III continuam seriem testium audivimus. De subsequentibus autem temporibus nihil est dicendum, quia quilibet in historia ecclesiastica vel mediocriter versatus novit inde a medio saeculo III ecclesiasticam hierarchiam citra dubium exstitisse<sup>1</sup>. Quare unus tantum addatur testis, qui verbis maxime disertis causae examinandae finem imponat.

355. *S. Cyprianus* iam in prima epistula sua (*H* 2, 465) docet clericos constituere statum distinctum a laicis: „Singuli divino sacerdotio honorati et in clerico ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire et precibus atque orationibus vacare debent . . . qui divinis rebus et spiritualibus occupati ab ecclesia recedere et ad terrenos et saeculares actus vacare non possunt. . . . Quod episcopi, antecessores nostri, religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret“ (n. 1 2). De diacono contra episcopum rebellante scribit: „Meminisse diaconi debent, quoniam apostolos, i. e. episcopos et praepositos, Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in caelos apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiae ministros. Quodsi nos aliquid audere contra Deum possumus, qui episcopos facit, possunt et contra nos audere diaconi, a quibus fiunt. Et ideo oportet diaconum, de quo scribis, agere audaciae suae paenitentiam, ut honorem sacerdotis agnoscat, et episcopo praeposito suo plena humilitate satisfacere“ (Ep. 3, n. 3; *H* 2, 471). Presbyteri sunt „cum episcopo sacerdotali honore coniuncti“ (Ep. 61, n. 3; *H* 2, 697). Presbyteri „offerunt [sacrificium] singuli cum singulis diaconis“ (Ep. 5, n. 2; *H* 2, 479). Sunt tamen episcopis subiecti: „Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de presbyteris nec evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini iudicium neque nunc sibi praepositum episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub ante-

<sup>1</sup> „Seit dem Ausgang des 2. Jahrhunderts waren die Bischöfe die Lehrer, die Oberpriester, die Richter. . . . Von dem Verhalten der Bischöfe hing in der zweiten Hälfte des 2. Jahrhunderts Wohl und Wehe der Gemeinden fast ganz ab“ (*Harnack*, Mission und Ausbreitung des Christentums I<sup>2</sup> 369).

cessoribus factum est, cum contumelia et contemptu praepositi totum sibi vindicent\* (Ep. 16, n. 1; H 2, 517). Principium unitatis in singulis ecclesiis est episcopus: „Etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia: plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia, quae catholica et una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique conexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata\* (Ep. 66, n. 8; H 2, 733). Sed etiam ipse episcopus „episcopatum tenere non posset, etiam si episcopus prius factus a coepiscoporum suorum corpore et ab ecclesiae unitate descisceret“ (Ep. 55, n. 24; H 2, 643).

Itaque ab apostolicis temporibus constitutio ecclesiae semper erat hierarchica. Id testantur, quotquot ex primis saeculis hanc quaestionem attigerunt, sine ulla exceptione. Neque agitur de privatis opinionibus horum vel illorum scriptorum, sed de facto historico, cui omnes illi testimonium dant. Ecclesia christiana non hierarchice ordinata in fontibus historicis illorum temporum nusquam apparet, sed in opinione tantum adversariorum nostrorum versatur. Patet quidem apostolos non statim, quotiescumque aliquo loco nonnullos ad fidem converterant, integram ibidem hierarchiam instituisse. Sicut nostra aetate in terris missionum exterarum sunt communitates christianae, quibus non praest nisi catechista, et regiones vel regna, in quibus nullus est episcopus, sed „praefectus apostolicus“, ita ab initio quoque erant „ecclesiae domesticae“ sine ullo sacerdote, vel ecclesiae urbanae et regionales cum solis sacerdotibus, qui ecclesias illas communi concilio regebant. De hac re non est quaestio, sed quaestio est, utrum ab initio idea ecclesiae perfecte constitutae ea fuerit, ut deberet esse coniunctio hominum nulli auctoritati humanae subiectorum, an vera societas vinculo auctoritatis colligata, et porro utrum haec auctoritas deberet in singulis ecclesiis esse penes collegium aliquod, an penes unum, cui omnes alii subicerentur. Volunt igitur adversarii non ad tempus tantum ecclesias aliquas potuisse esse sine hierarchia, sed ecclesiam ex ipso primitivo conceptu suo fuisse communionem non hierarchicam, hierarchiam vero et maxime „episcopatum monarchicum“ esse elementum humanum ad ecclesiam ex evolutione rerum vel ex consilio hominum additum. Haec autem opinio est nova et tam contraria persuasioni priscorum illorum virorum, Hegesippi, Polycratis, Ignatii, Irenaei, aliorum, quorum dicta audivimus, et totius communitatis christianae, ut illis temporibus ne vestigium quidem dubitationis cernatur, sitne hierarchia ecclesiastica a Christo instituta necne. Ergo, si quaestiones historicae historice sunt solvendae, probavimus, quod

probandum erat, ecclesiam ex institutione Christi esse societatem hierarchicam (cf. *De Smedt*, L'organisation des églises chrét. jusqu'au milieu du III<sup>e</sup> siècle. Congrès scient. internat. 1888 II 297—338; *Giov. Semeria*, Dogma, gerarchia e culto nella Chiesa primitiva, Roma 1902, Letture XI XII; *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 263 sqq.).

### 356. Schol. I. Reiciuntur theoriae de origine hierarchiae ecclesiasticae recens excogitatae.

Cum in praecedentibus proposita sint documenta, quae nobis praesto sunt ad diiudicandum, qualis fuerit constitutio ecclesiae primis saeculis post Christum, nulla difficultas est in aestimanda *nova theoria originis hierarchiae ecclesiasticae, quam excogitaverunt A. Ritschl, Hatch, Harnack*, alii rationalistae recentes, qui iactant se posse ostendere totam hierarchiam ad humanam institutionem et naturalem rerum progressum referendam esse (cf. supra n. 310; *Ottiger*, Theologia fundam. II 295 sqq.; *M. d'Herbigny*, De ecclesia I 41 sqq.).

Sicut volunt Christum nulla dogmata tradidisse nullamque ecclesiam instituisse, ita dicunt Christi asseclas ab initio non constituisse proprii nominis societatem neque ulla alia re inter se iunctos fuisse nisi communi entusiasmo, quem Christi praedicatio et exemplum in iis accenderat, nullosque alios fuisse primitivos doctores nisi discipulos praeter ceteris enthusiasticos et spiritu Christi inflammatos. Numero autem fidelium aucto, necessitas oriebatur nonnullorum munerum publicorum. Singulae enim communitates christianorum opes quasdam collegerant ad iuvandos pauperes et ad alios fines communes prosequendos. Horum igitur thesaurorum administratores constituerunt, quos vocabant episcopos, quorum adiutores erant diaconi. Praeterea in singulis communitatibus illi, qui aetate et prudentia eminebant et ideo presbyteri vocabantur, speciali honore fruebantur ut consilarii et duces. Hi igitur non munus aliquod habebant, sed naturalem quendam primatum honoris. Itaque inter primos christianos erant tres classes virorum honoratorum: a) charismatici doctores, b) oeconomi opum communium, c) aetate provecti. Nullis ex his publica auctoritas sed saepe magnus influxus moralis conveniebat. Cum vero numerus virorum grandaeavorum maior factus esset, quam ut omnes ad consiliandum convenire possent, pauci ex iis in concilium presbyterorum electione populi evocati sunt. Hac via ortus est ordo presbyteratus, i. e. virorum, quibus partim ob aetatem, partim ob mandatum praefectura quaedam morum competebat. Sua tamen sponte factum est, ut praecipue ex presbyteris quidam assumerentur ad functiones oeconomorum et alias similes et ita fierent πρεσβύτεροι προϊστάμενοι; immo episcopi, i. e. oeconomi, etiamsi non erant aetate provecti, tamen ad concilium seniorum ratione muneris adscisciebantur, unde orta est distinctio inter episcopos et diaconos.

Iam sensim sine sensu prior enthusiasmus emoriebatur, doctoresque charismatici disperebant: quid magis consequenter fieri poterat,



quam ut illi, qui iam aliis muneribus fungebantur, officium quoque praedicandi assumerent? Ita oeconomi facti sunt doctores, in locum charismatis successit munus publica auctoritate collatum; sic perfecti sunt episcopi sensu ecclesiae catholicae. Haec igitur est via, qua contra id, quod Christus voluerat, orta est ecclesiastica hierarchia, et ecclesia ad modum societatis civilis composita est<sup>1</sup>.

*Forte quaeris argumenta, quibus hae assertiones fulciantur.* Sed adest via procedendi multo simplicior sine ullis argumentis, videlicet ita: Divide omnia scripta primorum temporum in duas classes, et ea, quae nihil continent de hierarchia ecclesiastica, dic esse antiquiora, ea vero, quae aliquid de hierarchia continent, affirma esse aetate inferiora. Statim evidens erit hierarchiam postea ortam esse. Si vero in scriptis, quae antiquiora esse apud omnes in confesso est, forte quidpiam inveniatur, quod cum hac theoria pugnat, ut e. g. Matth. 16, 18 et 28, 18 sqq., pronuntia tales textus non esse genuinos, sed ad posterius saeculum pertinere. Si quis quaerit, cur hoc contra omnes testes criticos dicas, provoca ad tuum „sensus historicum“, et eum, qui hoc non capit, „sensus historici“ expertem declara. Praeterea multas minutas inquisitiones, sive ad rem pertinentes sive non pertinentes, melioris ostentationis gratia institue. Certe multis aliis, fortasse et tibi ipsi, persuadebis te insigniter rem probasse, quamvis ne speciem quidem veri argumenti proposueris.

Haec methodus ponendi assertiones et hypotheses pro argumentis et discernendi textus antiquos a recentioribus et genuinos a non genuinis, non secundum obiectiva criteria sed secundum sensum subiectivum, est sine dubio satis simplex. Sed haec ipsa agendi ratio etiam ostendit, quam firma sit catholica doctrina, quippe quae impugnari nequeat nisi vim inferendo testimoniis historicis et subiectivum arbitrium normam veri statuendo.

Construktionen subiectivae continuas mutationes vel requirunt vel admittunt, quam rem iam a. 1890 effert *Loofs* (*Studien und Kritiken*, Gotha 1890, 619 sqq.). Praeterea hac via alii rationalistae alias constitutiones ecclesiae primitivae invenerunt, quorum assertiones saepe vix ullum realem valorem habent; ideo *Loofs* censet poenam fore imponere homini obligationem legendi omnia, quae de constitutione veteris ecclesiae in Germania scripta sint (*Theol. Literaturzeitung* 1896, 206 sqq.). *Stanisl. von Dunin-Borkowski* in libro: *Die neuern Forschungen über die Anfänge des Episkopats*, Freiburg i. Br. 1900, circiter 100 scriptores acatholicos et eorum theorias recenset. Alia habentur apud *Batiffol*, *L'Église naissante*.

Discipulus *Harnackii*, *Hans von Soden*, nuper edidit libellum de primitivae religionis christianae ad ecclesiam catholicam progressu (*Vom Urchristentum zum Katholizismus*, Leipzig-Berlin 1919). Vult

<sup>1</sup> *Harnack*, *Die Lehre der zwölf Apostel* (Leipzig 1884) 57 sq. 109 sq. 142 147 sq.

ecclesiam pugnando maxime contra gnosticisum ad statum illum definitum et firmum pervenisse, quo potuerit victorioso sustinere tum religionis gentilis tum potestatis politicae aggressiones.

Sed duobus tantum annis elapsis suum de Marcione opus *Harnack* in lucem dedit (supra n. 80 nota), in quo declarat alia omnino via ac ratione, quam usque adhuc factum sit, explicandum esse transitum primitivae religionis christianae ad ecclesiam catholicam; nimium tributum esse in hac re influxui gnosticisimi, cui revera modestior tantum pars debeat; „ecclesiam antiquam esse effectum antitheticum et syntheticum influxus Marcionis in christianismum postapostolicum“ (247 nota). Sensus est: Marcion primus est, qui nixus doctrina novi sui testamenti, omnes societates christianas in realem communionem et unitatem collegit, et ita factus est auctor ecclesiae universalis. Episcopi autem catholici hoc opus Marcionis damnabant quidem, sed nihilominus ad illud tamquam exemplar respicientes, constitutionem hierarchicam perfecerunt.

Ad quae *H. v. Soden* respondet nequaquam tantum ponderis operi Marcionis tribuendum esse, eius opus potius mediocritatis theologicae (theologischer Dilettantismus) quam profundioris religionis notam prae se ferre; Marcionem fuisse criticum sine arte critica, qui barbaro modo necessitates aetatis suae ignoraverit; ecclesiae episcopis gratias habendas esse, quod eius conatum tam efficaciter suppresserint (*Zeitschrift für Kirchengeschichte* XL, Gotha 1922, 205 sq.).

Longe plurimae theoriae, quae his quadraginta annis ut historia critica originis hierarchiae ecclesiasticae praedicabantur, obsoleverunt et oblivioni traditae sunt. De tota hac quaestione populari modo agit *Fr. Meffert*, *Das Urchristentum*, M.-Gladbach 1920.

### 357. Schol. 2 (dogmaticum). Refutantur aliae falsae opiniones de constitutione ecclesiae.

Cum secundo decennio saeculi XIV acerrima pugna exorta esset inter Ludovicum Bavarum et Ioannem XXII, ille in auxilium vocavit quosdam theologos, qui pro se contra summum pontificem scriptis libris pugnarent. Inter hos theologos eminebat *Marsilius Patavinus*, qui una cum Ioanne de Ianduno librum composuit, quem „Defensorem pacis“ nominavit. Non aliam concedit praepositis ecclesiasticis iurisdictionem, nisi quam a populo christiano, in quo omnis iurisdicatio ecclesiastica ultimam resident, vel a representante populi, i. e. ab imperatore, acceperint; totam hierarchiam vult esse institutum humanum, quod hominum voluntate mutari et abrogari possit. Quod systema ut manifeste haereticum a Ioanne XXII damnatum est (*Denz.* n. 495 sqq.). Huic errori nonnihil favebat schola parisiensis tempore magni schismatis.

Marsillii doctrinis *haeresiarchae saeculi XVI* adhaeserunt. Ita *Lutherus* in libro „De missa privata“ ait: Christianum populum esse simplicem,

in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus, nullus rasmus, nullus monachus esse debeat. Similiter *Calvinus* (Instit. 4, 3 4) et alii. Hi igitur dixerunt christianos omnes aequaliter esse sacerdotes, magistratus autem ecclesiasticos non Christi institutioni, sed populi electioni ortum suum debere. Nam cum integer populus non possit vacare praedicationi et administrationi rerum religiosarum, quosdam a populo vel a principibus saecularibus ad hoc munus eligi, et ex hac tantum vocatione auctoritatem ministrorum sacrorum derivari. Contra hos errores catholicam doctrinam exponit conc. trid. sess. 23, c. 4 (Denz. n. 960) et can. 7 (Denz. n. 967).

Similem errorem propugnavit *Edmundus Richer*, gallus, qui docet Christum Dominum plenitudinem potestatis omnibus episcopis et presbyteris simul sumptis tradidisse. Singula membra hierarchiae ut ministri ab ecclesia deputati certum ambitum potestatis habent. Summus quoque pontifex nihil est nisi caput ministeriale ecclesiae, qui nullam potestatem habet super concilium universale vel totam hierarchiam, sed tenet primum locum honoris et potestatis executivae. Ceterum potestas inhaerens singulis episcopis et presbyteris plane eadem est, et omnis diversitas ex deputatione ecclesiae oritur. Ita in libello „De ecclesiastica et politica potestate“ (a. 1611), qui libellus praeterea multos alios errores continet (cf. *Puyol*, Étude historique et critique sur la rénovation du Gallicanisme, Paris 1876). Richeri theoriam adoptaverunt *van Espen*, *Febronius*, i. e. *Nicolaus de Hontheim*, episcopus auxiliaris trevirensis, synodus pistoriensis, gallicani omnes et iosephinistae, eamque saepius damnarunt summi pontifices (Denz. n. 1503). Cf. *Collect. Lacensis* VII 607 sqq.

358. *Prococant adversarii ad antiquam praxim ecclesiae, qua populo christiano concessum fuerit eligere episcopos.* Ad quod breviter respondendum est: Numquam populus potestatem habuit eligendi episcopos ita, ut hac electione iura episcopalia collata sint; sed saepe iudicium populi rogabatur de dignitate episcopi eligendi et de favore populari, quo fruebatur.

In sacris litteris invenimus apostolos instituentes episcopos et alios ministros sacros (Act. 14, 22. Tit. 1, 5 etc.). Ipsi tamen apostoli rogaverunt interdum iudicium populi de bona fama instituendorum (Act. 6, 3). Post mortem apostolorum electio episcoporum erat plerumque penes episcopos provinciae (cf. *Clem. Rom.*, Ep. 1 ad Cor. 44, 1 sqq.; supra n. 316 347). Ius suffragii proprie dicti numquam populo concedebatur, saepe vero ius testimonii et optionis<sup>1</sup>. De qua re agit *Cyprianus* in Ep. 67, ubi sermo est de depositione episcoporum Basilidis et Martialis, qui „libellis idololatriae commaculati“ erant. Monet

<sup>1</sup> Omitto textus plane indeterminatos, ut Doctr. 12 apost. (supra n. 348), ex quibus nullum certum argumentum fieri potest.

igitur *Cyprianus* cum aliis episcopis: „Plebs obsequens praeceptis dominicis et Deum metuens a peccatore praeposito separare se debet nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. [Citat Num. 20, 25 26, ubi certe nullum ius suffragii populo adscribitur; dein concludit:] Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, i. e. instruit et ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina vel honorum merita praedicentur et sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur in actis apostolorum [1, 15; 6, 2] . . . quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. . . . Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit“ (Ep. 67, 3 4 5; H 2, 737 sqq.). Ecce, ad quid reducatur „ius suffragii“ vel electionis, quod populus tunc habuisse dicitur. Neque putandum est *Cyprianum* docere lege divina necessarium esse hunc eligendi modum, quia nihil tale innunt textus, quos citat, sed provocat ad exempla electionum, quae in Scriptura occurrunt, ut ostendat, quomodo convenienter hoc negotium peragatur.

Cum vero in his electionibus populus interdum tumultuasset vel principes saeculares plus aequo sibi arrogassent, plura concilia interventum populi et principum reiecerunt. Ita post *conc. laodic.* can. 12 et 13 et *nicaen. I* can. 4, *conc. constantinop. IV* post act. 10 can. 22 statuit: „Promotiones atque consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, electione ac decreto episcoporum collegii fieri haec sancta et universalis synodus definit et statuit; atque iure promulgat neminem laicorum principum vel potestatum semet inserere electioni vel promotioni patriarchae vel metropolitani aut cuiuslibet episcopi, ne videlicet inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio, praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potestativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere et attendere sibi, usquequo regulariter e collegio ecclesiae suscipiat finem electio futuri pontificis“ (cf. *Palmieri*, De Rom. Pont. 63 sqq.).

359. *Saeculo IX* in occidente usus *investiturae* vigere coepit, quae quidem ab initio erat episcopi iam canonicè electi in possessionem

rerum temporalium introductio, sed paulatim ita excrevit, ut penes principes saeculares esset episcopos eligendi potestas. Contra quem abusum, cum simonia non raro coniunctum, summi pontifices et maxime Gregorius VII omni vi pugnarunt. Concilium vero lateranense I maxime ad abolendam investituram et simoniacas episcoporum institutiones convocatum est (*Denz.* n. 359 sqq.).

Inde a saeculo XII ius eligendi episcopum datum est capitulo ecclesiae cathedralis (*Decret. Greg.* IX l. 1, tit. 6, c. 14 et aliis cap. eiusdem tituli. *Conc. lateran.* II can. 28). Postea tamen principibus saecularibus varia privilegia facta sunt circa electiones episcoporum, at non quasi manantia ex eorum nativo iure, sed ex mero indulto sedis apostolicae. Secundum ius commune *nostra aetate* „eos [episcopos] libere nominat romanus pontifex“ (*Cod. iur. can.* can. 329, § 2); sed hoc ius commune in variis regionibus varias modificationes patitur, de quibus videndum est ius canonicum.

**360. Schol. 3 (dogmaticum).** Reicitur error de aequalitate episcoporum et presbyterorum.

*Presbyteros episcopis aequales esse* medio saeculo IV *Aërius*, presbyter arianus, docuit, de quo *Epiphanius* haec refert: „Aërius quidam ingenti damno in mundum introductus est. . . . Fuit hic Eustathii, Sebastiae episcopi, sodalis. Ambo enim monasticum vitae genus amplexi sunt. Cum autem Eustathius ad episcopatum esset eVectus, Aërius, etsi id magnopere cuperet, eo tamen pervenire non potuit. Hinc simultas ex aemulatione conflata. . . . Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Imprimis enim: Quanam, inquit, in re presbytero episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas. . . . Adversus quae, ubi paucis disputaverimus, missum illum faciemus. Enimvero totum illud stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit. . . . siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres [presbyteros] praecipue pertinet. Huius enim est patrum in ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios ecclesiae regenerationis lotionem producit, non tamen patres et magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis?“ (*Haer.* 75, n. 1 3 4; *M* 42, 503 sqq.) De eadem re agit *Augustinus* (*De haeres.* n. 53; *M* 42, 39).

**361.** Doctrinae catholicae de episcoporum superioritate a Christo instituta videtur etiam contradicere *Hieronymus*, qui in epist. 146 ad Evangelium (*M* 22, 1193) scribit: „Apostolus perspicue docet eosdem esse presbyteros, quos episcopos.“ Et postea: „Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam [† circa 246] et Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiore gradu collocatum

episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.“ In Tit. 1, 5 (*M* 26, 562) haec scribit: „Idem est ergo presbyter, qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis: ‚Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae‘ (1 Cor. 1, 12), communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. . . . Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores et in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui, cum haberet in potestate solum praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.“<sup>1</sup>

Haec verba S. Hieronymi non solum ab haereticis allegantur ad ostendendum episcopatum esse iuris humani, sed etiam quidam catholici, ut *Michael Medina* et *Vazquez* (*Disp.* 140, c. 1, n. 15), censent Hieronymum a communi doctrina ecclesiae recessisse. Quod quidem absolute fieri potuit, et si factum esset, non esset multum curandum de unius Hieronymi opinione contra omnes pugnantis. Sed aliis persuasum est eius verba posse in rectum sensum explicari, si detrahatur quaedam rhetorica exaggeratio, qua non raro Hieronymus utitur, maxime quando paulo iratior scribit.

Imprimis *Hieronymus non loquitur de potestate ordinis*; nam in eadem epistula ad Evangelium ita argumentatur: „Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?“ Ergo concedit solum episcopum habere potestatem ordinandi (cf. *Adv. Ioannem Ierosolymit.* n. 37; *M* 23, 389).

Loquitur igitur de potestate iurisdictionis tantum. Quod autem ait: „Idem est presbyter, qui et episcopus“, ipse proxime explicat de nomine, ut sensus sit: Tanta est dignitas presbyterorum, ut saepe etiam episcopi appellati sint. „Episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii. . . . Eisdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus [Paulus].“ Provocat ad varios textus, maxime *Phil.* 1, 1, et ait: „Certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant“ (*In Tit.* 1, 5; *M* 26, 563)<sup>2</sup>.

Ab initio „communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas esse“ concedi potest, dummodo ne dicatur par fuisse omnium auctoritas; sed

<sup>1</sup> De historia huius doctrinae cf. *Histor. Jahrbuch* (München 1900) 221 sqq.

<sup>2</sup> Eodem sensu S. *Augustinus* ad Hieronymum scribit: „Secundum honorum vocabula, quae iam ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio maior est“ (*Ep.* 82, n. 33; *M* 33, 290).

fuit, ut ipse ait, commune consilium tale, quale fuit Moysis et septuaginta virorum, qui certe auctoritate non erant pares cum Moyse. Vel ut in epistula citata ait: „Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de Vetere Testamento: quod Aaron et filii eius atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia“ (Ad Evangelium n. 2. Cf. Epist. 14, n. 8, ad Heliodor.; *M* 22, 352, et infra n. 433).

Quod autem ex una parte dicit Hieronymus occasione factionum corinthiacarum unum institutum esse episcopum in singulis civitatibus et hoc dein observatum esse in toto orbe terrarum, et quod ex altera parte vult magis primitivam aequalitatem episcoporum et presbyterorum inveniri in epistulis ad Titum et ad philippenses, haec inter se non cohaerent, cum epistula ad corinthios ante has scripta sit. Ceterum historia testis est iam a primis temporibus fuisse unum episcopum in singulis ecclesiis, ut supra vidimus (n. 346), et ut ipse Hieronymus saepius testatur (cf. De viris illustribus 2 9 15 16 17; *M* 23, 610 sqq.; In Matth. 25, 26 sqq. l. 4, c. 26; *M* 7, 188).

Quod narrat Hieronymus de ecclesia alexandrina, explicandum est de electione episcopi, quae a solis presbyteris et ex solo presbyterorum collegio fiebat, „ne, aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo iurgia et contentiones existerent“ (*Epiphan.*, Haer. 49, n. 11; *M* 42, 219). Cf. *Petar.*, De eccl. hierarch. 2, 5; *Bellarmin.*, De cler. 1, 14 sq.; *Palmieri*, De Rom. Pont. proleg. § 14, n. III, p. 85 sqq.; *Michiels*, L'origine de l'épiscopat 420 sqq.; *Fr. Segna*, De ecclesiae Christi constitutione et regimine n. 83 sqq. 107 sqq.

Latius illa Hieronymi dicta exponit *L. Sanders*, Études sur St. Jérôme, Bruxelles-Paris 1903, 296 sqq., qui ad hanc conclusionem venit: Secundum Hieronymum illud commune presbyterorum consilium, quod primis temporibus ecclesias gubernabat, erat collegium episcoporum, quorum nullus aliis erat praepositus, sed qui omnes erant aequales, omnes habebant potestatem ordinandi, omnes pari iurisdictione praediti erant, indiscriminatim episcopi et presbyteri appellabantur. Sed exortis litibus et factionibus unus in singulis civitatibus episcopus monarchicus electus est, cui deinceps adiutores additi sunt presbyteri, potestate ordinandi carentes. De qua theoria Sanders hoc fert iudicium (p. 327 sq.): „Ceterum probabiliter hic non agitur de re sed de imaginatione Hieronymi; neque enim putamus factam esse illam mutationem, quam indicat. Propter certos textus Scripturae docet initio omnes presbyteros fuisse episcopos. Cum vero ipsius aetate non iam ita esset, requirit spatium, ubi ponatur haec mutatio, quae necessario iam pridem facta erat, cum eius vestigium in traditione non inveniatur. Eligit igitur ut occasionem maxime opportunam schisma et dissensiones corinthiorum.“

Expositionem suam Sanders dextere et erudite commendat eaque varias difficultates facile removet. Nihilominus dicta Hieronymi non nihil torquere videtur. Modo, inquit, Hieronymus loquitur de episcopis

suae aetatis et negat tales ab initio fuisse, modo loquitur de episcopis primorum temporum et dicit eos sub se non habuisse minores presbyteros; modo obiective vult exponere verba Scripturae, modo magis subjective ex condicionibus suae aetatis illa vetera tempora aspicit; modo ut exegeta negat olim fuisse episcopatum monarchicum, modo ut historicus illum, quasi non advertens, iam primis temporibus assignat.

Ostendit quidem Sanders 21 locis ex operibus Hieronymi citatis eum admisisse distinctionem inter episcopos et presbyteros (p. 313). At hoc non sufficit ad Hieronymum gravi errore liberandum, si docuit episcopatum monarchicum non esse divinae institutionis.

Annotasse iuverit a Sanders examinari propositiones doctoris Michiels de doctrina Hieronymi p. 320 sqq.; item discuti quaestionem de episcopatu ecclesiae alexandrinae, de quo Hieronymus tam miro modo loquitur, p. 330 sqq.; denique p. 335 sqq. indicari 130 auctores, qui de origine episcopatus scripserint ab a. 1752 ad 1903.

Aliter rem explicat *M. d'Herbigny* (De ecclesia II 280 sqq.): In Aegypto temporibus persecutionis una sola erat sedes episcopalis alexandrina. Alexandriae episcopus unus erat, sed ei assistebant plures viri episcopali dignitate praediti, qui ex origine presbyteri vocabantur. Hi ad instar „vicariorum apostolicorum“ nostrae aetatis mittebantur ad exercendas functiones episcopales in vastissimis regionibus sedi alexandrinae subditis. Ex his viris successor episcopi mortui eligebatur. Ergo episcopatus alexandrinus erat stricte monarchicus; nam ceteri episcopi erant solum adiutores patriarchae neque ullam iurisdictionem ab eo independentem habebant. Aliae sedes episcopales in Aegypto institutae sunt initio saeculi tertii. Illos „presbyteros“ fuisse episcopos probatur ex Hieronymo (ep. 146; *M* 22, 1194), Epiphanio (Haer. 69, 1; *M* 42, 220), Athanasio (Apol. 85; *M* 25, 400). Institutio aliarum sedium episcopaliū narratur ab Eutychio (Annales ad a. 983; *M* 111, 982). Sic igitur cuncta, quae ab Hieronymo vel aliis dicta sunt de ecclesia alexandrina, et inter se et cum praxi universalis ecclesiae facile conciliantur.

Haec explicatio vitat quidem illud incommodum, quod in collegio alexandrino presbyterorum, i. e. episcoporum, omnes parem iurisdictionem habebant, et ita non erat episcopatus monarchicus; sed sic perfecte solutas esse difficultates cunctas, quas Hieronymi dicta creant, vix omnes theologi concedent.

**362. Schol. 4** (dogmaticum). De gradibus hierarchicis ab ecclesia institutis.

Praeter tres ordines hactenus commemoratos existunt in ecclesia catholica alii inferiores ordines: subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, quibus praemittitur tonsura, qua quis recipitur in statum clericalem.

Horum ordinum nullum vestigium apparet nisi circa medium saeculum III. Nam quod *Iustinus M.* dicit: παυσαμένου τοῦ ἀναγγεῖν ὁσκόνοτος (Apol. 1, n. 67; *M* 6, 429), non potest afferrī argumentum pro existentia lectoratus. Plus videtur inesse in verbis *Tertulliani* loquentis contra haereticos: „Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. . . . Alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus; nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt“ (De praeser. 41; *M* 2, 56). At ex his verbis non apparet, utrum lectores pertinuerint ad statum clericalem an ad statum laicalem, quia toto illo loco *Tertullianus* haereticis obicit, quod distinctionem inter clericos et laicos non observarent. Ubi vero ministros ecclesiae de industria enumerat, solos episcopos, presbyteros, diaconos nominat (De bapt. 17; *M* 1, 1218) eosque solos laicis opponit: „Cum ipsi auctores, i. e. ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt, quomodo laicus intellegere poterit, qua ratione dictum sit: „Fugite de civitate in civitatem?“ (De fuga 11; *M* 2, 113. Cf. de monog. 11; *M* 2, 943).

Exstiterunt vero ordines minores temporibus *Cornelii papae* († 253), qui de *Novato* (*Novatiano*) schismatico scribit: „Ille evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica [loquitur de ecclesia urbis Romae], in qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) presbyteros quidem esse quattuor et quadraginta, septem autem diaconos totidemque subdiaconos, acoluthos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos“ (*Euseb.*, H. E. 6, 43; *M* 20, 622). Cum his comparari possunt, quae leguntur in Libro pontificali de *Fabiano* († 250) praedecessore *Cornelii*: „*Fabianus*, natione romanus . . . regiones [urbis Romae] divisit diaconibus et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integrum fideliter colligerent“ (*M* 10, 176; Liber pontificalis, ed. *Duchesne* I 148). Ex his non improbabiler concluditur a *Fabiano* factam esse munerum ecclesiasticorum distributionem et variorum ordinum institutionem, quia antea nulla unquam eorum mentio fit. Sine dubio antea aderant, qui ianuas custodirent, legerent aliisque modis clerum iuvarent; sed quaestio est, ex quo tempore haec munera in certum ordinem redacta, et, qui iis fungebantur, in numerum clericorum relati sint.

*Cyprianus* nominat subdiaconos (Ep. 8, 1; *H* 2, 485) vel hypodiaconos (Ep. 9, 1; *H* 2, 489), exorcistas et lectores (Ep. 23; *H* 1, 536), acoluthos (Ep. 7; *H* 2, 485); solum ostiariatum non commemorat. Ceterum praeter haec nomina interdum quaedam alia occurrunt. Ita *Pseudo-Ignatius* (saec. IV vel V) scribit: „Saluto sanctum presbyterium. Saluto sacrosanctos diaconos. . . . Saluto subdiaconos, lectores, cantores (ψάλτας), ostiarios, laborantes (κοπιώντας), exorcistas atque confessores. Saluto custodes sanctarum portarum diaconissas. . . . Saluto . . . virgines . . . Saluto pudicissimas viduas. Saluto plebem“ (Ad antiochens. 12). Cantores etiam occurrunt in canonibus aposto-

licis (*Hefele*, Konziliengesch. I<sup>2</sup> 793 sqq.), can. 27, in conc. laodic. can. 23 (*Hefele* l. c. I 765), in libro octavo Constitutionum apostolicarum (c. 28; *M* 1, 1123 sqq. Cf. 3, 11), in canonibus, qui adscribebantur conc. carthag. IV, can. 10 (*Denz.* n. 158). In ecclesiis orientalibus ordines minores multum differunt a nostris ordinibus minoribus (cf. *Goar*, Eucholog. 238 sqq.; *Denzinger*, Rit. orient. I 116). Quae omnia suadent ordines alios praeter episcopatum, presbyteratum, diaconatum esse ecclesiasticae institutionis, non vero sacramenta a Christo instituta.

363. Cum in hierarchia ordinis tres sint gradus divinitus instituti: episcopatus, presbyteratus, diaconatus, in hierarchia iurisdictionis duo tantum ex divina institutione sunt gradus: primatus summi pontificis et episcopatus. Quicumque igitur praeter hos habent iurisdictionem in ecclesia (sive ordinariam sive delegatam), eam non habent vi ordinationis divinae, sed vi legis vel consuetudinis ecclesiasticae. De qua re ait *Codex iuris canonici*, can. 108, § 3: „Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis pontificatu supremo et episcopatu subordinato: ex ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.“ Ita e. g. parochi non vi legis divinae sunt in ecclesia, cum primis saeculis parochi nulli fuerint in ecclesia, et cum nunc quoque possit res ita institui, ut solus episcopus sit parochus totius dioecesis, alii autem omnes sacerdotes adiutores eius ab eo delegati et ad nutum amovibiles. Hoc notandum est contra gallicanos et iansenistas, qui putabant episcopos nihil posse sine consensu parochorum; quae doctrina, a synodo pistoriensi proposita (Prop. IX X XI), a *Pio VI* damnata est (*Denz.* n. 1509 sqq.). Ergo parochi non sunt iudices iure proprio (cf. *Palmieri*, De Rom. Pont. 113).

Aliter autem censendum est de episcopis; nam non posset summus pontifex per se solum totam ecclesiam gubernare sine episcopis ordinariam iurisdictionem habentibus, quia hoc esset contra Christi institutionem. Nam *Christus* „ipse dedit quosdam quidem apostolos . . . alios autem pastores et doctores“ (Eph. 4, 11). „Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei“ (Act. 20, 28). Septem stellas, quas *Christus* in dextera sua habet (Apoc. 1, 16), sunt „angeli [episcopi] septem ecclesiarum“ (Apoc. 1, 20). Propter haec et alia dicta, quae supra (n. 337 339) iam indicata sunt, sancti Patres docent episcopos vi divinae institutionis esse in ecclesia (supra n. 316 349 sqq. 354 sqq.). Id ecclesia semper agnovit, ut in concilio vaticano sess. 4, proem.: *Christus* „quemadmodum apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre, ita in ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit“ (*Denz.* n. 1821). Et sess. 4, c. 3: „Tantum abest, ut haec summi pontificis potestas officiat ordinariae ac immediate illi episcopalis iurisdictionis potestati,

qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto, in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur" (*Denz.* n. 1828). *Leo XIII* in encyclica „Satis cognitum“ die 29 iunii 1896 de episcopis ait: „Quamquam neque plenam neque universalem ii neque summam obtinent auctoritatem, non tamen vicarii romanorum pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites ordinarii dicuntur.“ *Pius X* in encyclica „Pascendi“ (ed. *Herder* 112) monet: „Omnibus sacerdotibus animo ne excidant, quae *Leo XIII* (Encycl. „Nobilissima“ die 10 febr. 1884) gravissime commendavit: Sancta sit apud sacerdotes antistitum suorum auctoritas; pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio episcoporum exerceatur, neque sanctum nec satis utile neque honestum futurum.“ (Cf. infra n. 433 et *Palmieri* l. c. 109 sqq.)

Gradus vero episcopatu altiores, ut sunt archiepiscopatus, patriarchatus alique, non minus quam gradus inferiores sunt institutionis ecclesiasticae, quia iure divino nulla inaequalitas inter episcopos statuta est, sed omnes pariter soli summo pontifici subiecti sunt. Illi vero gradus superiores partim naturali quodam progressu, partim legislatione ecclesiastica orti sunt et consequenter a summo pontifice abrogari, immutari, restringi possunt.

### Prop. XXXIV. Ecclesia est societas monarchica.

#### Pars I. Proponuntur argumenta apologetica.

364. Vidimus ecclesiam ex divina institutione non esse societatem democraticam, in qua potestas radicaliter sit penes omnes et ab his committatur quibusdam ut ministris rei publicae, sed esse potius sacram hierarchiam, in qua quidam sint praepositi, alii vero subiecti. Oritur nunc quaestio, utrum ii, qui hierarchiam constituent, omnes pari modo sacri principatus participes sint, seu utrum forma regiminis ecclesiastici sit aristocratica, an potius ex iure divino supremum regimen sit penes unum, et forma regiminis sit monarchica.

Iam probavimus Christum in ecclesia sua unum primatem instituisse eiusque primatum perennem esse voluisse (Prop. XXVIII XXIX XXXI. n. 317 sqq.). Ergo Christus dedit ecclesiae suae formam monarchicam.

Successorem S. Petri in primatu esse episcopum romanum postea ostendemus (Prop. XLV). Hoc loco imprimis conceptus monarchiae ecclesiasticae paullo magis explicandus est, ut postea eo expeditius quaestiones historicas absolvere possimus.

365. Itaque successor Petri est verus monarcha, si penes eum est plenitudo iurisdictionis in supremo gradu, ut omnes ei subiciantur, ipse vero nulli sit subiectus. Imprimis igitur nihil potestatis eccle-

siasticae usquam in ecclesia existere potest, quod non sit in successore Petri vi muneris seu per modum ordinariae iurisdictionis. Dein vero omnis alia potestas ab ipso dependet; ipse vero a solo Deo. Ipsius iurdictio immediate respicit omnes fideles, ut iure suo in omnes et singulos sine interventu episcoporum possit exercere potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam ut in proprios subditos. Statim hic addere liceat, nondum probationis sed expositionis gratia, hunc esse conceptum, quem ecclesia catholica de primatu habet, ut patet e. g. ex definitionibus concilii vaticani, secundum quod successor Petri est verus Christi vicarius, totius ecclesiae caput et omnium christianorum pater et doctor; ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plena potestas tradita est; ipse super omnes ecclesias obtinet primatum iurisdictionis idque immediate, ei omnes alii pastores officio hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur, non solum in rebus fidei et morum sed etiam in omnibus, quae pertinent ad disciplinam ecclesiasticam. Ipse est supremus iudex in ecclesia, ad ipsum in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus recurri potest: ab ipsius autem iudicio ad nullum aliud tribunal appellari potest, cum sedis apostolicae tribunal sit omnium supremum (sess. 4. c. 3; *Denz.* n. 1826 sqq.).

366. Hunc autem conceptum esse verum inde probatur, quod *Christus Petro ea ratione tradidit iurisdictionem in universum gregem suum*, ut Petrus per hanc iurisdictionem sit fundamentum firmum ecclesiae et totius ecclesiae claves habeat omniumque fidelium pastor existat. Ergo omnes fideles ei ut proprio pastori subiecti sunt, omnesque causae ecclesiasticae ad eius claves pertinent. Quicumque ab eo non habet firmitatem, est extra ecclesiam, ut quae tota quanta aedificata sit super hoc fundamentum; quicumque ei non oboedit, est extra regnum Christi, quia huius regni claves habet Petrus; quicumque hunc pastorem non sequitur, non est ex ovibus Christi (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 441 sqq.).

367. *Necessitatem communionis cum sede romana iam Patres ecclesiae vehementer inculcant* (cf. supra n. 318). Ita saepissime *Cyprianus*: „Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit“ (Ep. 43, n. 5; *H* 2, 594). „Una ecclesia a Christo Domino nostro super Petrum origine unitatis et ratione fundata“ (Ep. 70, n. 3; *H* 2, 769). „Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur, quod ille solvisset“ (Ep. 73, n. 7; *H* 2, 783). Schismatici (novatiani) vero „ecclesiam scindentes et contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere et primatum assumere et baptizandi atque offerendi

licentiam vindicare conantur" (Ep. 69, n. 8; *H* 2, 757). Ideo vocat romanam ecclesiam, in qua est Petri cathedra (Ep. 55, n. 8; *H* 2, 630), „ecclesiae catholicae matricem et radicem“, cuius „communicatio est catholicae ecclesiae unitas“ (Ep. 48, n. 3; *H* 2, 607). Cyprianus, etsi aliis locis et sub alio respectu universalem ecclesiam vocat matricem et radicem, tamen hoc loco ita vocat ecclesiam romanam ratione primatus. Nam scribit ad Cornelium pontificem, cui sine dubio persuasum erat romanam ecclesiam tenere primatum in omnes ecclesias, et qui necessario hoc sensu verba Cypriani intellegebat; et scribit quidem, ut eos, quibus litteras tradidit, moneret sequendum esse eum, qui vere esset episcopus romanus, non eum, qui schisma faceret. Quare verba semper intellecta sunt de dignitate romanae ecclesiae, neque aliter interpretati sunt nisi quidam nostris temporibus, qui student, quantum possunt, subvertere testimonia primorum saeculorum, quibus asseritur primatus romanus. Plura de hoc textu vide apud *Ottiger*, *Theol. fundam.* II 659 sqq.; *Straub*, *De ecclesia Christi* II, n. 1410; *A. Kneller*, *Der hl. Cyprian und das Kennzeichen der Kirche*, in 115. *Ergänzungsheft zu den „Stimmen aus Maria-Laach“*, Freiburg i. Br. 1914, 33 sqq., et *Zeitschrift für kath. Theologie* XXXV, Innsbruck 1911, 253 sqq.

In libro *De unitate ecclesiae* c. 4 (*H* 1, 212; cf. infra n. 389) in quibusdam codicibus et editionibus haec verba leguntur: „Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus. . . . Eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum aedificat ecclesiam et illi pascendas oves mandat. Et quamvis apostolis omnibus parem tribuat potestatem et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum; si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cuius tenueritis, tenebuntur — tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit et unitatis originem atque rationem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimes consensione pascatur. Hanc Petri unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super quem fundata ecclesia est, deserit, in ecclesia se esse confidit?“ Hunc textum protestantes multi falsificationem papisticam declararunt. Sed *Chapman* ostendit eum iam citari saeculo VI a papa Pelagio II, et praeterea illa verba de primatu Petri, quibus protestantes offendebantur, scripta esse ab ipso Cypriano, qui ea addiderit, quando tractatum de unitate ecclesiae, iam prius scriptum, Romam miserit ad componendum schisma Novatiani (*Revue bénédictine* XIX et XX [1902 et 1903]; *Les interpolations dans le traité de St-Cyprien sur l'unité de l'Église*). Plurimi critici, etiam protestantes, censent *Chapman* probasse thesim suam.

Ceterum in epistulis quoque Cyprianus clare loquitur de primatu cathedrae Petri seu romanae, etsi fatendum est in mente Cypriani conceptum huius primatus fuisse satis indeterminatum. Ipse plerumque considerat unitatem singularum ecclesiarum, quarum membra suis quaeque episcopis subiecta esse debeant. Praeterea vero docet episcopos debere esse in communione cum romano pontifice, neque quemquam posse manere catholicum, qui a sede romana sit separatus. Ad hanc unitatem designandam dicit Christum prius instituisse Petri cathedram et postea constituisse ceteros apostolos „pari consortio praeditos et honoris et potestatis“. Non de temporali tantum antecessione loquitur, sed de „una ecclesia et de cathedra una super Petrum Domini voce fundata“ et de ratione unitatis, qua ecclesia supra Petrum est fundata. Itaque apostoli parem atque Petrus potestatem habebant, sed ita tantum, si coniuncti cum Petro ut principio unitatis manebant. Similiter episcopi in suis ecclesiis parem quidem atque romanus episcopus potestatem habent, dummodo cum ecclesia romana coniuncti maneant. Hanc ecclesiam vocat „ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis [episcopalis] exorta est“ (Ep. 59, n. 14; *H* 2, 683), „ecclesiae catholicae matricem et radicem“. Cum huius ecclesiae communicatio sit ecclesiae catholicae unitas, extra ecclesiam est, qui hac communione privatur. Sed ad conceptum perfectum iurisdictionis huius ecclesiae super alias ecclesias Cyprianus non videtur pervenisse, sed vaga quadam idea primatus ecclesiae romanae ad unitatem totius ecclesiae necessarii contentus fuisse. Potest etiam videri in fervore disputationis de rebaptizandis haereticis oblitus esse ea, quae alibi ipse docuerat. Nihilominus quidam protestantes, ut *Watson* (*The Journal of theological studies* V 436), immerito censent se ad defendendum „systema episcopale“ posse etiam ad Cyprianum provocare; nam secundum Cypriani principia manifesta et constantia episcopi anglicani sunt extra veram ecclesiam (cf. *Bernh. Poschmann*, *Die Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des hl. Cyprian*, Paderborn 1908, 12 sqq.; *Batiffol*, *L'Église naissante* 440 sqq.).

His ultimis annis tot scriptores in Cypriani doctrinam de primatu romani pontificis inquisierunt, ut vel eorum nomina et dissertationes enumerare longum sit. Quare sufficiat indicare unum librum, in quo ceterorum nomina, scripta, opiniones proponuntur: *J. Ernst*, *Cyprian und das Papsttum*, Mainz 1912. Omnibus perpensis hic auctor censet Cyprianum esse „testem valde bonum principatus ecclesiastici, divinitus fundati, non nominalis tantum sed realis, episcopi romani“ (p. 3 sq.). Cf. *Th. Spačil*, *Die neueste Literatur zur Cyprianfrage*, in *Zeitschrift für kath. Theologie* XXXVII, Innsbruck 1913, 604 sqq.

*Optatus Milevit.* ita alloquitur Parmenianum donatistam: „Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephass appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus

servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret<sup>1</sup> (De schism. donat. contra Parmen. l. 2, n. 2 sqq.: *M* 11, 947). *Gregorius Nyss.* ait: „Per Petrum [Christus] episcopis dedit clavem caelestium honorum“ (De castigat.: *M* 46, 311). In concilio ephesino (a. 431) Philippus, apostolicae sedis legatus, consentientibus Patribus dixit: „Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput fideique columna et ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet“ (conc. eph. act. 3: *Denz.* n. 112; cf. De Verbo incarnato IV, ed. 4/5, n. 573). Quae verba a concilio vaticano in definitionem suam recepta sunt (sess. 4, c. 2: *Denz.* n. 1824). Praeterea tum in veteribus monumentis pictis vel sculptis tum in scriptis SS. Patrum Petro apostolo is locus et gradus attribuitur in Novo Testamento, quem Moyses habuit in Vetere Lege<sup>1</sup>. Ergo S. Scriptura et antiquitas christiana docent constitutionem ecclesiae esse stricte monarchicam.

*Pars II. Solvuntur quaedam quaestiones dogmaticae annexae.*

**368.** Haec interim sufficiant ad hanc thesim positive stabiliendam. Ut autem conceptus monarchiae ecclesiasticae magis explicetur, iuvat quaestionem quandam dogmaticam hic statim subiungere, unde summus pontifex suam iurisdictionem accipiat, et quomodo ad eam se habeat iurisdictione episcoporum. Imprimis notandum est non agi de designatione personae; nam praeter apostolos non designavit Christus immediate ulla personam, quibus conferenda esset iurisdictione ecclesiastica<sup>2</sup>. Neque Christus ullum specialem modum definivit, quo eligendae essent personae ecclesiasticae, sed hanc determinationem reliquit ecclesiae. Cum autem leges ecclesiasticae non sint immutabiles, mirum non est, quod variis temporibus alii et alii modi electionis in usu fuerunt<sup>3</sup>. Neque hic agitur de potestate ordinis. Haec enim potestas, ut in tractatu de sacramentis ostenditur, confertur infusione characteris supernaturalis. Talem autem characterem solus Deus producere potest; ergo dubium non est, quin potestas ordinis immediate a Deo conferatur. Agitur ergo hoc loco de sola potestate iurisdictionis, quae a potestate ordinis est distincta et separabilis, ita ut e. g. per electionem canonicam factam et acceptatam aliquis possit esse summus

<sup>1</sup> Cf. Stimmen aus Maria-Laach LX (1896) 237 sqq.

<sup>2</sup> Non loquimur de revelationibus privatis, quae hac in re fortasse factae sunt, quia hae solummodo servire possunt ad dirigendos eos, quibus munus eligendi incumbit, nulla vero ratione ad impediendum exercitium ordinarii regiminis ecclesiastici.

<sup>3</sup> Ultima de hac re constitutio est *Pii X* „Vacante Sede Apostolica“ die 25 dec. 1904. Est documentum I in appendice Codicis iuris canonici.

pontifex cum primatu iurisdictionis, qui nondum habeat potestatem ordinis. De qua re ait *Nicolaus II* (conc. lateran. a. 1059): „Electus sicut verus papa obtineat auctoritatem regendi romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium [Magnum] ante suam consecrationem fecisse cognovimus“ (*Decr. Gratiani* Pars I, dist. 23, c. 1, § 6). Itaque si persona est sufficienter designata, nihil deest, quominus statim iurisdictionem accipiat, cum per iurisdictionem fori externi nullus effectus producat. qui a potestate ordinis pendeat.

**369.** *Certum est inter catholicos romanum pontificem accipere potestatem iurisdictionis immediate a Deo, seu unicam causam efficientem huius iurisdictionis esse permanentem illum actum voluntatis, quo Christus Petro eiusque successoribus primatum contulerit* (cf. *Suarez*, De leg. 4, 3, n. 10 sqq.). Nam ut pontifex ab alio iurisdictionem acciperet, debuisset Christus aliquem vel aliquos constituere, qui romano pontifici potestatem conferrent. Atqui neminem ad hoc constituit, sed ipse Christus iurisdictionem immediate contulit Petro; Petri vero successores eo ipso, quod eius successores erant, semper habiti sunt summi pontifices. Soli gallicani, iansenistae alique, quos antea (n. 357) nominavimus, hoc in dubium vocaverunt, eo tantum argumento nixi, quod Christus ratione prius toti ecclesiae potestatem tradidisset, ut ab ecclesia daretur potestas summo pontifici, id quod falsum esse iam diximus. Quia igitur praeter successorem Petri nullum subiectum adest, cui Christus potestatem pontificiam tradiderit, nullum adest subiectum, quod hanc potestatem conferre possit. Hinc *conc. florentinum* in decreto unionis definivit: successorem Petri „verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse“ (*Denz.* n. 694).

**370.** *Aliter res se habet de episcopis.* Est enim in ecclesia is, qui ut primas habeat totam plenitudinem iurisdictionis in universam ecclesiam et omnes partes eius, et qui consequenter possit ex plenitudine suae potestatis conferre aliis iurisdictionem in quamlibet partem ecclesiae. Atqui ubi adest causa secunda sufficiens ad effectum producendum, non est rationi consonum recurrere ad immediatam actionem causae primae. Ergo, quia romanus pontifex potest aliis iurisdictionem conferre, ratio suadet iurisdictionem episcopalem revera ab eo conferri, non vero immediate a Deo. Si vero iurisdictionem confert, facile intellegitur, quomodo romanus pontifex possit cuiuslibet episcopi potestatem amplificare, restringere, tollere.

Hanc sententiam docuerunt summi theologi ut *S. Thomas*: „Papa, qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso“ (In Matth. 16, 2: cf. Contra gent. 4, 76), *Bellarminus* (De Rom. Pontif.



4, 24), *Suarez* (De leg. 4, 4), multi alii, quos *Mazzella* citat (De eccl. n. 1007). Quare *Benedictus XIV* merito ait: Haec sententia „et rationi et auctoritati conformior videtur“ (De syn. 1, 4, n. 2). Concedunt hi doctores episcopatum in genere esse ab ipso Christo institutum, substantiam potestatis episcopalis esse a Christo determinatam, ex praeccepto Christi episcopatum debere perennem esse in ecclesia, consequenter episcopos non habere potestatem delegatam tantum ut vicarios papae, sed potestatem ordinariam ut vicarios Christi in particulari aliqua ecclesia. Nihil igitur aliud volunt nisi actuale iurisdictionem episcopalem huic determinato homini conferri iniunctione summi pontificis, Christi vero voluntatem non esse causam proximam sed ultimam huius particularis iurisdictionis.

**371.** Nihilominus multi alii hanc sententiam negarunt et docuerunt actuale iurisdictionem cuiuslibet episcopi immediate a Christo conferri in ordinatione episcopali, a summo vero pontifice dependere designationem personae et exercitium iurisdictionis in actu secundo. Non est putandum hac sententia destrui primatum romani pontificis; nam etiam secundum hos doctores episcopi subsunt potestati papae; sicut apostoli, quamvis immediate a Christo iurisdictionem accepissent, tamen super Petrum ut fundamentum aedificati et eius iurisdictioni subiecti erant. Hanc sententiam in Hispania maxime propugnauerat celeberrimus magister *Franciscus de Victoria*. Unde factum est, ut in concilio trident. prae ceteris episcopi hispani hanc opinionem tuerentur (cf. *Grisar*, *Iacobi Lainez* disput. trid. I 31\*). Quibus longa disputatione se opposuit *Iacobus Lainez*, praepositus generalis S. J. Quamvis autem Lainii sententia postea longe communior facta sit, fuerunt tamen usque ad nostra tempora, qui iurisdictionem episcoporum immediate a Deo conferri censerent. Ita *Vasquez* (II, disp. 125, c. 3, n. 28), *Neubauer* (*Wirceb.*, De legibus, n. 103), *Phillips* (*Kirchenrecht* I 186 sqq.), alii non pauci. Argumentantur ex eo, quod apostolis iurisdictione immediate a Christo data est; ergo etiam eorum successoribus. At hoc non sequitur, cum multa data sint apostolis, quae non data sunt eorum successoribus, sicut iurisdictione indefinita in quoslibet fideles. Quia igitur hi theologi concedunt non omnes praerogativas apostolorum transiisse in episcopos, haec argumentatio vi caret. Praeterea argumentantur ex illis verbis: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei“ (Act. 20, 28), et: „Ipse dedit quosdam... pastores et doctores“ (Eph. 4, 11). At hi textus probant quidem a Deo instituta esse munera ecclesiastica et specialem providentiam esse circa haec munera; sed non probant a Spiritu Sancto immediate iurisdictionem conferri sine interventu causae humanae. Porro argumentantur ex eo, quod in consecratione episcopis immediate a Deo episcopatus confertur; ad episcopatum autem pertinet iurisdictione; ergo haec quoque ab ipso Deo in consecratione confertur. At certum est vi solius conse-

crationis episcopum nullam iurisdictionem habere, cum per consecrationem subditos non accipiat, ut evidens est in episcopis, qui dioecesim non habent. Iurisdictione autem sine subditis repugnat. Cum e contra etiam iis, qui non sunt episcopi, possit iurisdictione episcopalis conferri, probabilius est causam proximam huius iurisdictionis esse voluntatem summi pontificis; nam secus duplex fons iurisdictionis episcopalis admittendus est, id quod sine ratione diceretur. Si olim in quibusdam ecclesiis episcopis iurisdictione dabatur a patriarchis, non prius interrogato summo pontifice, cum patriarchatus non sit institutum divinum, sed humanum, haec potestas patriarcharum non potuit venire nisi a iure humano, i. e. tandem aliquando a summo pontifice, qui saltem tacite hunc modum approbavit. Alia argumenta adversariorum vide a Patre *Lainez* proposita et refutata (*Grisar*, *Iacobi Lainez* disput. trid. I 190 sqq.).

Ceterum *Pius VI* brevi „Super soliditate“, d. 28 nov. 1786, quo damnatur libellus *Eybelii* „Quid est papa?“ diserte propugnavit doctrinam iurisdictionem omnem episcopalem dari a summo pontifice: „Qua [in apostolica] sede constitutam Patres unanimi sensu cathedram eam coluere, qua in una unitas ab omnibus servaretur, e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant; ad quam necesse sit omnem ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles convenire. Non ille [Eybel] veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse, qui claves regni caelorum cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit, eundem porro vicarium esse Christi, caput ecclesiae visibile, iudicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni caelorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis, quas claves communicandas ceteris, post Tertullianum, Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit?“ (*Denz.* n. 1500.) Cum praeterea multa concilia, provincialia nostris temporibus hanc doctrinam professam sint, ea nunc communiter recepta censenda est (cf. *Wernz*, *Ius Decret.* II, n. 737 sqq.; *Wilmers*, *De Christi eccl.* 355 sqq.).

**372.** Si de modo quaeritur, quo summus pontifex episcopis conferat iurisdictionem, dicunt hanc collationem fieri iniunctione. Intellegitur autem iniunctio actus voluntatis, quo superior alicui imponit curam regendi alios. Duo igitur facit pontifex, quando episcopo confert iurisdictionem: ipsi episcopo munus regendi imponit cum annexis oneribus et iuribus, subditis vero praecipit oboedientiam erga episcopum, seu illum facit principem ecclesiasticum, fideles vero alicuius territorii facit subditos eius. Itaque quod vi iniunctionis facit, papa facit ut summus princeps ecclesiae, cuius est alios inferiores principes

constituere. Sic igitur distinguitur iniunctio a consecratione vel ordinatione, in qua effectus non producitur voluntate consecrantis, sed voluntate Dei. In consecratione minister adstringitur certis ritibus, quibus debito modo positus effectus sequitur ex opere operato, in iniunctione vero nullus determinatus ritus necessarius est, sed princeps quemlibet convenientem modum eligere potest (cf. *Grisar*, Iacobi Lainez disput. trid. I 254 sqq.).

373. *Sicut singuli episcopi, ita omnes simul, etiam in concilium congregati, summo pontifici subiecti sunt* et ab eo iurisdictionem in universam ecclesiam habent, eorumque decreta ante confirmationem a papa acceptam non sunt definitiva et absoluta. Semper enim verum manere debet solos successores Petri habere claves regni et omnes eorum solvendi et ligandi potestati subiacere; argumenta enim, quae probant iurisdictionem papae in singulos episcopos, non minus probant eius iurisdictionem in totum corpus episcoporum (cf. *Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck 1877, 287 sqq.).

*Erraverunt igitur gallicani* docentes pontificem subesse decretis a maiore parte synodi oecumenicae factis et ideo licere a papa appellare ad concilium. Saepius contraria doctrina ab ecclesia statuta est, ut a *Leone X* bulla „Pastor aeternus“ in concilio lateran. V a. 1516 edita: „Solum romanum pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem . . . nedum ex S. Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum romanorum pontificum etiam, praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat“ (*Denz.* n. 740). De appellationibus vero a papa ad concilium factis *Pius II* bulla „Exsecrabilis“ statuit: „Huiusmodi provocationes damnamus et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus“ (*Denz.* n. 717). Eadem repetit *concilium vatic.* sess. 4, c. 3 (*Denz.* n. 1830); item *Codex iuris canonici* can. 228, § 2.

*Gallicani provocabant ad decreta concilii constantiensis*, quae, si auctoritatem haberent, sine dubio eorum doctrinam probarent. At decreta, de quibus agitur, numquam a summis pontificibus agnita, sed potius reiecta sunt (cf. *Denz.* n. 657, nota). *Martinus V* approbavit quidem concilium constant., sed quoad ea tantum decreta, quae facta sunt contra *Wicelif*, *Hus*, *Hieronymum de Praga*, porro decretum de communione sub una specie et salvum conductum haereticis datum. Nam de his solis sermo est in duabus bullis *Martini V* „Inter cunctas“ et „In eminentis“ (febr. 1418). Loquuntur quidem nonnulli de alia confirmatione, quam dederit *Martinus V* die 22 aprilis post sessionem 45, dicens se approbare ea, „quae in materia fidei conciliariter statuta erant, et non alia nec alio modo“. His verbis, quae accidentaliter occasione alicuius tumultus exorti dicta erant, certe non continetur novum decretum, quo omnia, quae umquam in illa synodo statuta

erant, comprobentur. Sed de hac re agitur in historia ecclesiastica (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 474 sqq.).

374. Sicut non subest conciliis, ita *summus pontifex non ligatur ullis decretis vel canonibus pure ecclesiasticis* eo modo, ut *valor* actuum eius ex iis pendeat. Dico „pure ecclesiasticis“, nam iuri divino, sive naturali sive positivo, sine dubio etiam papa subicitur. Si vero canones sunt pure ecclesiastici, aut processerunt a summo pontifice (sive solo sive cum concilio) aut ab aliis inferioribus praepositis. Si ab inferioribus, certe hi non possunt ligare pontificem, cum nullam in eum auctoritatem habeant. Sin ab auctoritate pontificia processerunt, per hanc auctoritatem potest tolli, quod per eam factum est. Praeterea illa auctoritas, quam *Petrus* a *Christo* accepit, nullis limitibus canonicis circumscripta erat; ergo, si postea talibus limitibus circumscribitur, mutatur. Iamvero nullus homo potest mutare, quod *Christus* instituit, nec limitare, quod *Christus* illimitatum dedit. Ideo merito damnatus est articulus tertius gallicanus: „Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos . . .“ (*Denz.* n. 1324). Potest igitur papa leges ecclesiasticas authentice interpretari, eas mutare et abrogare, in iis dispensationes et privilegia concedere (cf. *Phillips*, *Kirchenr.* V 42 sqq. 95 sqq. 147 sqq.).

*Canones ecclesiastici pro summo pontifice vim directivam tantum habent*, i. e. recte munere suo fungitur papa, si ad normam horum canonum ecclesiam regit. Immo non licite ageret, si vellet leges ecclesiasticas flocci facere vel plane arbitrarie et sine ulla ratione eas mutare aut abrogare. Nam tali agendi ratione bonum ecclesiae regimen perverteretur. Nihilominus haec obligatio non oritur ex oboedientia erga ullam iurisdictionem ecclesiasticam sed ex lege naturali. Secundum hanc explicationem facile intellegitur, quomodo saepe pontifices negaverint se posse contra canones statutos agere: videlicet id indiscriminatim facere esset illicitum, quia in detrimentum disciplinae ecclesiasticae cederet (cf. *Palmieri* l. c. 496 sqq.).

*De stipulationibus a futuro pontifice ante electionem factis* *Pius X* haec statuit: „Interdicimus, ne Cardinales, antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant seu quaedam communi consensu statuunt, ad quorum observantiam sese adstringant, si ad pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus“ („Vacante Sede Apostolica.“ In appendice *Codici* iuris can. Document. I, Cap. VI, n. 83). Sic igitur finita est haec quaestio olim disputata.

Immo non posset pontifex, etiamsi vellet, se subicere ulli potestati coactivae, e. g. concilio, sed solum directivae, quia nemo potest se ipsum cogere; cogeret autem se ipsum pontifex, si tali modo se subiceret, quia omnis talis potestas ab ipso descenderet; neque pot-

est divinam constitutionem ecclesiae mutare, qua pontifex ab omni iurisdictione humana in rebus spiritualibus eximitur (cf. *Bellarmin.*, De conc. l. 2, c. 13 sqq.). Itaque „patet profecto sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio“ (*Nicolaus I* ad Michael. imperat. a. 865; *Denz.* n. 333. *Conc. vatic.* sess. 4, c. 3; *Denz.* n. 1830).

**375.** Contra vero possunt ad summum pontificem ex toto orbe terrarum appellationes fieri a quocumque inferiore iudice ecclesiastico, ut locis modo citatis docent *Nicolaus I* et concilium vaticanum. Cum enim pontifex habeat claves regni et possit in regno Christi omnia ligare et solvere, dubium non est, quin possit inferiorum iudicium sententias ad examen revocare easque, si opus sit, corrigere. (Historicas difficultates, quas contra hanc doctrinam proposuerunt, vide apud *Palmieri*, De Rom. Pont. 490 sqq. Cf. *Phillips* l. c. V 115 sqq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 751 sqq.).

**376.** Est igitur ecclesia monarchia simplex (non mixta vel repraesentativa), solis legibus divinis temperata, quae tamen adiuncta habet elementa aristocraticum et democraticum: aristocraticum, non quatenus suprema potestas divisa est inter plures, sed quia summus pontifex ex institutione Christi debet episcopos „in partem sollicitudinis vocare“: democraticum, quatenus ex omni populo et condicione viri apti admitti possunt ad quasvis dignitates ecclesiasticas (*Bellarmin.* l. c. 1, 3. *Mazzella*, De eccl. n. 536 sqq.).

Merito *Gregorius M.* titulum oecumenici episcopi non solum in *Ioanne Ieiunatore* damnavit, sed etiam a se repudiavit eo sensu, quod unus possit ita dici universalis episcopus, ut aliorum episcoporum iurisdictione ordinaria et iure divino instituta negetur (cf. l. 5, ep. 18: *M* 77, 758). Ceterum omnes esse summo pontifici subiectos idem sanctus doctor saepissime repetivit. Nam de sede apostolica ait: „Quae omnium ecclesiarum caput est“ (Ep. l. 13, ep. 45; *M* 77, 1298); de sede autem constantinopolitana: „Quis eam dubitet sedi apostolicae esse subiectam?“ (Ep. l. 9, ep. 12; *M* 77, 957; cf. ib. 962 995 1047 etc.). Plura apud *Palmieri* l. c. 523 sqq.; *Ottiger* l. c. II 621 sqq.; cf. 863.

**377. Schol. 1** (dogmaticum). De potestate summi pontificis circa ius divinum.

Cum tantam et tam universalem potestatem a Christo acceperit, potest quaestio fieri, num summus pontifex aliquid possit circa ius divinum. Ad hanc quaestionem solvendam duplex ius divinum distinguendum est: alterum, quod ipse Deus per se absolute statuit, sive lege naturali sive lege positiva; alterum, quod Deus ex actione hominis quodammodo acquirit, quando homo aut per votum vel iura-

mentum vel contractum Deo aliquid vel directe vel indirecte promittit aut peccando debitum culpae et poenae coram Deo contrahit. Illud potest vocari ius divinum obiectivum, hoc ius divinum subiectivum.

Circa ius divinum obiectivum summus pontifex non habet potestatem nisi authenticae interpretationis, non vero abrogandi, mutandi, dispensandi, quia neque Deus talem potestatem ecclesiae diserte dedit, neque eam postulat bonum ecclesiae, neque unquam ecclesia dictis vel factis ostendit se quicquam in hac re posse. Unde mirum non est, quod unanimis fere theologorum consensus dispensandi facultatem in iure divino obiectivo ecclesiae inesse negat. Hoc de singulis materiis, ut de sacrificio, sacramentis etc., alibi ostenditur.

Aliter res se habet circa ius divinum subiectivum. Nam quod attinet ad debitum ex peccato contractum, certum est ecclesiam posse hoc debitum iudicialiter remittere, et hanc potestatem, ut est potestas iurisdictionis, in summo gradu esse penes summum pontificem et ab eo cum aliis communicari. Hoc ostenditur in tractatu de sacramento paenitentiae. De promissionibus vero, quae Deo per votum vel iuramentum fiunt, statuendum est eas quoque subiacere iurisdictioni ecclesiasticae; ecclesia enim a Christo universalissimam potestatem accepit dirigendi homines in iis, quae sunt ad vitam aeternam. Unde si bonum commune postulat, ut in quibusdam condicionibus eiusmodi promissiones condonentur, ecclesia dicenda est habere potestatem ab iis dispensandi vel eas commutandi. Hoc confirmatur ex praxi ecclesiae. Idem dicendum est de unico contractu intrinsecus sacro, qui fit inter homines christianos, scilicet de matrimonio, quamdiu hic contractus ultra limites actus voluntatis ad externum effectum (copulae carnalis) deductus non est. Nam hunc effectum utique ecclesia rescindere nequit, et hic effectus propter specialem significationem, quam habet in Novo Testamento, ipsum quoque contractum reddit absolute indissolubilem (cf. *Suarez*, De relig. tr. 6, l. 6, c. 9, et De leg. l. 10, c. 6 et c. 7, n. 1).

**378. Schol. 2** (historico-dogmaticum). De decretalibus Pseudo-Isidorianis.

Non raro a protestantibus, *Febronio* aliisque affirmabatur magnam illam potestatem, quam catholici summo pontifici adscriberent, referendam esse ad falsificationes *Pseudo-Isidori*. Cum vero hodie, postquam quaestio haec historica diligenter investigata est, haec obiectio iam vix proferatur nisi forte ab iis, qui sunt aut plane peregrini in rebus historicis aut aperte malae fidei, huic rei non diu immorandum est. Illa igitur collectio canonum orta est circa medium saeculum IX in regno francico, quando ibi sub *Ludovico Pio* eiusque filiis res omnes civiles et ecclesiasticae in summa perturbatione erant. Cui malo ut mederetur, *Benedictus* quidam Levita, ut satis communiter censent, vel alius ignotus, leges ecclesiasticas in unum corpus collegit et ita disciplinam ecclesiasticam hominibus in mentem revocavit. Non novam

disciplinam excogitavit, sed eam, quae tunc vigeat, multis falsis decretalibus confirmare studuit easque vel ipse vel alius, a quo ipse hauserat, pontificibus et conciliis priorum saeculorum adscripsit et totum opus Isidoro (Hispalensi) tribuit. Paucissima vere nova (de appellationibus) statuit, et haec in usum recepta non sunt; plurima autem, quae affert, sunt reapse leges ecclesiasticae, licet ad alios auctores referendae sint, atque quibus ipse eas adscribit. Quod ad primatum summi pontificis attinet, plane nihil profert Pseudo-Isidorus, quod non multo ante ab omnibus christianis agnitum erat. Quam verum hoc sit, patebit inspicienti disputationem illam, quam *Lainez* in concilio tridentino de iurisdictione episcopali habuit: nam si omissis falsatis decretalibus (quae in editione Patris *Grisar* minoribus typis impressae sunt) genuina tantum testimonia retinentur, totum argumentum pro potestate summi pontificis stat invictum (cf. *Grisar* l. c. I 97 sqq.). Quantum ad singulas praerogativas papae, quae per Pseudo-Isidorum introductae esse dicuntur, *Palmieri* ostendit eas iam multo ante exstitisse (l. c. 530 sqq.). De collectione Pseudo-Isidori inter alios scripserunt *Möhler* (*Gesamm. Schriften* I 268 sqq.), *Phillips* (*Kirchenr.* IV 61 sqq.), *Paul Fournier* (*De l'origine des fausses décrétales. Congrès scientifique internat., Paris 1889, 403 sqq.*), alii non pauci.

#### Prop. XXXV. Ecclesia est societas perfecta.

379. Societates omnes dividuntur in perfectas et imperfectas seu in independentes et dependentes. Nam cum societas sit coniunctio hominum ad communem finem prosequendum, *societas ut societas est perfecta, si perfectus est finis eius, et si habet omnia media necessaria ad finem assequendum*. Finis autem is est perfectus, qui non est subordinatus alteri humano fini, sed in suo ordine summus est. Iamvero duplex est ordo distinctus: naturalis et supernaturalis. In ordine naturali ea societas est perfecta, cuius finis est integrum bonum naturale hominis, non hoc vel illud particulare bonum, et quae habet in se omnia media necessaria ad hunc finem assequendum. Talis autem societas est sola societas (respublica) civilis, quae est suprema omnium et sibi subordinatas habet omnes inferiores societates naturales easque tamquam organicas partes in unum magnum organismum coniungit, cuius est omnia bona naturalia prosequi. Aliae vero societates, ut familiae et municipia, sunt societates imperfectae, quia ex natura rei destinatae sunt, ut cum multis aliis tamquam partes in maiorem societatem coalescant et in hac unione omnia vitae commoda necessaria sibi comparent.

In ordine supernaturali particulares ecclesiae vel ordines religiosi non sunt perfectae societates, cum sibi solae non sufficiant, sed suam sufficientiam ab altiore societate, cuius sunt partes, obtineant. Independentiae internae, quae societati perfectae convenit, respondet independentia externa: nam societas, quae in ratione finis et mediorum sibi sufficit, ab alia societate non dependet in ordine suo.

380. *Argumentum.* Ecclesiam esse societatem perfectam inde efficitur, quod finis eius est per rectum cultum Dei perducere omnes homines ad aeternam salutem, quo altior finis excogitari nequit. Porro ecclesiae Christus dedit universalissimam potestatem docendi, regendi, sanctificandi homines, quae sunt media ad illum finem necessaria. In quantum vero ecclesia indiget rebus temporalibus, lex divina providit, ut subditi ecclesiae pro beneficiis spiritualibus, quae recipiunt, sustentent ecclesiam rebus temporalibus (1 Cor. 9, 4 sqq. Gal. 6, 6). Has res temporales iure suo potest ecclesia a subditis suis poscere, quamvis praeferat voluntarias collationes ex sola caritate factas (cf. IX, n. 371 sqq.). Nihil igitur est, quod in suo ordine ab alia societate eam accipere necesse sit. Nam inferiores societates religiosae omnia ab ecclesia accipiunt, societates vero naturales nihil per se possunt in ordine supernaturali. Neque enim Christus alii societati, e. g. civili, dedit potestatem spiritualem, ut ab illa ecclesia accipiat, sed totam potestatem immediate dedit apostolis eorumque successoribus, ut demonstratum est.

Quare videmus *apostolos* non adeuntes auctoritatem civilem, ut ab illa potestatem necessariam accipiant (cf. Gal. 1, 1 sqq.; Eph. 4, 11 etc.), sed potius potestate sua propria nixos omnem interventum potestatis civilis reicientes (Act. 4, 19; 5, 29 42 etc.) et hac in re sequentes doctrinam, quam ab ipso Christo acceperant (Matth. 10, 17 sqq.).

381. Eundem videmus esse *sensum ecclesiae* per omnia saecula. Ita *S. Gregorius Naz.* alloquitur principes et praefectos: „Vos quoque imperio meo et throno lex Christi subicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam praestantius et perfectius“ (Sermo 17 ad cives nazianzenos n. 8; *M* 35, 975). *S. Athanasius*: „Si illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperatorem? sin imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus, qui vocantur episcopi? Quandonam a saeculo res huiusmodi audita est? Quandonam ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac synodi coactae sunt, multa prodire ecclesiae decreta, sed numquam Patres res huiusmodi imperatori suasere, numquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit“ (Hist. Arian. n. 52; *M* 25, 755). *Hosius Cordub.* ad Constantium imperatorem: „Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas; tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit“ (ib. n. 44; *M* 25, 746). *Ambrosius*: „Tributum Caesaris est, non negatur; ecclesia Dei est, Caesari utique non debet addici, quia ius Caesaris esse non potest Dei templum. . . . Imperator intra ecclesiam, non supra ecclesiam est“ (Epist. 21 contra Auxent. n. 35; *M* 16, 1018). Alia apud *Palmieri*, De Rom. Pont. 118 sqq.; *Hergenröther*, Kirche und Staat 375 sq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 312 sqq.

382. (Confirmatio dogmatica.) *Idem saepius declararunt summi pontifices.* Ita, ut alios omittamus, *Pius IX* damnavit hanc propositionem (19. Syllabi): „Ecclesia non est vera perfectaue societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino fundatore suo collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat“ (*Denz.* n. 1719). *Leo vero XIII* in encyclica „Immortale Dei“ ait: Ecclesia „distinguitur et differt a societate civili, et quod plurimum est, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se ac per se ipsa possideat“ (cf. *Denz.* n. 1869). Mirum igitur non est, quod inde a primis saeculis ecclesia maluit gravissimas persecutiones subire quam libertatem et independentiam suam arbitrio potestatis civilis prodere (cf. *Mazzella*, De ecclesia n. 553).

383. *Praecipua difficultas* in hac parte est, quod ecclesia non habet proprium territorium neque subditos, qui non ratione prius subiecti sint societati civili. At hoc fortasse aliquid probaret, si ecclesia esset societas naturalis, quia non facile intellegitur, quomodo vi solius legis naturalis in eodem territorio et cum iisdem subditis duae societates supremas et inter se independentes possint oriri. Sed tota difficultas nulla est, ubi agitur de societate, quae positivae institutioni Dei ortum suum debet, quaeque habet finem et media a ratione societatis civilis toto genere diversa, ut conflictio inter utramque potestatem non possit oriri nisi vitio hominum, ratioque componendi litem numquam desit. Deus enim, qui lege naturae potestati civili in suo territorio dedit auctoritatem independentem in rebus temporalibus, dedit lege positiva ecclesiae iurisdictionem in rebus spiritualibus per totum orbem terrarum. Itaque totus orbis est territorium ecclesiae, non quantum ad dominium proprietatis, sed quantum ad potestatem spiritualis iurisdictionis, neque ulla auctoritas civilis habet ius in suo territorio ecclesiae interdicendi usum huius iurisdictionis; sed independentem a consensu auctoritatis civilis ecclesia ubique legitime existere et munere suo fungi potest. Ille enim, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, provocans ad hanc suam potestatem dixit apostolis: „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae“ (Marc. 16, 15). Possunt quidem homines persequi ecclesiam, at eam suae iurisdictioni subicere numquam possunt. Ceterum facile apparet, quam conveniens sit, quod Deus nobilissimam societatem, quam ipse fundavit, non subiecit tot, tam diversis, tam variantibus potestatibus civilibus, quae saepe ne christianae quidem sunt sed infideles et paganae (cf. *Tarquini*, Ius eccl. publ., ed. 7. 36 sqq.; *Wilmers*, De Christi ecclesia 134 sqq.).

384. Si imperatores priorum saeculorum, maxime graeci, se non raro interposuerunt rebus ecclesiasticis, aut dicendi sunt solum confirmasse

decretis suis leges ab ecclesia factas aut ex mandato auctoritatis ecclesiasticae egisse. Interdum vero auctoritatem sibi arrogarunt, quam non habebant, quare merito ab ecclesiastica auctoritate saepe monita acceperunt, ut ab hoc coepto desisterent. E. g. *S. Ambrosius* ait: „Quando audisti, elementissime imperator, in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Imperator intra ecclesiam, non supra ecclesiam est; bonus imperator quaerit auxilium ecclesiae, non refutat“ (Ep. 21, n. 35; *M* 16, 1018).

385. Verba autem *Optati Mileritani*, ad quae interdum adversarii nostrae doctrinae provocant, non sunt ad rem. Ait quidem *Optatus*: „Non est respublica in ecclesia, sed ecclesia in republica est“ (De schism. Donat. 3, 3; *M* 11, 999). Haec verba proxime intelleguntur de civili inexistencia; mox enim addit: „id est in imperio romano“. Vult autem dedocere donatistas, qui „meditabantur potestatibus et regibus iniuriam facere“, et monet pro regibus potius orandum esse: „Sic enim docet beatus apostolus Paulus: Rogate pro regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus.“ Quia ecclesiae pax adeo pendet e potestate civili, pro imperio romano orandum est, „ubi et sacerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et si essent, tuta esse non possent“. Neque igitur docet *S. Optatus* ecclesiam esse partem imperii romani neque eam intra limites huius imperii includit, sed dicit in imperio romano ecclesiam meliore condicione frui quam in regionibus barbarorum. Iam multo ante *Tertullianus* scripserat: Oramus pro imperatore; „cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius, utique et nos, licet extranei a turbis, in aliquo loco casus invenimur“ (Apol. c. 31; *M* 1, 446). Plura vide apud *Ottiger* (Theologia fundam. II 227 sqq. 256 sqq.), *Straub* (De ecclesia Christi II, n. 1074 sqq.), *M. d'Herbigny* (De ecclesia I 101 sqq.).

De mutua relatione inter ecclesiam et societatem civilem agitur in iure canonico<sup>1</sup>. Interim cf. prop. Syllabi 19 20 26 sqq. 41 42 44 54 (*Denz.* n. 1719 sqq.).

#### Prop. XXXVI. Non est nisi unica ecclesia Christi.

386. Cum *protestantismus* nequaquam sit una quaedam societas, sive unitas doctrinae sive unitas regiminis spectatur, sed in permultas sectas divisus sit, sua sponte oriebatur dubitatio, quomodo haec vel illa secta in angulo mundi existens posset esse illa ecclesia Christi, cuius amplitudo tam magnificis verbis saepe in Scriptura praedicatur. Ab hac difficultate ut se extricarent, multi protestantes excogitaverunt illam theoriam, secundum quam omnes vel saltem praecipuae societates religiosae christianorum sint rami magnae arboris,

<sup>1</sup> *Ios. Laurentius*, Institutiones iuris ecclesiastici<sup>3</sup> (Friburgi 1914) n. 1132 sqq.  
*Pesch*, Praelectiones dogmaticae. I. Ed. 6/7. 18

quae sit ecclesia Christi (Branch-Churches), vel sorores, filiae eiusdem matris (Schwesterkirchen), vel similia. Ita secundum ritualistas anglicanos tota ecclesia Christi constat ex ecclesiis romana, graeca, anglicana, quae quidem eo solo vinculo contineantur, quod eosdem essentialia articulos fidei teneant, quamvis in multis accidentalibus articulis inter se discrepent (cf. *Murray*, De eccl. I 395 sqq.). Contra hos igitur negamus posse plures ecclesias Christi esse, et dicimus unicam tantum esse veram Christi ecclesiam, alios vero coetus immerito sibi hanc appellationem attribuere.

**387. Argumentum 1.** Supposito eodem fine unitas societatis maxime consistit in unitate regiminis; regimen enim est vinculum reale uniens homines in unam societatem. Iamvero nihil potest esse magis evidens quam Christum unum regimen pro tota sua ecclesia instituisse. Omnes enim fideles subiecit collegio apostolorum eorumque successoribus, et huic collegio ut principium perfectae unitatis praefecit Simonem Petrum et sequentes summos pontifices. Unum ovile esse voluit (Io. 10, 16) et unum pastorem, cui omnes suas oves commisit (Io. 21, 17). Super unum fundamentum primatus integram ecclesiam suam aedificavit, et uni dedit claves regni caelorum (Matth. 16, 18). Numquam Christus loquitur de ecclesiis suis, de regnis suis, de ovilibus suis, sed de una ecclesia, de uno regno, de uno ovili.

**388. Argumentum 2.** Apostoli hanc unitatem ecclesiae saepe inculcant. Ecclesia enim est unica sponsa Christi; unde christianorum matrimonium, quia debet coniunctionem inter Christum et ecclesiam repraesentare, debet esse inter unum et unam (Eph. 5, 23 sqq.)<sup>1</sup>. „Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnia et per omnia et in omnibus nobis“ (Eph. 4, 4 sqq.). Nam cum ecclesia sit corpus Christi (Eph. 1, 22 sq.), quomodo potest Christus habere plura corpora? et quidem corpora tam inter se opposita, quam sunt varii illi coetus, ex quibus protestantes volunt constitui ecclesiam Christi? Aut quomodo hoc cohaeret cum iis, quae Paulus scribit ad Timotheum (1 Tim. 3, 15): „Haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis“?

**389. Argumentum 3.** Neque minus SS. Patres hanc unitatem ecclesiae efferunt. *Clemens Alex.*: „Ex iis, quae dicta sunt, manifestum esse censeo unam esse veram ecclesiam, eam, quae vere est antiqua, in cuius catalogum referuntur ii, qui sunt iusti ex proposito... In unius ergo naturae sortem cooptatur ecclesia, quae

<sup>1</sup> Cf. De Verbo incarn. IV, n. 11; De matrim. VII, n. 699 sqq. De historia conceptus Sponsae Christi agit *A. Allgeier*, Der Katholik 1917 I 145 sqq.

est una, quam conantur haereses in multas discindere“ (Strom. 7, 17; *M* 9, 551). *Cyprianus*: „Super unum [Petrum Christus] aedificat ecclesiam... Ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... Quam unam ecclesiam etiam in Cantico canticorum [6, 8] Spiritus Sanctus ex persona Domini designat et dicit: Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa generatrici suae. Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui ecclesiae renititur et resistit, in ecclesia se esse confidit? quando et beatus apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: Unum corpus... [Eph. 4, 4 sq.]. Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramos, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen caput est et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa“ (De unitate eccl. 4 5; *H* 1, 212 sqq.). Hoc contra Novatianum, qui et ipse voluit ramum separatam ecclesiae plantare, vehementer urget (Ep. 55, n. 24; *H* 2, 642; Ep. 69, n. 2; *H* 2, 750). Principium vero huius unitatis est una illa Petri cathedra, quam Christus in ecclesia sua posuit, ut iam antea (n. 367) a Cypriano audivimus. *Optatus Milevit.*: „Christus sponsus est unius ecclesiae“ (De schism. Don. l. 1, n. 10; *M* 11, 900). *Basilius M.* in illa verba „Adorate Dominum in aula sancta eius“ ait: „Necessaria est adoratio, non ea autem, quae fit extra ecclesiam, sed quae in ipsa aula Dei perficitur. Ne mihi, inquit, privatas aulas aut ecclesias excogitetis. Una est aula sancta Dei“ (In Ps. 28, n. 2; *M* 29, 287). *Ambrosius* verba illa „congregentur aquae“ allegorice ita exponit: „Hanc imitemur aquam et unam congregationem Domini, unam ecclesiam noverimus... Ex omni valle congregatus est populus catholicus. Iam non multae congregationes sunt, sed una est congregatio, una ecclesia“ (Hexaem. 3, 1, n. 2 et 3; *M* 14, 156). Alia vide apud *Murray*, De eccl. I 477 sqq.

Similiter in omnibus symbolis professio fidei fit non in ecclesias sed in ecclesiam: τὴν ἐκκλησίαν, εἰς μίαν καὶ μόνην ἐκκλησίαν, in unam sanctam ecclesiam (cf. *Denz.* n. 2 sqq. 86). Merito igitur *Pius IX* reiecit propositionem (18. Syllabi): „Protestantismus non est aliud quam

diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aequae ac in ecclesia catholica Deo placere datum est" (*Denz.* n. 1718). *Congregatio S. Officii* ad episcopos Angliae die 16 sept. 1864: Anglicani docent „tres christianas communitates: romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare . . . utpote quae, ut supponitur, ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt". Haec doctrina „divinam ecclesiae constitutionem susque deque vertit. . . . Ecclesia igitur catholica una est. . . . Nec alia est ecclesia catholica, nisi quae super unum Petrum aedificata, in unum conexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit" (*Denz.* n. 1685 sq.). *Leo XIII* in encyclica „Satis cognitum" die 29 iunii 1896: „Ecclesiam Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes sed distinctas neque iis vinculis alligatas, quae ecclesiam individuum atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. . . . Quaecumque praeter hanc cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, ecclesia Christi vera esse non potest" (*Denz.* n. 1955).

390. *Obiectiones* protestantium omnes fere ad hoc redeunt, quod potest in aliqua societate essentialis unitas servari, licet dissensiones existant et ad tempus externa communio interrumpatur. Sic censent conandum quidem esse, ut perfecta unitas inter varias ecclesias restituatur, interim vero sufficere essentialem illam unitatem, quae consistat in professione eiusdem symboli apostolici et in unitate baptismi (cf. *Murray* l. c. I 506 sq.).

*Resp.*: Non quaevis dissensio inter membra et partes ecclesiae solvit unitatem; quamdiu enim omnes agnoscunt unum supremum regimen et parati sunt ad se subiciendos decretis eius, unitas societatis sine dubio servatur. Sin nullam supremam et communem auctoritatem agnoscunt, sed pertinaciter oboedientiam detrectant, non iam potest rationabiliter sermo esse de una societate. Tamdiu igitur dissensiones inter membra ecclesiae non obsunt unitati, quamdiu magisterium et regimen a Christo institutum theoretice et practice agnoscitur, quod cum protestantes non faciant, frustra conantur ostendere se pertinere ad unam Christi ecclesiam. Provocant quidem ad facta quaedam priorum saeculorum, ut quaestionem de die paschatis, quae agitabatur inter Victorem papam et ecclesias Asiae minoris, ad disputationem S. Cypriani cum Stephano papa de rebaptizandis haereticis aliaque similia, et dicunt tunc quoque varias ecclesias recessisse a communione ecclesiastici regiminis, nec tamen ideo habitas esse extra communionem ecclesiae universalis. Sed difficile non est intellegere magnam differentiam, quae intercedit inter spiritum illarum ecclesiarum et spiritum protestantismi. Tunc enim nonnulli episcopi opiniones quidem sequebantur a doctrina sedis romanae diversas, sed semper docebant

non posse esse nisi unam ecclesiam unumque regimen ecclesiasticum, putabant autem quaestiones, de quibus agebatur, nondum esse sufficienter elucidatas et definitas, ideoque sperabant fore, ut sententia sua tandem aliquando ut vera agnosceretur. Interim autem studebant servare unitatem ecclesiae et parati erant ad se subiciendos, ubi primum quaestiones ab ecclesia definitae essent. Illi igitur non dubitabant circa *quaestionem iuris*, sed dubitabant et interdum errabant circa *quaestionem facti*. Protestantes vero circa ipsum ius errant et docent posse diversas ecclesias existere, quae detrectent oboedientiam supremo regimini ecclesiastico et tamen sint partes verae ecclesiae Christi; hoc autem illi SS. Patres semper diserte negarunt. Singulae vero illae quaestiones historicae alibi tractantur (cf. *Mazzella*, De eccl. n. 666 sqq.).

**Prop. XXXVII. Ecclesia Christi omnibus hominibus ad salutem consequendam necessaria est.**

391. *Pars I.* Ecclesiam esse hominibus ad salutem necessariam nihil aliud est nisi *neminem posse salvum fieri, qui sciens et volens extra ecclesiam vivat et moriatur*, seu omnem hominem, cui doctrina Christi sufficienter proposita est, obligari ad ecclesiam ingrediendam. Ratio est positiva voluntas Christi, qui ecclesiam instituit unicum medium obtinendae salutis et consequenter omnibus hominibus adultis praeceptum dedit amplectendi doctrinam ecclesiae, recipiendi baptismum, oboediendi regimini ecclesiastico (Marc. 16, 16. Io. 3, 5. Matth. 10, 14 15 40; 18, 17. Luc. 10, 16). Per baptismum autem, professionem fidei, oboedientiam ecclesiasticam homo est membrum ecclesiae. Ergo ex voluntate Christi quilibet debet esse membrum ecclesiae, ut salutem consequatur. Propterea in epist. ad Tit. (3, 11) de haeretico, i. e. de homine, qui defecit ab ecclesia, dicitur: „Subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus."

392. Hic fuit sensus ecclesiae inde ab initio, quae haereticos et schismaticos tamquam damnationi obnoxios semper considerabat. *S. Ignatius M.*: „Quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo. . . . Ne heretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni divini hereditatem non consequitur" (Philad. 3, 2 3). Secundum *S. Irenaeum*: „Qui sunt extra ecclesiam, sunt extra veritatem." Propterea „qui schismata operantur, sunt inanes, non habentes Dei dilectionem" (Adv. haer. 4, 33, 7; *M* 7, 1076. Cf. 3, 11, 9; 4, 26, 2 etc.). *Origenes*: „Nemo se ipsum decipiat: Extra hanc domum, i. e. extra ecclesiam, nemo salvatur. Nam si quis foras exierit, mortis suae ipse fit reus" (In Ios. hom. 3, 5; *M* 12, 841. Cf. De princip. 4, 2, 2; *M* 11, 345). *S. Cyprianus*: „Quisquis ab ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis ecclesiae separatur nec perveniet ad Christi praemia, qui reliquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit

evadere, quisquis extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit, evadit" (De unit. eccl. 6; *H* 1, 214). „Nemo nos, fratres, errare a Domini viis faciat, nemo nos christianos ab evangelio Christi rapiat, nemo filios ecclesiae de ecclesia tollat. Pereant sibi soli, qui perire voluerunt, extra ecclesiam soli maneant, qui de ecclesia recesserunt" (Ep. 43, 5; *H* 2, 594 et similia passim). *S. Augustinus* contra donatistas schismaticos: „Quid prodest, si Deum confiteris, Deum honoras, ipsum praedicas, Filium eius agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemias ecclesiam eius? . . . Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et matrem ecclesiam" (In Ps. 88 sermo 2, n. 14; *M* 37, 1140). Alia apud *Murray*, De ecclesia I 737 sqq.

393. (Confirmatio dogmatica.) Idem postea saepius definitum est. *Conc. lateran. IV* adversus albigenses: „Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur" (*Denz.* n. 430). *Conc. florent. decr.* pro iacobit.: „Firmiter credit, confitetur et praedicat nullos intra ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec iudaeos aut haereticos atque schismaticos aeternae vitae fieri posse participes . . . tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant et ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicae ecclesiae gremio et unitate permanserit" (*Denz.* n. 714). *Pius IX* d. 10 aug. 1863 *encycl.* ad episcopos Italiae: „Notissimum est catholicum dogma neminem scilicet extra catholicam ecclesiam posse salvari" (*Denz.* n. 1677).

394. *Pars II.* His non obstantibus ecclesia catholica numquam docuit neque docet non posse fieri, ut quisquam, qui extra visibilem communionem ecclesiae moriatur, salvus fiat. Huic enim rei obstat altera doctrina, secundum quam quivis homo adultus actu perfectae caritatis potest statum gratiae sanctificantis acquirere et quivis moriens in statu gratiae sanctificantis salvatur. Neque ulla contradictio est inter has duas doctrinas. Necessitas enim se adiungendi ecclesiae aut inde oritur, quod ecclesia est medium salutis; sed actus caritatis supplet defectum inculpabilem omnis alius medii. Aut oritur ex praecepto Christi; violati autem praecepti nemo reus est, qui illud sine sua culpa ignorat. Ergo inculpabilis ignorantia ab observantia huius praecepti excusat. Ille igitur, qui ex una parte laborat hac inculpabili ignorantia, ex altera vero parte fide formata, i. e. actu caritatis, iustificationem acquirit et in hoc statu moritur, salvus erit.

Nihilominus talis homo non plane alienus est ab ecclesia neque omnino deest praecepto ingrediendi ecclesiam. Actu enim in se habet illud principium vitae supernaturalis, quod est quodammodo

anima<sup>1</sup> societatis ecclesiasticae, quia Christus hanc visibilem societatem fundavit ad fovendam vitam supernaturalem, et omnia elementa vitae supernaturalis primo et per se huic societati tamquam eius principium vitale indidit. Quare quicumque habet in se gratiam supernaturalem, recte dicitur pertinere ad animam ecclesiae. At simul etiam aliquo modo ad corpus ecclesiae, i. e. ad ipsam visibilem societatem pertinet. Quomodo enim posset actus caritatis erga Deum elicere, nisi in omnibus voluntati Dei obsecundare vellet? Voluntas autem Dei ab eo postulat, ut ecclesiam ingrediatur; ergo proposito voluntatis implicito seu voto, ut aiunt, pertinet eiusmodi homo ad ecclesiam, et ideo tantum ecclesiam actu non ingreditur, quia praeceptum Dei inculpabiliter ignorat. Ergo actu esse vel fieri membrum ecclesiae pro quolibet homine adulto est de necessitate praecepti, voto esse membrum ecclesiae est de absoluta necessitate medii, a qua necessitate nulla ignorantia excusat, quia quivis adultus debet habere voluntatem in omnibus sequendi praecepta divina, saltem quae sub gravi obligant.

Infantes utique praeceptum ingrediendi ecclesiam non obligat; sed quia actu caritatis iustificari nequeunt, ipsis ingressus in ecclesiam per baptismum est absolute necessarius necessitate medii. Adulto autem, qui ob aliquam rationem actu ingredi ecclesiam nequit, aliud medium praesto est, votum (saltem implicitum) ingrediendi ecclesiam. Itaque vides, quomodo ecclesia sit omnibus ad salutem necessaria, et quomodo nihilominus adultus aliquis salvari possit, qui non sit actu membrum visibilis ecclesiae (cf. *Chr. Pesch*, *Theologische Zeitfragen* V, Freiburg 1908, 22 sqq., in editione italica [Il dovere della fede, Roma 1910], 25 sqq.; *Bainvel* in *Études* CXXXII, Paris 1912, 289 sqq.; *L. Capéran*, *Le problème du salut des infidèles*, *Essai historique*, *Essai théologique*, Paris 1912; *M. d'Herbigny*, *De ecclesia* I 123 sqq.).

395. Hanc doctrinam ecclesia semper professa est, ad quod ostendendum sufficit pauca ex veteribus et recentioribus temporibus afferre. Et veteres quidem Patres saepe docent catechumenos, qui fidem et caritatem habeant, salvari, etiamsi moriantur, antequam per baptismum ingressi sint in ecclesiam. Notissimum exemplum est *S. Ambrosii* „Consolatio de obitu Valentiniani“, qui catechumenus occisus est, quem sanctus doctor censet sine dubio participem factum esse gloriae caelestis, quia „hunc sua pietas abluit et voluntas“ (De obitu Val. 53; *M* 16, 1374 sqq.). De talibus catechumenis *S. Augustinus* ait: „Tunc impletur invisibiliter [effectus baptismi], cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit“ (De

<sup>1</sup> Cum anima hic accipiatur sensu translato, anima ecclesiae vocari potest tum principium creatum inhaerens, i. e. imprimis gratia sanctificans, tum principium increatum non inhaerens, sed inhabitans per modum formae assistentis et causae efficientis, i. e. Spiritus Sanctus, de qua re statim quaedam dicemus. Haec duo sunt inter se inseparabiliter nexa.



bapt. 4, 29; *M* 43, 173). Iam multo ante scriptor „De rebaptismate“, Cypriano coevus, loquens de Cornelio centurione et eius familia (Act. 10, 44 sqq.), ait: „Atque hoc non erit dubium, in Spiritu Sancto homines posse sine aqua baptizari, sicut animadvertis baptizatos hos, priusquam aqua baptizarentur . . . quandoquidem emundatis cordibus eorum Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul iis largitus sit“ (Opera Cypriani [ed. *Hartel*] III 75).

De haereticis vero, qui inculpabiliter errant, SS. Patres docent eos non esse proprie haereticos. *S. Augustinus*: „Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quum non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi“ (Ep. 43, al. 162, n. 1; *M* 33, 160; cf. Tract. 45 in Io; *M* 37, 1719, et De utilitate credendi 1; *M* 42, 65). Comparat s. doctor ecclesiam secundum externam constitutionem et internam gratiam „cum homine exteriori et interiore, quae cum sint diversa, non tamen dici duos homines“ (Brev. coll. cum Donat., coll. diei 3, 10, 20; *M* 43, 635). Inde theologi mutuati sunt, quae docent de corpore et anima ecclesiae (cf. *Bellarmin.*, De eccl. 3, 2, § „Notandum autem est“).

Temporibus medii aevi eadem erat sententia theologorum, cum docerent hominem posse triplici baptismo iustificari: fluminis, flaminis, sanguinis. Baptismum enim flaminis nihil aliud intellegebant nisi actum perfectae caritatis. Quare docebant etiam hominem educatum in silvis, qui nihil unquam audiisset de ecclesia Christi, posse cum auxilio gratiae Dei ad iustificationem pervenire, dummodo faceret, quod esset in se (cf. *S. Thom.* 3, q. 66, a. 11 et q. 68, a. 2; De verit. q. 14, a. 11 ad 1).

Nostris temporibus *Pius IX* saepius eandem doctrinam proposuit. Ita in allocut. d. 9 dec. 1854: „Tenendum ex fide est extra apostolicam romanam ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicum salutis arcem, hanc qui ingressus non fuerit, diluvio periturum. Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huius rei culpa ante oculos Domini“ (*Denz.* n. 1647). Item in encycl. ad episcopos Italiae d. 10 aug. 1863: „Notum nobis vobisque est eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus . . . minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat“ (*Denz.* n. 1677).

396. *Schol.* (dogmaticum). De ecclesia, corpore Christi mystico.

Ratio, cur Christus omnes homines velit ingredi ecclesiam, haec est, quod totum fructum satisfactionis et meritorum suorum in ecclesia

deposuit. Ecclesia enim est corpus Christi mysticum, i. e. societas, cuius caput est Christus (Eph. 1, 22; 4, 15; cf. supra n. 286), non eo tantum modo, quo in reliquis societatibus ii, qui supremam auctoritatem habent, sunt caput corporis moralis, sed ideo, quod omnes gratiae ecclesiae in Christo sunt secundum totam plenitudinem et ex Christo in membra ecclesiae derivantur, unde ex Christo „totum corpus compactum et conexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate“ (Eph. 4, 16). Aliis verbis: illa interna vita, quae consistit in gratia et reliquis donis supernaturalibus, a Christo descendit in singulos homines per ministeria ecclesiastica, quae Christus ad hunc finem instituit, ut sint iuncturae inter caput et membra, per quas vita supernaturalis in totum corpus defluit illudque conservet et augeat usque ad perfectam mensuram (Eph. 5, 23 sqq.).

Quia vero effectus supernaturales in hominibus appropriantur Spiritui Sancto (cf. II 563 639 sq. 657), *Spiritus Sanctus recte vocatur anima ecclesiae*, utpote principium eius vivificans. Ita a *Leone XIII* in encycl. „Divinum illud“, 9 maii 1887: „Hoc affirmare sufficiat, quod, cum Christus sit caput ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima“ (Acta S. Sedis XXIX 650). Spiritus Sanctus aggregat materiam corpori ecclesiae adducendo homines ad fidem et baptismum, conservat ecclesiae unitatem, reddit magisterium infallibile, ordinem hierarchicum stabilis, per sacramenta et fidelium merita gratiam omnem producit et ecclesiam efficit sanctam (cf. *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 235 sqq.).

Christus est caput ecclesiae secundum humanam suam naturam, quia caput oportet homogeneum esse corpori. Humanitas Christi est instrumentum coniunctum divinitatis, ei convenit plenitudo gratiae, quae ex capite in membra descendit, ideoque gratia capitis vocatur (cf. IV, n. 294; VI, n. 143 sq. 218). Ut Deus autem Christus non minus est anima ecclesiae quam Spiritus Sanctus; sed quia Spiritus Sanctus personaliter est amor sanctus (cf. II, n. 563—566), ideo opus sanctificationis ecclesiae ei speciali modo attribuitur, et supernaturalis vitalitas ecclesiae ad eum ut ad animam refertur.

Ergo qui extra ecclesiam est, est extra hanc supernaturalem vitalitatem, est ibi, ubi per se non sunt gratiae, sed regnum peccati et potestas diaboli (Matth. 18, 17. 1 Cor. 5, 5). Mirum igitur non est, quod, qui volens et sciens extra ecclesiam manet, salutem non consequitur. Ex altera autem parte omnipotentia et misericordia Dei non artatur, ut non possit iis, qui sine culpa foris sunt, gratiam et salutem donare sine ministerio ecclesiastico; at gratia per se et tamquam per proprium canale non venit ad homines nisi per ecclesiam, et in ecclesia sola tota eius plenitudo abundat. Ceterum de ecclesia ut corpore Christi et sponsa eius cf. *S. Thomas* 3, q. 8, a. 1 et 6; *Franzelin*, De eccl. 296 sqq.; *Passaglia*, De eccl. II 804 sqq.; Tract. de Verbo incarn. IV, n. 294; *Wilmers*, De Christi ecclesia prop. 14 sqq. pag. 80 sqq.:

Hurter, Opuscula SS. Patrum XXVII, Oeniponti 1874, 1 sqq.; *Lingens*, Die innere Schönheit des Christentums, ed. 4, Freiburg 1914; *Straub*, De ecclesia Christi I, n. 332 sqq.

Ecclesia adhuc in terra degens solet vocari *ecclesia militans*. Ita in *concilio vaticano* sess. 4, c. 1: „Si quis igitur dixerit beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum . . . totius ecclesiae militantis visibile caput . . . A. S.“ (*Denz.* n. 1823). Ecclesia vero beatorum caelestium vocatur *ecclesia triumphans*. Terminos explicat *catechismus romanus*: „Ecclesiae autem duae potissimum sunt partes, quarum altera triumphans, altera militans vocatur. Triumphans est coetus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum et eorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo daemone triumpharunt et ab huius vitae molestiis liberi ac tuti aeterna beatitudine fruuntur. Militans vero ecclesia est coetus eorum fidelium, qui adhuc in terris vivunt; quae ideo militans vocatur, quod illis cum immanissimis hostibus, mundo, carne, satana, perpetuum sit bellum“ (Pars 1, c. 10, n. 5). Interdum tertia pars additur: *ecclesia patiens* in purgatorio, sed communius duo tantum illa membra commemorantur.

*S. Thomas*, exponens, cur *Isaias* loquatur et de templo et de domo Domini (Is. 6, 1 4), ait: „Propheta significat per domum ecclesiam triumphantem . . . per templum ecclesiam militantem“ (In Is. 6, 1). „Ecclesia militans imitatur triumphantem“ (In 4, dist. 9, q. 1, a. 3, sol. 3, obiect. 3; vel Suppl. q. 20, a. 3, obiect. 2). „Regnum Dei . . . dupliciter dicitur: quandoque congregatio eorum, qui per fidem ambulant; et sic ecclesia militans regnum Dei dicitur; quandoque autem illorum collegium, qui iam in fine stabiliti sunt; et sic ipsa ecclesia triumphans regnum Dei dicitur“ (In 4, dist. 49, q. 1, a. 2, sol. 5). *Albertus M.*, in verba „Benedicta tu inter mulieres“ (Luc. 1, 42) ait: „Hoc quidem dixerat angelus, dicit et *Elisabeth*. Angelus in persona ecclesiae triumphantis, quam *Virgo* reparavit; *Elisabeth* in persona ecclesiae militantis, quam mortuam sua benedictione *Virgo* resuscitavit“ (Comment. in *Evang. Lucae*: Opera omnia, edit. Paris., 22, 119). *Petrus Lombardus*: Ecclesiae „pars triumphat in caelis, pars militat in terris“ (In Ps. 146, 2; *M* 191, 1273).

Apud SS. Patres haec distinctio non videtur inveniri. *S. Augustinus* e. g. rem quidem proponit, sed non iisdem plane terminis. In verba „Proteges eos in tabernaculo tuo“ (Ps. 30, 21, n. 8) quaerit: „Quod est tabernaculum? Ecclesia huius temporis. Tabernaculum dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Ipsa dicuntur tabernacula. Domus non est tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, ut salvus factus in tabernaculo, gloriosus recipiaris in domum“ (*M* 36, 252 sq.). Communius distinguit ecclesiam, quae peregrinatur in terra, et ecclesiam beatam in caelo, quae peregrinanti opitulatur. (In Ps. 41, 5, 9 sq.; *M* 36, 469 sqq.; item in Ps. 137, 2, n. 4; 149, 2,

n. 5; *Enchirid.* 56; *Breviculus collationis cum Donatistis* c. 6, n. 16; c. 16 sqq.)

Ceterum ideam ecclesiae militantis et triumphantis ipsa *S. Scriptura* exhibet. „Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus. . . Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit . . . Fidelis sermo . . . si sustinebimus et conregnabimus“ (2 Tim. 2, 3 4 5 11 12).

Annotat autem *catechismus romanus* (l. c. n. 6) non esse duas ecclesias Christi, sed unam, quae habeat duas partes, alteram, quae caelestis patria iam potiatur, alteram, quae in dies sequatur, donec cum Salvatore coniuncta in aeterna felicitate conquiescat. Quae duae partes intime unitae sunt inter se, altera cultum exhibendo et invocando, altera auxilium constanter praestando, omnes constituendo corpus Christi mysticum, a Christo capite accipientes gratias sive viae sive patriae.

### SECTIO III.

#### DE NOTIS ECCLESIAE.

**Prop. XXXVIII.** Sunt aliquae notae, quibus vera Christi ecclesia manifestatur.

**397.** Quoniam probavimus ecclesiam omnibus hominibus esse necessariam ad salutem, quaeritur, *quomodo ecclesia Christi inveniri possit*. Varias enim sunt societates, quae se ecclesiam Christi dicunt. Cum autem ecclesia Christi non sit nisi unica, obligatio ingrediendi veram ecclesiam supponit ecclesiam Christi veram ab omnibus societatibus, quae falso sibi hoc nomen attribuunt, discerni posse. Revera ecclesia qua talis est visibilis. Unde necessario in ecclesia est aliquid, quod hanc societatem ut veram ecclesiam Christi visibiliter manifestat. Hoc autem est id, quod solent vocare notam ecclesiae.

**398.** Nota enim est signum seu res, quae cognita ducit in alterius rei cognitionem. Attamen non omne signum est nota, cum unum subiectum possit esse signum alterius subiecti, non vero manifestet subiectum suum proprium. Ita liquatio glaciei est signum tepidioris aëris, lineamenta vero oris sunt nota alicuius hominis. Nota igitur est *proprietas inhaerens*, quae subiectum reddit cognoscibile. Quia autem ecclesia essentialiter est cognoscibilis, debet habere *essentiales* aliquas proprietates, quibus dignosci possit. *Potest igitur nota definiri*: *proprietas necessaria*, quae soli verae ecclesiae convenit eamque ut ecclesiam Christi visibiliter manifestat.

Est autem notandum hic non agi de dignoscenda ecclesia ut cultrice verae religionis a coetibus non christianis. Probavimus enim Christum esse legatum divinum, cuius doctrina necessario omnibus hominibus admittenda sit; unde patet nullum coetum, qui Christum

eiusque doctrinam non agnoscat, posse in quaestionem venire, ubi agatur de ineunda via, quae ducat ad salutem; sed quaestio sola est, quis inter tot coetus, qui christiano nomine gloriantur, sit vera ecclesia Christi. Supponitur igitur notitia ecclesiae in abstracto et quaeritur, quae sit ecclesia Christi in concreto. Hoc rursus non est quaerere, qua via singuli homines ad ecclesiam perveniant, sed est quaerere, quid obiective in ecclesia sit id, quo ecclesia habeat suam essentialem visibilitatem. Potest aliquis ad ecclesiam adduci re plane accidentali, quae ad existentiam ecclesiae nequaquam necessaria est, ut miraculo, quod Deus in eius favorem patrat; sed id, quod requiritur, ut ecclesia sit societas visibilis, necessario semper adest, quamdiu ecclesia existit, quia ecclesia semper debet esse visibilis; unde patet notam ecclesiae, quamvis sit aliquod *motivum credibilitatis*, non tamen simpliciter idem esse, quia multa possunt credibilitatem ecclesiae ostendere, quae non sunt notae eius. Quia autem ecclesia debet esse visibilis omnibus hominibus, non doctis tantum, sed etiam indoctis, notae aliquae debent esse tam facile visibiles, ut quilibet de vulgo possit per eas veram ecclesiam cognoscere, etsi non scientificè, tamen cum certitudine relative sufficienti. Nihilominus hoc loco agitur de scientifica demonstratione.

Auctor notarum est ipse auctor ecclesiae, qui ecclesiam suam quodam caractere seu sigillo insignivit, ut omnibus manifesta sit.

399. Ecclesiam quasdam notas habere, quibus agnosci possit, etiam protestantes concesserunt: „Habet [ecclesia] externas notas, ut cognosci possit“ (Apol. confess. august. art. VIII, 5; *J. T. Müller*, Die symb. Bücher. ed. 11, 152)<sup>1</sup>. Attamen eae, quas communiter ponunt, sunt *notae prorsus ineptae*. Quamvis enim alii alias notas recensuerint, solent eas communiter ad duas revocare: puri verbi Dei praedicationem et rectam sacramentorum administrationem. „Ubicumque enim verbum Dei sincere praedicari atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei ecclesiam nullo modo ambigendum est“ (*Calv.*, Inst. 4, 1, 9). Idem docet confessio august. art. VII (*Müller* l. c. 40).

Iam has notas esse ineptas nullo negotio probatur; nam veritas doctrinae et legitima administratio sacramentorum sunt res per se invisibiles, quas per aliud manifestari oportet. Ontologice quidem hae res cum vera ecclesia Christi sunt inseparabiliter conexas; at hic quaeritur, quo signo ecclesia logice dignosci possit. Omnes sectae, quantumvis inter se oppositae, iactant rectam verbi praedicationem et sacramentorum administrationem. Ergo nisi alia norma adsit, qua recta doctrina et administratio a mala discernatur, omnes sectae dicendae essent vera ecclesia Christi, quod est absurdum. Veram

<sup>1</sup> Paginarum numeri in illo libro iisdem manserunt atque in prioribus editionibus inde a quarta.

ecclesiam Christi inquirimus, ut veram doctrinam Christi ibi inveniamus et eam sequi possimus, quia minus nota est interna veritas doctrinae quam externum magisterium. Qui autem quaerenti, ubi sit id, quod est magis notum, respondet per id, quod est minus notum, inepte agit. Nota igitur non potest esse nisi proprietas, quae facilius cognoscitur quam res manifestanda, et quae huic rei ita propria est, ut ei non sit cum re diversa communis. Neutrum autem valet de vera verbi Dei praedicatione et recta sacramentorum administratione.

Mittunt nos protestantes ad textus Scripturae, quibus recta fides et sacramentorum usus ut proprietates ecclesiae indicantur (Matth. 18, 20. Marc. 16, 16. Eph. 5, 26); sed non quaeritur, quae sint proprietates ecclesiae, sed quae proprietates sint notae ecclesiae. Si *S. Augustinus* contra donatistas dicit ex Scriptura discendum esse, ubi sit vera ecclesia (De unit. eccl. 2, 3; *M* 43, 392), sensus non est ibi esse veram ecclesiam, ubi Sacra Scriptura habeatur, cum donatistae quoque eam admitterent, sed sensus est ex Scriptura discendas esse notas, quibus vera ecclesia distinguatur, id quod nos quoque dicimus (cf. *Bellarmin.*, De eccl. 4, 2).

Schismatici quoque orientales agnoscunt suas ecclesiae convenire notas; sed maxima est inter eos opinionum diversitas, quae sint hae notae. Multi dicunt unicam notam esse immobilem conservationem doctrinae septem primorum conciliorum, quae assertio est contra doctrinam in illis conciliis propositam: „Credo in unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam.“ Praeterea si illa concilia fuerunt infallibilia, posteriora autem concilia oecumenica non iam sunt infallibilia, maxima facta est mutatio in constitutione et doctrina ecclesiae. Quod autem attinet ad insignem quam etiam ut notam proponunt „caritatem“ ecclesiae olim imperialis russicae, vix sunt tetriores partes in historia ullius populi christiani. Cf. *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 22 sqq.

**Prop. XXXIX.** Recte quattuor notae ecclesiae statuuntur: apostolicitas, unitas, catholicitas, sanctitas.

400. Si quis consideraverit ea, quae Sacra Scriptura docet de constitutione ecclesiae Christi, facile varias proprietates inveniet, quae sunt ecclesiae essentialis et eam ut veram ecclesiam Christi manifestant, quas proprietates poterit in plures vel pauciores species dividere. Ex quo factum est, ut reapse alius *numerus notarum* ab aliis theologis proponatur. Ita e. g. *Bellarminus* enumerat quindecim notas (De eccl. 4, 3 sqq.), sed addit: „Quas, si quis velit, poterit aliquo modo revocare ad illas quattuor“, quas scilicet communiter theologo statuunt, sequentes symbolum, quod profitetur fidem in „unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam“. Omnis enim proprietas ecclesiae potest referri aut ad eius originem, quae est *apostolica*, aut

ad eius constitutionem, qua est hierarchia monarchica, principium unitatis, aut ad eius efficientiam extensivam et externam, quo pertinet catholicitas, aut ad eius efficientiam intensivam et internam, cuius fructus est sanctitas.

Dicimus igitur has quattuor proprietates esse verae ecclesiae essentialia, unice proprias et externe visibiles<sup>1</sup>. Est vero quantum ad visibilitatem memoria tenendum, quod supra dictum est, posse aliquid esse visibile, quamvis non secundum totum sit visibile. Ita sanctitas interna per se non est visibilis, sed externae operationes sanctae sunt visibiles. Hoc igitur modo intellegimus notas esse visibiles, quatenus illae proprietates visibiliter apparent. Iam videamus de singulis.

**401. Apostolicitas.** *Ecclesia Christi essentialiter est apostolica.* Christus enim ecclesiam super apostolos fundavit, quatenus eos primos magistros et rectores ecclesiae suae fecit voluitque, ut hoc sacrum magisterium et regimen ab apostolis ad successores transmitteretur et ab his ad alios usque ad finem mundi. Unde magisterium et regimen ecclesiae est apostolicum *ratione originis et successionis*; quantumvis enim posteriores doctores et rectores tempore distent ab apostolis, si legitime missi sunt, tandem aliquando eorum series ascendit usque ad apostolos. „Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?“ (Rom. 10, 15.) Quia igitur semper in ecclesia manet illud magisterium, cui Christus infallibilitatem promisit, semper manet eadem doctrina, quam apostoli tradiderunt, et sic ecclesia est apostolica etiam *ratione doctrinae*. Sed triplex haec apostolicitas continetur in sola legitima successione apostolica.

**402.** SS. Patres inde a primis temporibus contra haereticos nullo argumento frequentius utuntur quam hoc: Ubi sunt legitimi successores apostolorum, ibi est vera doctrina et vera ecclesia Christi. Ita *Optatus Milevitanus* donatistas alloquitur: „Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare“ (De schism. Donat. 2, 3; *M* 11, 949). Nam, ut *Hieronymus* ait, „in illa ecclesia permanendum est, quae ab apostolis fundata usque ad hanc diem durat“ (Dial. adv. Lucif. n. 38; *M* 23, 181), quia constat  $\mu\acute{\iota}\alpha\nu \epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota \tau\eta\nu \acute{\alpha}\lambda\eta\theta\eta \acute{\epsilon}\kappa\kappa\lambda\eta\sigma\acute{\iota}\alpha\nu \tau\eta\nu \tau\acute{\omega} \acute{\omicron}\nu\tau\iota \acute{\alpha}\rho\chi\alpha\acute{\iota}\alpha\nu$ , ut testatur *Clemens Alex.* (Strom. 7, 17; *M* 9, 551). Quare *Tertullianus* de haeresibus

<sup>1</sup> De his notis *Congregatio S. Officii* ad episcopos Angliae catholicos die 16 sept. 1864 haec scripsit: „Vera Iesu Christi ecclesia quadruplici nota, quam in Symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur; et quaelibet ex his notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi. Hinc fit ut, quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere“ (Denz. n. 1686). Haec dicta sunt contra eos anglicanos, qui affirmabant: Ecclesia anglicana, si non est catholica, est tamen apostolica; et si forte non apostolica, tamen sancta. Una autem nota sufficit (cf. *Neiman*, Apologia, London 1874, 106 sqq. 114 sqq. 148 sqq.).

scribit: „Si quae audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab apostolis traditae, quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos [origines suas] deferunt, sicut smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant“ (De praescr. c. 32; *M* 2, 44). Ubi recte *Tertullianus* notat esse cum apostolis perseverandum; nam si quis ab apostolis recesserit, legitima successio interrumpitur, et mere materialis conexio cum apostolis remanet. Ergo sicut ille, qui a legitima auctoritate non instituitur, sed se ipsum intrudit, non est legitimus successor, ita non magis successionem suam iactare potest, qui a legitima auctoritate defecit. Unde SS. Patres nullam successionem agnoscunt, quae non permaneat in coniunctione cum legitima auctoritate. *Irenaeus*: „Quapropter iis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocumque loco colligunt, suspectos habere.... Qui vero crediti quidem sunt a multis esse presbyteri [i. e. legitimi successores apostolorum], serviunt autem suis voluptatibus et non praeponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos et principalis concessionis tumore elati sunt et in absconsis agunt mala... ab omnibus talibus absistere oportet, adhaerere vero his, qui et apostolorum, sicut praediximus, doctrinam custodiunt et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa praestant ad confirmationem et correptionem reliquorum“ (Adv. haeres. 4, 26, 2 3 4; *M* 7, 1053 sqq.). Potest quidem haec legitima successio cognosci ex coniunctione cum reliquis ecclesiis, sed certissimum signum teste *Irenaeo* est unio cum ecclesia romana; „ad hanc enim ecclesiam propter potentiorum principalitatem [quia ibi est cathedra Petri] necesse est omnem convenire ecclesiam“ (ib. 3, 3, 2; *M* 7, 849). „Ubi Petrus, ibi ecclesia“, inquit *S. Ambrosius* (In Ps. 40, n. 30; *M* 14, 1082).

**403.** Simpliciter igitur dicere licet *eam ecclesiam esse apostolicam, quae cum Petri cathedra debito modo coniungatur*; nam qui a legitimo successore Petri mittitur, eo ipso cum apostolico collegio a Christo instituto coniungitur. Unde efficitur *hanc proprietatem esse verae ecclesiae exclusive propriam et per se cognoscibilem*. Nam et successio summorum pontificum est historice cognoscibilis, et sine dubio videri

potest, qui profiteantur subiectionem erga primatem ecclesiae. Immo in sola ecclesia primatiali, i. e. romana, immediata successio apostolica permansit, ut aliae ecclesiae non iam possint esse apostolicae nisi hac mediante (cf. Stapleton, Controv. t. 1, l. 4, c. 3). In omnibus coetibus non apostolicis quasi digito ostendi potest locus vulneris, quo abscissi sunt a visibili capite ecclesiae et consequenter a reliquis membris eius. Ergo apostolicitas, prout est nota ecclesiae, consistit in eo, quod praepositi ecclesiae sub successore Petri constituunt continuatum magisterium apostolicum.

404. Ex apostolicitate sua sponte nascuntur aliae notae ecclesiae, unde *ontologice apostolicitas est nota primaria*, aliae vero secundariae, quamvis logice alia nota, et imprimis sanctitas, possit potiore partem obtinere in manifestanda hominibus vera ecclesia Christi.

Ex apostolicitate ecclesiae fluit eius *unitas*, non ea tantum, qua ecclesia est distincta ab omni alia societate, sed ea quoque, qua ecclesia est indivisa in se, quae duae unitates realiter idem sunt et iisdem argumentis probantur (cf. supra n. 386 sqq.). Nam societas cessat esse unica, si non iam vinculo eiusdem auctoritatis unitur, sed in plures factiones inter se independentes dividitur. E contra vero unum magisterium infallibile et unum regimen necessario efficiunt *unitatem sociale*, quae consistit in subordinatione membrorum sub auctoritate et in organico nexu membrorum inter se, *unitatem fidei* et professionis eius, *unitatem cultus*. Haec triplex unitas debet adesse de iure, quia Christus eam voluit, et necessario adest de facto, quia causa unitatis, quam Christus instituit, non potest manere sine effectu. „Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. — Non pro iis autem rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te . . . ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti“ (Io. 17, 11 20 21 23). „Unus Dominus, una fides, unum baptisma“ (Eph. 4, 5). „Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus“ (1 Cor. 12, 13).

Ad hanc unitatem *non requiritur, ut omnes explicite credant omnes articulos fidei*, dummodo parati sint ad credenda quae ecclesia docet, et ad reiicienda quae ecclesia damnat. Neque requiritur, ut omnibus omni tempore et omni loco eadem leges ecclesiasticae praescribantur: nam in quovis regno pro variis rerum condicionibus variis hominibus variae leges imponuntur, prorsus intacta unitate regni. Sic in ecclesia possunt alii habere alias leges et alios ritus, dummodo servant ea, quae Christus pro omnibus instituit, et subiecti sint supremo regimini ecclesiae. Itaque haec quoque proprietas melius et efficacius non servatur nisi per agnitionem primatus summi pontificis. Sed hoc ipsum, quod omnia membra ecclesiae summo pontifici sunt subiecta et ita constituunt indivisam unitatem, est proprietas essentialis, unice pro-

pria, manifeste visibilis, ideoque vera nota ecclesiae Christi. Nam per unitatem magisterii et regiminis fit, ut ab ecclesia excludantur, qui faciunt haereses vel schismata (cf. 1 Tim. 1, 19 20), et ut qui in ecclesia manere velint, necessario unitatem servant. Contra, si quae societas religiosa non agnoscit potestatem et officium haereticos et rebelles excludendi, eo ipso unitas eius de iure destructa est et de facto non diu durabit. Neque quicquam iuvat distinctio, quam protestantes faciunt inter articulos fundamentales et non fundamentales, ad unitatem servandam; nam imprimis inter se dissentiunt, qui articuli sint fundamentales, qui non sint; dein vero maxime fundamentale est, ut quis se subiciat in omnibus magisterio et regimini a Christo instituto (Matth. 18, 17), et ut hoc magisterium omnia a Christo tradita integra servet (cf. Gal. 1, 6 sqq.). Neque umquam ante protestantismum illa distinctio eo sensu audita est, quasi magisterio et regimini ecclesiastico oboedientiam detrectare liceret. Ubi vero primum inducta est, nulla doctrina iam in tuto fuit, quia pro suo quisque ingenio, quidquid ei non placebat, accidentale declarabat.

405. *Catholicitas*. Apostoli missi sunt a Christo ad omnes gentes, ad omnem creaturam in universo mundo (Matth. 28, 19. Marc. 16, 15), ut annuntiarent evangelium usque ad ultimum terrae (Act. 1, 8) et usque ad finem temporum. Ergo ecclesia destinatione est *catholica*, i. e. universalis, non ecclesia particularis vel nationalis. At haec destinatio divina non potest effectu carere. „Elegi vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat“ (Io. 15, 16). „Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio“ (Matth. 24, 14). Et „multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum“ (Matth. 8, 11). Haec universalitas regni messianici iam praedicta erat multis vaticiniis Veteris Testamenti (cf. Ps. 2; Ps. 71 alia, quae supra allata sunt n. 220 231 240). Ceterum haec non physice sed *moraliter* intellegenda sunt, cum Christus ipse toties innuat semper futuram esse pugnam inter ecclesiam et mundum, i. e. eos, qui nolunt ingredi ecclesiam (cf. Matth. 10). Semper enim homines liberam voluntatem retinent et ea abuti possunt ad gratiae Dei resistendum. Debet igitur ecclesia ita in mundo existere, ut ubique visibilis sit et ab iis, qui bonae voluntatis sunt, inveniri possit. Immo ne hoc quidem subito fiet, sed progressu temporum, cum Christus velit, ut hominum opera mandatum suum perficiatur. Ergo tanta erit singulis temporibus catholicitas ecclesiae, quanta ex cooperatione hominum cum gratia Dei sine extraordinario interventu divino esse potest.

406. Ecclesia dicitur *absolute catholica*, quatenus ita per orbem terrarum propagata est, ut ubique visibilis sit; dicitur *relative catholica*, quatenus numero membrorum omnem alium coetum christianum hae-



19, 11 21. 1 Cor. 7, 25). Ergo semper in ecclesia erunt membra sanctitate conspicua. Tandem hanc sanctitatem sequentur etiam illa charismata, quae Christus fidelibus promisit (Marc. 16, 17. Io. 17, 22. 1 Cor. 12). Haec excellens sanctitas saepissime praedicta est in Vetere Testamento (Ps. 71, 7. Is. 62, 3).

410. Secundum *S. Cyrillum Hieros.* ideo quoque ecclesia vocatur catholica, quia omni modo est sancta: „Catholica enim vocatur . . . etiam eo, quod omne hominum genus recto cultui subiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis“ (Catech. 18, 23; *M* 33, 1043). *S. Augustinus*: „Sanctam ecclesiam, matrem vestram, tamquam supernam Ierusalem, sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate. Ipsa est, quae in hac fide, quam audistis, fructificat et crescit in universum mundum, ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communionem sacramentorum“ (Sermo 214, 11; *M* 38, 1071). *S. Irenaeus*: „Ubi ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic et ecclesia et omnis gratia“ (Adv. haer. 3, 24, 1; *M* 7, 966). Idem haereticis obicit, quod tantum abest, ut possint miracula patrare, ut negent ea fieri posse. Sed aliter in vera ecclesia, „quemadmodum Dominus excitavit [mortuos] et apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium ea, quae est in quoque loco, ecclesia universa postulante per ieiunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est (ἐχαρίσθη) homo orationibus sanctorum“ (ib. 2, 31, 2; *M* 7, 824 sq.). *S. Augustinus*: „Non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in nomine Christi miracula fieri non credantur. Nam ego ipse, quando istum librum scripsi, ad mediolanensium corpora martyrum [Gervasii et Protasii] in eadem civitate caecum illuminatum fuisse iam noveram et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere nec ea, quae cognoscimus, enumerare possimus“ (Retract. 1, 13; *M* 32, 604). Quamvis haec charismata non semper sint aequae frequentia, numquam tamen plane abesse possunt.

Ex his intellegitur, quomodo sanctitas non solum sit essentialis proprietas ecclesiae, id quod haeretici quoque concedere solent, sed quomodo etiam sit visibilis proprietas et ecclesiam visibiliter manifestans.

#### 411. Schol. De praescriptione theologica.

Cum fieri possit, ut ad ostendendam apostolicitatem alicuius doctrinae praesto non sint documenta, quae usque ad apostolica tempora

ascendant et ita directe notam apostolicitatis exhibeant, potest tamen etiam in hoc casu indirecte apostolicitas ostendi argumento, quod dicitur praescriptionis. *Est enim praescriptio titulus iuris, qui fundatur in diuturna et continuata possessione.* Sicut igitur in litibus, quae versantur circa bona externa, ipsa diuturna possessio habetur pro argumento iustae possessionis et removet actionem, quae securitati possessoris obest, ita in quaestionibus, quae versantur circa possessionem spiritualem, hoc genus argumenti saepe iam a veteribus scriptoribus, ut ab Irenaeo et post eum maxime a Tertulliano, contra novatores usurpatum est. Ait *Tertullianus* de suo, quem de praescriptionibus edidit libro: „Libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc [revicti] sint de praescriptione novitatis“ (Adv. Marc. 1, 2; *M* 2, 248). Nam cum in christiana religione non agatur de novis doctrinis excogitandis sed de doctrina Christi conservanda, recte contra quamlibet innovationem praescriptio invocatur, et hoc quidem dupliciter:

a) *Negative.* Si agitur de duabus doctrinis oppositis, quae revelatae dicuntur, illa non potest esse vera, quae est posterior, quia vera doctrina revelata venit ab apostolis, et consequenter ex duabus doctrinis, quarum altera est antiquior, altera recentior, haec recentior non potest esse vera, quia non est apostolica. Ex quo quidem argumento non statim efficitur antiquiorem esse veram, quia etiam haec fortasse fuit innovatio; attamen ex ipsa maiore antiquitate iam aliquam probabilitatem habet.

b) *Positive.* Doctrina apostolorum, et non alia, semper traditur in ecclesia. Unde si constat aliquam doctrinam diu in ecclesia moraliter tota viguisse, haec doctrina non potest non esse apostolica. Novae enim doctrinae, quae ad fidem et mores pertinent, non possunt in universam ecclesiam eo modo introduci, ut ii, qui ex officio curare debent, ne quicquam doceatur nisi quod traditum est, innovationem non advertant. Unde conspiratio in deceptionem universalem fit impossibilis. Itaque si adversarii non possunt ostendere, a quo, quando, quomodo aliqua doctrina, quae universaliter admittitur, primum introducta sit, oportet concedere talem doctrinam habere apostolicam originem, et sic, licet directe ostendi non possit haec doctrina in scriptis libris, qui ex apostolicis temporibus supersunt, tamen omnis exceptio contra eam praescriptionis argumento removetur.

Varia opuscula, quae de hoc praescriptionis argumento agunt illudve proponunt, exstant apud *Migne* in tomo I Cursus theologiae.

412. Ut res haec exemplo illustretur, audiatur *Tertullianus*: Si supponamus, inquit, haereticos posteriores verum invenisse, quid tunc? „Quoque modo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu haereses non erant. Aliquos marcionitas et valentinianos liberanda veritas exspectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam

credebatur, tot milia milium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria in vacuum coronata. Aut si nec perperam nec in vacuum . . . ante christiani quam Christus inventus, ante haeresis quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit, post rem similitudo succedit. . . . Ubi tunc Marcion, ponticus nauclerus, stoicae studiosus? Ubi Valentinus, platonicae sectator? (De praeser. 29 30; *M* 2, 41. Cf. Zeitschrift für kathol. Theologie, Innsbruck 1881, 71 sqq.)

**Prop. XL.** Quattuor notae verae ecclesiae Christi in ea sola ecclesia inveniuntur, in qua romanus pontifex primatum gerit.

413. *Possunt omnes coetus eorum, qui se christianos vocant, in quattuor magnas classes dividi.* Exsistunt enim: a) ecclesia romano-catholica; b) ecclesiae schismaticae orientales, quae ab ecclesia romana recesserunt, non proxime ob differentes doctrinas, sed quia nolebant oboedire romano pontifici. Mox tamen variae falsae doctrinae non solum de primatu ecclesiae, sed etiam de aliis rebus (ut de processione Spiritus Sancti e solo Patre) in eas irrepserunt. Quia vero hucusque principalis differentia non est dogmatica, sed disciplinaria, solent vocari ecclesiae schismaticae. Sunt autem praecipue ecclesia russiaca, ecclesia graeca, cuius patriarcha Constantinopoli residet, et ecclesia regni graeci; c) sectae haereticae orientales: nestoriani et monophysitae; d) protestantes, qui ortum suum ducunt a novatoribus saeculi XVI.

Numerantur catholici ultra 300000000, graeci schismatici (cum russis) 127000000, monophysitae (iacobitae, armeni gregoriani, copti, aethiopes) circiter 7000000, nestoriani 200000(?), protestantes circiter 220000000<sup>1</sup>. Sicut autem schismatici, ita protestantes in plurimas partes, maxime inter se oppositas, dividuntur. Praecipuae sectae sunt: lutherani, anglicani, evangelici uniti (in Borussia), calvinistae, methodistae, presbyteriani, baptistae. Attamen non est putandum vel singulas ex his sectis constituere veram aliquam unitatem. Ita e. g. methodistae dividuntur in Wesleyan Methodists, Methodist New Connexion, Primitive Methodists, Bible Christians, United Methodist Free Churches, Independent Methodists, Wesleyan Reformers. Anglicani sunt asseclae variarum partium, quae vocantur High Church, Broad Church, Low Church. Praeterea inter eos inveniuntur, qui volunt esse protestantes, alii vero, qui hoc nomen plane respuunt. Ad illos pertinent qui vocantur Evangelicals; ad hos, qui dicuntur Ritualistae. In Anglia sola exsistunt circiter 300 sectae protestantes. Similiter in ecclesiis schismaticis plurimae sectae ortae sunt, ut in ecclesia

<sup>1</sup> Ex ultimis annis accurati numeri praesto non sunt; cf. e. g. Paolo Manna, *La conversione del mondo infedele* (Milano 1920), post pag. 370.

russiaca: strigolnicenses, duchoborcenses, molokani, raskolnicenses, qui se vocant starowierzi, i. e. veteres fideles, etc. De his cf. *Döllinger*, Kirche und Kirchen; Zeitschrift für kathol. Theol., Innsbruck 1890, 416 sqq.; Kirchenlexikon t. X (Freiburg 1897) s. v. Raskolniken; *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 4 sqq.

His praemissis prius probandum erit quattuor notas ecclesiae romano-catholicae convenire, dein easdem in aliis coetibus schismaticis vel haereticis non inveniri.

**Pars I.** Quattuor notae conveniunt ecclesiae romano-catholicae.

414. *Ecclesia romano-catholica est apostolica.* Romana enim ecclesia ab apostolis fundata est. Haec ecclesia eiusque episcopi successione numquam interrupta usque ad nostra tempora perseveraverunt, et antequam ullus ex hodiernis coetibus schismaticis et haereticis existeret, ecclesiae romanae legitima successio semper habita est firmissimum argumentum doctrinae apostolicae. S. Irenaei aliorumque Patrum testimonia iam audivimus (n. 346 sqq. 367), quibus addi possunt multa alia. Ita e. g. *Tertullianus*: „Age iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident. . . . Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia! cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt. . . . Videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum africanis quoque ecclesiis contesserant (al. contestetur, contesseratur)“ (De praeser. 36; *M* 2, 49). *S. Cyprianus* ad Cornelium papam scribit: „Nos singulis [Romam] navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, nos scimus hortatos esse, ut ecclesiae catholicae matricem et radicem agnoscerent ac tenerent. . . . Placuit, ut . . . per omnes omnino istas [in Numidia et Mauritania] positas litterae fierent, sicuti fiunt, ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, i. e. catholicae ecclesiae unitatem pariter et caritatem, probarent firmiter ac tenerent. Quod divinitus evenisse et consilium nostrum providenter processisse gaudemus“ (Ep. 48, 3; *H* 2, 607). Idem ad Antonianum: „Scripsisti, ut exemplum earundem litterarum ad Cornelium, collegam nostrum, transmitterem, ut deposita omni sollicitudine iam sciret te secum, hoc est cum catholica ecclesia, sentire“ (Ep. 55, 1; *H* 2, 624). *S. Ambrosius* de Satyro, fratre suo, baptismum petente scribit: „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam [baptismalem], percontatusque ex eo est, utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum romana ecclesia, conveniret“ (De excessu Satyri 1, 47; *M* 16, 1306). Alia vide apud *Schrader*, De unitate romana 1, 4 sqq. 79 sqq.

415. Quae vero fuerit series romanorum pontificum inde ab apostolicis temporibus usque ad nostros dies, notum est; neque istorum legitima



successio in dubium vocari potest. Fuerunt quidem interdum schismatici, qui contra legitimam cathedram conati sunt aliam erigere, ut iam Cypriani temporibus Novatianus, sed hi ab ecclesia reiecti sunt, neque eorum successores ulli exstant. Fuerunt quoque aliquoties dubitationes et disputationes in ecclesia, quis ex variis „praetendentibus“ sit legitimus successor in sede romana. Sed semper hae disputationes per legitimam auctoritatem compositae sunt, ut de legitima successione ullius pontificis, qui universaliter agnitus est, dubitari non possit. Ergo constat Pium XI esse legitimum successorem eius, qui ab apostolis primus romanus episcopus constitutus est. Revera si romana successio non est legitima, nulla iam est in toto mundo, quae cum ulla probabilitate possit dici apostolica. Aliae enim ecclesiae omnes ab apostolis ipsis fundatae iniuria temporum interierunt, ut ierosolymitana, alexandrina, antiochena, corinthiaca. Sola romana inter omnes casus semper perseveravit.

416. Unde efficitur *eam ecclesiam esse veram ecclesiam Christi, quae cum sede romana communionem habeat*, id quod sequitur, etiamsi abstrahamus a primatu romani pontificis. Sicut enim Patres Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, alii communionem cum qualibet ecclesia, quae esset vere apostolica, argumentum apostolicitatis et veritatis esse docuerunt, ita idem valet hodie de communionem cum sede romana. Haec enim sedes cessaret esse apostolica, si cum illegitimis coetibus schismaticis vel haereticis communionem servaret; unde nihil remanet, nisi ut aut concedatur ecclesiam romano-catholicam esse veram ecclesiam Christi, aut ostendatur, quando et quomodo romana sedes ab apostolica successione defecerit. Plurimi protestantes, qui plus quam merum nomen christianorum servaverunt, concedunt ecclesiam romano-catholicam esse aliquam veram ecclesiam Christi, sed simul volunt praeter eam existere alias quoque ecclesias Christi, id quod iam refutavimus et mox alio modo refutabimus. Alii vero, qui negant ecclesiam romano-catholicam esse veram, debent ostendere, quando sedes romana ab apostolica successione defecerit et ob hanc defectiorem a vera ecclesia Christi exclusa sit. At nihil tale ostendere possunt, quamvis alii alia tentamina fecerint (cf. *Bellarmino*, De eccl. 4, 5 8). A saeculo enim I usque ad saeculum XIII nullum tempus est, quo non unus alterve protestans voluerit factam esse apostasiam romanam (cf. *Hurter*, Comp. theol. I n. 322, nota 2). Haec dissensio manifestat eos protulisse quidem affirmationes, neque vero ullas probationes. Ceterum hodie multi protestantes concedunt saltem a fine saeculi III romanam ecclesiam semper fuisse eandem, quae hodie est. Atqui tunc ab integra ecclesia agnoscebatur eius apostolicitas. Ergo haec etiam nunc ei convenit.

417. Praeterea vero iam multo ante schismata et haereses, quae hodie existunt, episcopus romanus ab omnibus christianis agnoscebatur suc-

cessor Petri et primas universalis ecclesiae, qua in re non potuit universa ecclesia errore decipi. Ergo quia in ecclesia romana successio legitima usque ad nostra tempora permansit, etiam Pius XI est successor S. Petri et primas ecclesiae. Nam nisi ipse esset, nullus esset, et primatus esset exstinctus, id quod repugnat. Inepte igitur agunt protestantes illi (anglicani), qui concedunt romanum pontificem esse legitimum episcopum, et negant eum esse primatem. Aut neutrum est aut utrumque. Cum illis vero protestantibus, qui plane non admittunt Christum ecclesiam fundasse, hic, ubi de invenienda vera ecclesia Christi in concreto agitur, non disputamus. Ceterum romanum pontificem esse legitimum successorem S. Petri in primatu postea magis probabimus.

Cum igitur ex una parte apostolicitas originis et successionis sit nota verae ecclesiae Christi, ex altera vero parte in sede romana haec apostolicitas originis et successionis visibiliter adsit, *constat ecclesiam romano-catholicam esse veram ecclesiam Christi*. Quia autem vera ecclesia Christi est infallibilis in tradenda doctrina Christi, ecclesia romana etiam est apostolica ratione doctrinae. Hoc igitur loco non ex apostolicitate doctrinae probatur apostolicitas ecclesiae, sed e contrario apostolicitas ecclesiae proponitur ut nota, ex qua cognoscamus apostolicitatem doctrinae eius (cf. *Mazzella*, De eccl. n. 736 sqq.). Ceterum eo ipso, quod ecclesia romano-catholica sibi semper adscripsit infallibilitatem, ostendit se esse veram ecclesiam Christi; nam nulla alia secta ausa est, saltem constanter, sibi infallibilitatem attribuere, vera autem ecclesia Christi est infallibilis et debet se profiteri infallibilem. Ergo ecclesia romano-catholica, cum sola constanter sibi hanc infallibilitatem vindicet, est unica vera ecclesia Christi.

418. De unitate ecclesiae romano-catholicae vix est quod dicamus. Omnes enim catholici profitentur omnem doctrinam, quae a magisterio ecclesiastico definitivo modo proponitur, et profitentur oboedientiam ecclesiasticam in rebus disciplinariis, et omnis, qui pertinaciter vel doctrinae ecclesiae vel regimini repugnat, excluditur. In multis quidem rebus ecclesia libertatem opinandi et agendi permittit, sed hoc non obest unitati, quia omnes debent parati esse ad se subiciendos sententiae auctoritativae, quando fertur. Quomodo ex unitate magisterii et regiminis sequatur unitas cultus et communionis, nullo negotio intellegitur. Haec nota tam evidens est in ecclesia romano-catholica, ut ipsi adversarii saepe admiratione affecti eam magnificis verbis praedicaverint eamque imitari conati sint frustra. Quodsi haeretici interdum obiciunt etiam inter catholicos esse differentias opinionum, respondendum est: In opinionibus differunt, in definitis dogmatis consentiunt. Catholicus quocumque terrarum venit, ubique audit eandem praedicationem, eadem sacramenta invenit, idem sacrificium, idem regimen ecclesiasticum; in haeticorum aedibus iisdem non raro vespere refutatur, quod mane praedicatum est, nedum in eadem magna urbe

vel in integra provincia eadem fides vigeat. Caecus est, qui hanc differentiam inter catholicos et haereticos non videat. Hanc unitatis notam iam S. Irenaeus valde effert: „Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum [sequuntur articuli symboli]. Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem, quemadmodum praediximus, ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae, ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis [Hispania] sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedictio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire“ (Adv. haer. 1, 10, 1 2; M 7, 550 sqq.).

419. Neque minore luce splendet ecclesiae *catholicitas*, quia una ecclesia ubique est, quo pro humanis viribus patet aditus. Licet alibi plures, alibi pauciores catholici sint, nulla tamen pars habitabilis orbis est, ubi ecclesia plane desit. Ita a. 1910 in Europa sunt circiter 190 000 000 catholici, in Mexico, America meridionali et centrali ultra 70 000 000, in America septentrionali et Canada circiter 22 000 000<sup>1</sup>, in Africa 2 000 000<sup>2</sup>, in Australia et Polynesia circiter 1 250 000, in Asia 13 900 000. Ergo ubique ecclesia romano-catholica eo modo exsistit, ut a volentibus inveniri possit; et praeterea numerus asseclarum eius continuo crescit. Ante haereses saeculi XVI ecclesia non numerabat multo ultra 100 000 000 fidelium, nunc vero ultra 300 000 000. Neque ecclesia oblita est mandati Domini: Praedicate evangelium omni creaturae, et eritis mihi testes usque ad ultimos fines terrae. Semper enim et ubique conatur expandere regnum Dei, idque cum fructu longe maiore quam ullus alius coetus christianus. Itaque constat ecclesiam romano-catholicam excellere catholicitate absoluta.

420. At non minus insignis est *catholicitate relativa* prae omnibus aliis coetibus christianis, id quod evidens est, si singuli coetus per

<sup>1</sup> Secundum censum publicum ecclesiasticum, quem exhibet *The Catholic Directory* (New York 1920), in „Statibus Unitis“ Americae septentrionalis (sine coloniis) numerantur 17 735 553; in Canada ultra 4 000 000.

<sup>2</sup> Omissis Europaeis qui in Africa habitant; cf. Die kath. Missionen (Freiburg i. Br. 1922) 46; B. Arens, Handbuch der kath. Missionen (ib. 1920) 180 sq., ubi soli conversi e gentilismo indicantur.

se considerantur, quod fieri debet, saltem quantum ad eos, qui nullo nexu inter se cohaerent. Latissimus inter omnes est coetus russionum et graecorum schismaticorum, qui numerantur circa 127 000 000, et hi ipsi in multas sectas scinduntur<sup>1</sup>.

421. *Quod autem nunc valet, semper valebat*, quare hoc argumento frequenter utuntur SS. Patres, quod coetus haeretici vel schismatici in uno angulo mundi existentes ecclesia Christi esse nequeunt. Potest quidem videri temporibus *ariana haeresis* contrarium obtinuisse; scribit enim Hieronymus: „Ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est“ (Adv. Lucif. n. 19; M 23, 172). At sufficit nosse historiam rei, ad quam Hieronymus hanc rhetoricam phrasim adhibet, ut statim appareat nihil obesse nostro argumento. S. Athanasius, qui catholicorum contra arianos pugnantium non minima pars erat, his haeticis continuo obicit relativam paucitatem episcoporum, qui eorum errori adhaereant: „Vos, o novi iudaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis; cuncti vos aversantur praeter unum diabolum, qui nempe solus vobis huius vestrae defectionis pater et auctor exstitit. . . . Nam fides, quam synodus [nicaena] scripto confessa est, ipsa vere est catholicae ecclesiae, quam ut tuerentur, placuit beatis Patribus ita scribere arianamque haeresim condemnare“ (De decret. nic. syn. n. 27; M 25, 466. Cf. De sent. Dion. n. 1 sqq. et n. 27; M 25, 479 et 519. Orat. 1 contra arian. n. 10; M 26, 31. De syn. n. 28; M 26, 739). Iam vero ita s. doctor loqui non potuisset, si maior pars episcoporum fuissent antinicaeni. Res autem, de qua loquitur S. Hieronymus, ita se habet: Ut lis inter catholicos et arianos componeretur, Constantius imperator synodum Ariminum convenire iusserat (359), in qua longe maior pars episcoporum catholicae sententiae adhaerebant. His ariani ambiguum formulam proponebant, cui ut catholici subscriberent, imperator omni genere violentiae conabatur extorquere. Tandem, partim dolo circumventi partim metu territi, etiam nonnulli catholici subscripserunt, quorum tamen aliqui paulo post declararunt se sensum haeticum formulae non cognovisse. De hac re dicit Hieronymus orbem non quidem fuisse arianum, sed *miratum* esse, quod censeretur arianus (cf. Hefele, Konziliengesch. I 714).

422. Ecclesia romano-catholica est *sancta* illa conspicua sanctitate, quae est nota verae ecclesiae Christi. Sancta enim est *doctrina* eius, qua vitia corripiuntur, virtutes commendantur, homines ad perfectionis studium excitantur, nec sola ea, quae per modum praecepti sed etiam

<sup>1</sup> Quid futurum sit brevi ante finem mundi, exponitur in tractatu de Novissimis (IX, n. 678 sqq.). E statu plane singulari religionis christianae, qui tunc erit, non licet concludere posse forsitan aliis quoque temporibus accidere, ut nota catholicitatis evanescat (cf. M. d'Herbigny, De ecclesia II 82).

quae per modum consilii a Christo et apostolis hominibus proposita sunt (Matth. 19, 11 12 22. 1 Cor. 7, 25 40), enixe commendantur. Hanc sanctam doctrinam ecclesia semper cum magna libertate defendit, neque umquam ratione utilitatis vel damni temporalis veritatem venalem habuit (cogita de Syllabo et similibus, quae tantam ecclesiae invidiam apud multos creaverunt). Sanctitatem spirant cultus et sacramenta et reliqua media, quibus ecclesia vitam spiritualem promovere solet.

423. Porro haec bona arbor semper protulit *fructus sanctitatis*. Nam in ecclesia post apostolos numquam defuerunt viri et feminae sanctitatis studiosi, martyres, virgines, eremitae, insignes christianae caritatis cultores. Revera communiter vix aliud quicquam tam efficaciter movet homines ad admirationem ecclesiae, quam quod vident ex eius membris tot viros et feminas nobiles et divites cotidie renuntiantes commodis saecularibus, ut totos se servitio Christi et proximorum impendant. Quam rem protestantes nostris temporibus saepe omni modo conati sunt imitari, at plerumque tam infeliciter, ut non raro suis essent ludibrio. Fructus et documenta sanctitatis sunt etiam tot magnifica templa, nosocomia, xenodochia, alia multa insignia opera, quae caritas catholica sine intermissione producit. Cura pauperum, aegrotorum, orphanorum ecclesia semper excellebat.

424. Semper produxit et producit ecclesia *sanctos*, qui vere heroico gradu sanctitatis eminent, ut patet ex longa serie eorum, qui post diligens examen vitae eorum ut conspicua exemplaria sanctitatis christiano populo ab ecclesia ad imitationem propositi sunt. Ipso saeculo XVI, quo novatores de maxima corruptione ecclesiae querebantur eamque causam suae rebellionis praetendebant, tales insignes sancti in ecclesia exstiterunt, quales sunt Pius V, Carolus Borromaeus, Philippus Neri, Ignatius, Franciscus Xaverius, Franciscus Borgia, Stanislaus Kostka, Aloysius, Caietanus Thienaeus, Hieronymus Aemilianus, Teresia, Ioannes a Cruce, permulti alii. Neque nostris temporibus heroicum horum virorum sanctorum genus exstinctum est (Perboyre, Don Bosco, Clemens Hoffbauer etc.). Cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 973 sqq., ubi enumerantur circiter 140 sancti, de quibus diplomata pontificia in Bullario exstant; *Const. Kempf*, Die Heiligkeit der Kirche im 19. Jahrhundert, ed. 7, Einsiedeln 1921.

425. Tandem numquam in ecclesia defuerunt *charismata* illa, quae ecclesiae suae Christus promisit (Marc. 16, 16 17; cf. 1 Cor. 12). Quamvis enim dona charismatica non iam tam crebra sint quam primis temporibus, ubi necessaria erant in signum infidelibus (1 Cor. 14, 22 sqq.), tamen quo magis vivida est fides, eo saepius fiunt. Student quidem infideles oculos claudere et ea, quae luce meridiana clarescunt, non videre. At hoc non impedit, quominus miracula vere fiant. Sufficit

in memoriam revocare miracula, quae prope Lourdes facta et tot medicorum diligenti examine probata sunt. Nota est summa diligentia, quae ad hanc rem examinandam exhibetur in canonizatione sanctorum.

Haec omnia *S. Augustinus* sic complectitur: „Multa sunt, quae in ecclesiae catholicae gremio me iustissime teneant. Tenet consensus populorum atque gentium [unitas]; tenet auctoritas miraculis incohata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata [sanctitas]; tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum [apostolicitas]; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haeticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia“ (Contra ep. Manich. c. 4; *M* 42, 175).

#### *Pars II. Hae notae nulli alii coetui christiano conveniunt.*

426. *Apostolicitas non invenitur in protestantismo*; nam ante saeculum XVI protestantes nulli erant. Protestantismus non ab apostolis fundatus est, sed in Anglia ortum suum ducit ab Henrico VIII et Elisabeth regina, in Germania a Lutero, in Helvetia a Calvino et Zwinglio. Hi omnes rebellaverunt contra legitimam auctoritatem ecclesiasticam tunc existentem; ad hoc autem coeptum se missos esse a Deo neque miraculis neque vitae sanctitate probarunt. Praeterea inter se vehementissime pugnarunt et damnarunt. Lutherus tam bene intellexit se non esse legitime missum, ut intra annos 24 sententiam de missione sua quaterdecies mutaverit (*Döllinger*, Die Reformation, Regensburg 1851 sqq., III 213 sqq.). Propterea desperatam illam ideam ecclesiae invisibilis fabricati sunt.

427. *Neque ecclesia graeca schismatica insignitur apostolicitate*. Nam aut ecclesia graeca ante Photium erat apostolica, quod si ita est, ab ea defecerunt posteriores graeci; aut non erat apostolica, unde igitur hodierni graeci derivant suam successionem? Prior ecclesia graeca agnovit primatum romani pontificis ut successoris S. Petri. Ergo aut prior ecclesia graeca erravit aut posterior. In neutro casu ecclesia graeca habet legitimam apostolicam successionem. Efficitur autem ex iis, quae iam diximus, priorem habuisse, posteriorem non habere. Postea quoque in conciliis lugdunensi et florentino graeci agnoverunt primatum romani pontificis, et nihilominus rursum defecerunt; ergo non est apud eos perpetua et constans traditio.

428. *Minime omnium ecclesia russiaca est apostolica*; nam totam eius constitutionem mutavit imperator Petrus qui dicitur Magnus. Hic

enim suppressit Patriarchatum et eius loco „Sanctam Synodum“ instituit et postulavit atque impetravit, ut episcopi imperatorem ut summum caput ecclesiae agnoscerent, idque membra „Sanctae Synodi“ iuramento affirmabant. Cum quidam ei obicerent patriarchatum russicum cum consensu patriarchae constantinopolitani fundatum esse, imperator pectus suam percutiens: „Hic“, inquit, „est patriarcha vester.“ Ipse quoque scripsit „Regulationem spiritualem“, secundum quam ecclesia russica administranda erat. Ita unio cum reliqua ecclesia graeca plane soluta et novum regimen ecclesiasticum ab imperatore, qui nullam ad hoc habebat iurisdictionem, institutum est, caesaropapismus (1721), qui cessavit civili seditione anni 1917. Nunc videtur esse chaos.

Similiter ecclesia regni graeci a. 1833 sese a patriarcha constantinopolitano emancipavit, et gubernium civile „Permanentem Synodum“ ut supremum regimen ecclesiasticum instituit. Recentissime simile quid factum est in aliis regnis. Itaque illa pars ecclesiae graecae, quae saltem speciem quandam externam successionis materialis servavit, i. e. constantinopolitana, iam ad valde angustos limites redacta est (cf. *De Groot*, De eccl. 170 sqq.).

Quod de schismaticis orientalibus interdum iudicia valde diversa a theologis catholicis proferuntur, vir diu in Oriente commoratus et in theologia orientalium bene versatus, *M. Jugie* ita explicat: „Ces divergences ont leur source dans une information insuffisante et aussi dans la fausse idée qu'on se fait généralement de l'Église gréco-russe. On la conçoit plus ou moins sur le modèle de l'Église catholique. On veut à tout prix lui trouver une doctrine officielle sur des questions où elle ne peut en avoir, et on se laisse tromper par ses théologiens, qui omettent rarement de présenter leurs opinions particulières comme l'expression de la plus pure „orthodoxie“. Or, il ne faut pas oublier que l'Église orientale, depuis sa séparation d'avec Rome, loin d'avoir enrichi l'acquis dogmatique des huit premiers siècles, n'a pas même réussi à le garder intact partout et toujours. Et cela se comprend, vu qu'elle est dépourvue en fait de tout magistère infaillible, de toute autorité centrale capable de dirimer les controverses“ (*Échos d'Orient* XVII [1914] 5).

Eadem magis in specie explicat *F. Wiercinski* in „*Stimmen der Zeit*“ XCV (1918) 11 sqq.

429. Quod ad unitatem et catholicitatem attinet, aut coetus protestantes omnes simul sumuntur, et absolute nulla inter eos est unitas; aut singuli per se considerantur, et ne minimam quidem speciem catholicitatis prae se ferunt. Uniti borussi non sunt nisi in Borussia; anglicana ecclesia intra limites fere dominationis britannicae continetur. Immo plurimi ex coetibus protestanticis volunt esse ecclesiae nationales; ergo ne appetunt quidem catholicitatem. Dein quam diversa

elementa in unam talem ecclesiam nationalem sunt congregata, ut ne de maxime fundamentalibus quidem doctrinis christianis inter eos conveniat! Orthodoxi, qui dicuntur, fidem Trinitatis, divinitatis Christi, inspirationem Scripturae similiaque ut essentialia considerant, liberales haec omnia audacter reiciunt. Notae sunt lites de his rebus inter protestantes germanos, nec minus eiusmodi disputationes dilacerant ecclesiam anglicanam. Plerique ex his coetibus solum tamdiu non dilabuntur, quamdiu per potestatem civilem continentur<sup>1</sup>.

430. *Idem fere valet de ecclesiis schismaticis et haereticis orientalibus.* Hae enim quomodo catholicae dici possint, non apparet. Quod vero ad unitatem attinet, in multas partes scissae sunt, et hae partes in se habent causas dissolutionis, id quod quam maxime evidens est in ecclesia russica, in qua plurimi sectarii (ultra 20 000 000) contra caesaropapismum rebellantes sola bruta vi cohibebantur. Ceterum haec dissolutio ex ipso principio haeresis et schismatis naturaliter fluit. Quod enim licuit Luthero, hoc licet cuilibet lutherano; privatum iudicium ab auctoritate divinitus instituta emancipatum non potest rationabiliter se subicere auctoritati humanae. „Libertas evangelica“ impatiens est unitatis.

431. De *sanctitate protestantismi* vix est cur dicamus. Lutherus, Henricus rex, monachi et sacerdotes mulierosi et principes bonis ecclesiasticis diripiendis inhiantes fuerunt patres eius minime sancti. Necessitatem bonorum operum ad salutem, libertatem voluntatis negarunt, aliasque doctrinas bonis moribus inimicas statuerunt. Qui fructus secuti sint, historia docet. Vix non omnes articulos fidei christianae paulatim protestantes abiecerunt et libertinismo pessimo vias straverunt. Primum sanctum protestanticum mundus adhuc exspectat. Miracula fieri posse plurimi protestantes negant, certe ipsi nulla umquam patrarunt.

432. De *schismaticis et haereticis orientalibus* vix meliora dici possunt. Qualis enim fuerit Photius, qui ob crimina sua a synodo VIII damnatus est, qualis Caerularius, qualis Petrus Magnus, patres coetuum schismaticorum, ex historia notum est. Ecclesia graeca, antea fertilis mater sanctorum, post schisma nullum sanctum, nullum virum sanctitatem magnum protulit. Si credimus ea, quae communiter a testibus de clero schismatico, de monachis et monialibus, maxime in regno russiaco, circumferuntur, hi omnes maximam partem sunt in statu pessimae corruptionis et ignorantiae, imprimis ebrietati dediti. Sane non magnam fidem inveniret, qui vellet ecclesiam russiacam ob sanctitatem eius commendare. Neque tamen negandum est posse inter haere-

<sup>1</sup> Cf. de congressu missionariorum protestantium totius mundi anno 1910 Edinburgi habito *Stimmen aus Maria-Laach* LXXIX (1910) 253 sqq.

ticos et schismaticos esse homines, qui pro sua bona fide et pietate bonam vitam agant; at aequè certum est Deum, si quem velit ad magnam sanctitatem adducere, non relicturum esse hominem in statu ignorantiae, licet inculpabilis, sed eum adducturum esse ad veram ecclesiam, id quod ex exemplis multorum ad ecclesiam conversorum constat. Si de defectu notae sanctitatis apud haereticos et schismaticos plura desideras, invenies apud *Döllinger*, *Die Reformation*; *Denifle*, *Luther und Luthertum*; *Grisar*, *Luther*; *Kampschulte*, *Joh. Calvin*; *Hergenröther*, *Photius*; *Ottiger*, *Theologia fundam.* II 985 sqq.

Itaque quattuor notae verae ecclesiae Christi in sola ecclesia romano-catholica inveniuntur, et consequenter haec sola est vera ecclesia Christi.

## SECTIO IV.

## DE SUBIECTO ACTIVO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

## ART. I.

## DE EPISCOPIS.

**Prop. XLI.** Successores apostolorum in magisterio et regimine ecclesiastico sunt episcopi.

433. Postquam invenimus eam societatem, cui Christus commisit doctrinam suam, cui promisit assistentiam perpetuam et donum Spiritus Sancti, ut conservet et tradat omnem veritatem revelatam omnibus hominibus usque ad finem mundi eosque dirigat ad aeternam salutem, iam quaeritur, qui sint illi in hac societate, quibus docendi et regendi auctoritas competat, seu qui sint successores apostolorum.

Cum apostoli ad hoc constituti sint a Christo, ut docerent, regerent, sanctificarent homines, ii recte dicuntur eorum successores, quibus ipsi apostoli hoc triplex munus tradiderunt, ut hi rursus hoc munus aliis successoribus traderent. Atqui probavimus ab apostolis institutos esse *episcopos* et ab his rursus alios ad hoc triplex munus gerendum (supra n. 344 sqq. 363). Ergo episcopi sunt successores apostolorum in ordinario magisterio et regimine ecclesiastico. Vidimus autem episcopos vocari eos, qui singulis particularibus ecclesiis cum suprema et ordinaria iurisdictionis potestate praesint et adiutores habeant presbyteros et diaconos. Quare *Cyprianus* ecclesiam definit: est „plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens“ (Ep. 66, n. 8; *H* 2, 733). Ergo etsi episcopi ab initio vocati non essent successores apostolorum, recte iis hoc nomen tribueremus. At iam primis temporibus saepius ita vocati sunt, ut audivimus (n. 351 sqq. 402), ab *Irenaeo*, *Tertulliano*, *Cypriano* (cf. Ep. 66, n. 4; *H* 2, 729), ab *Eusebio*, qui antiquissimorum scriptorum testimoniis nixus, ut ipse ait, „apostolorum successionis (ἀποστόλων διαδοχῆς)“ catalogos exhibet (cf. *H. E.* 3, 4; *M* 20, 219). „Denique et episcopi apostoli nominantur“ (*Pacianus*,

Ep. 1 ad Sympron. n. 6; *M* 13, 1057). „Apud nos apostolorum locum episcopi tenent“ (*Hieronymus*, Ep. 41 ad Marcellam n. 3; *M* 22, 476). „Horum [apostolorum] profecto nunc in ecclesia locum episcopi tenent“ (*Gregorius M.*, In evang. hom. 26, n. 5; *M* 76, 1200). Ergo non est quid novi, quod *conc. trid.* sess. 23, c. 4 de episcopis ait: „qui in apostolorum locum successerunt“ (*Denz.* n. 960). *Leo XIII.*: „Quomodo Petri auctoritatem in romano pontifice perpetuam permanere necesse est, sic episcopi, quod succedunt apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt, ita ut intimam ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat“ (*Encycl. de unit. ecclesiae* die 29 iunii 1896; cf. *Denz.* n. 1962). Idem docet *conc. vatic.* sess. 4 (*Denz.* n. 1821). Cf. *Segna*, *De eccl. constit.* 25 sqq. Damnatus est hic *modernistarum* error: „Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam“ (*Denz.* n. 2050).

434. Clerici vero episcopo inferiores regiminis ecclesiastici eatenus tantum participes sunt, quatenus ab episcopis deputantur. Ita docent *S. Ignatius M.*, *Tertullianus*, *S. Cyprianus*, alii multi (supra n. 349 sqq.). Neque ad concilia generalia presbyteri convocabantur nisi pauci electi, qui aderant ut consiliarii vel scribae vel vicarii episcoporum absentium (cf. *Hefele*, *Konziliengeschichte* I, ed. 2, 15 sqq.; *Phillips*, *Kirchenrecht* II 231 sqq.). Quare *Theodosius* imperator scribens ad synodum ephesin. ut notissimum principium proponit: „Nefas est, qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere“ (*Hardouin* I 1346). Cf. *Denz.* n. 1509.

435. Nihilominus magna est differentia inter potestatem singulorum episcoporum et singulorum apostolorum. Nam quivis apostolus indeterminate missus erat ad omnes homines et ubique poterat iurisdictionem exercere, id quod ex eorum agendi ratione manifestum est. Contra vero episcopi ab apostolis *singulis ecclesiis* assignabantur, ut in sua ecclesia residerent et eius curam gererent: „cum constituissent per singulas civitates presbyteros“ (Act. 14, 22). „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei“ (Act. 20, 28). „Rogavi te, ut remaneres Ephesi“ (1 Tim. 1, 3). „Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per singulas civitates presbyteros, ut et ego disposui tibi: Si quis sine crimine est . . . oportet enim episcopum sine crimine esse“ (Tit. 1, 5 sqq.). „Pascite, qui in vobis est, gregem Dei“ (1 Petr. 5, 2). Unde Ioannes loquitur de angelo Ephesi ecclesiae, de angelo Smyrnae ecclesiae . . . (Apoc. 2). Patrum dicta iam allata sunt supra in Prop. XXXIII. Cf. *conc. trid.* De reform. sess. 6, c. 1, et sess. 23, c. 1; *conc. vatic.* Const. 1 de eccl., c. 3 (*Denz.* n. 1828).

Ideo semper solebat nominibus episcoporum nomen sedis addi, ut patet ex epistulis et ex subscriptionibus conciliorum.

436. Alterum essenziale discrimen est, quod apostoli a Christo electi erant, ut novas revelationes acciperent et cum hominibus communicarent. Sed episcopis a se institutis apostoli inculcant, ut *depositum acceptum sine ulla immutatione custodiant*. „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti. . . . Bonum depositum custodi. . . . Quae a me audisti per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. . . . Tu assecutus es meam doctrinam. . . . Permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris“ (2 Tim. 1, 13 14; 2, 2; 3, 10 14).

Ea de causa saepe audivimus SS. *Patres* provocantes ad legitimam successionem ut ad certissimum argumentum apostolicae traditionis. „Quod invenerunt [episcopi] in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt“ (S. *August.*, Contra Iulian. 2, 34; M 44, 698). Ideo ecclesia semper reiecit haereticos dicentes se novas revelationes accepisse vel apostolos non recte doctrinam Christi intellexisse vel non omnia tradidisse, ut patet ex disputationibus cum gnosticis, marcionitis aliisque. „Putaverunt semet ipsos plus invenisse quam apostolos“ (Irenaeus, Adv. haer. 3, 12, 12; M 7, 906). „Aliquos marcionitas et valentinianos liberanda veritas exspectabat!“ (Tertull., De praescr. 28; M 2, 41). „Latuit aliquid Petrum? . . . Latuit et Ioannem aliquid?“ (Ib. 22; M 2, 34). Itaque etiam hoc sensu ecclesia est „immobile regnum“ (Hebr. 12, 27), quod qui sunt in ea doctores, non nova inveniunt, sed ea, quae semel tradita sunt, conservant. „Depositum custodi, i. e. quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; res non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis“ (Vincent. Lirin., Commonit. 22; M 50, 667). Consequenter episcopi inspirationes divinas et alia charismata, quae ad revelationes recipiendas easque primum proponendas pertinent, vi muneris non habent.

437. Itaque quod episcopi dicuntur successores apostolorum, accipiendum est de munere docendi, regendi, sanctificandi seu de *ordinario munere pastorali*. Nam munus pastorale ex institutione Christi esse perpetuum in ecclesia probavimus (supra n. 316 363). Sed extraordinaria dona, quibus apostoli excelebant, nulli particulari ordini ecclesiastico quasi vi muneris annexa promissa sunt; et apostolis concessa fuisse non ex illis verbis probari potest, quibus iis in communi Christus tradidit magisterium et regimen ecclesiasticum. Praerogativae apostolorum ut apostolorum aliunde probantur et cum ipsis defecerunt.

Neque, excepto romano pontifice, singuli episcopi eo modo sunt successores apostolorum, ut quilibet episcopus alicui determinato apo-

stolo successerit, puta Andreae vel Bartholomaeo potius quam alii, sed hoc tantum modo, ut potestas docendi, regendi, sanctificandi vi muneris, quae primum fuerat in apostolis, postea transierit in episcopos. Sicut igitur, quantum attinet ad hoc triplex munus, apostoli omnes erant aequales, ita episcopi hac ratione omnes sunt inter se aequales. „Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur“ (Cyprian., De unit. eccl. 5; H 1, 214). Cf. Suarez, De leg. 4, 4, 21 sqq.

**Prop. XLII. Non singuli episcopi separatim spectati sunt magistri infallibiles.**

438. Cum probatum sit episcopos esse successores apostolorum in munere eorum ordinario, iam inquirendum est in singulas partes potestatis eorum. Sed quid episcopi vi potestatis ordinis possint, docetur in tractatu de sacramentis; quid vero possint vi potestatis legislativae, iudiciariae, executivae, exponitur in iure canonico. Unde hic nihil restat, nisi ut videamus de eorum *potestate magisteriali*, quae quidem disceptatio etiam ideo hoc loco principalis est, quia quaerimus illud magisterium, a quo doctrinam a Christo revelatam discere possimus. Porro cum in hoc ipso magisterio distinguere oporteat infallibilem testificationem, cui respondet fides divina, et auctoritativam intimationem, cui respondet oboedientia ecclesiastica, hoc loco principaliter quaeritur de priore parte potestatis magisterialis seu de „clave scientiae“. Nam cum primum infallibile magisterium invenerimus, ex iis, quae antea probata sunt, statim efficitur hoc infallibile magisterium posse fidelibus ex potestate iurisdictionis praecipere, ut suis definitionibus oboediant.

Cum iam ostensum sit episcopos esse successores apostolorum in magisterio (supra n. 339 344 346 349 351 sq. 436), hoc tantum dubium esse potest, utrum singuli episcopi per se sint infallibiles magistri an solum omnes simul ut collegium apostolicum. Apostolis quidem Christus infallibilitatem promisit (Prop. XXV); nihilominus ex verbis Christi non possumus colligere, utrum apostoli singuli an collegialiter tantum fuerint infallibiles, sed hoc concludimus maxime ex modo, quo ipsi suam infallibilitatem intellexerunt, et ex speciali condicione primae praedicationis, quae infallibilitatem singulorum apostolorum requirebat<sup>1</sup>. Eadem ratione ex iudicio, quod ecclesia tulit de subiecto infallibilitatis, discendum est, quomodo episcopi sint infallibiles; nam infallibilis ecclesia debet scire, qui sint infallibiles doctores, et quomodo infallibilitas iis conveniat. Porro inde quoque haec res diiudicanda est, quid necessitas ecclesiae et promissio Christi postulent.

<sup>1</sup> M. d'Herbigny censet quidem non certo constare de infallibilitate personali singulorum apostolorum (De ecclesia I 166 sq.), sed rationes, quibus sententiam communiter receptam infirmare conatur, non videntur esse valde graves; quod eum praecipue movet est, ut hac ratione melius ostendat „momentum unitatis in ecclesia et identitatem continuam collegii apostolico-episcopalis“.

439. *Argumentum.* Iam vero evidens est *neque ad verificandas promissiones Christi neque ad conservandam integram doctrinam eius necessariam esse infallibilitatem singulorum episcoporum*, cum sub utroque respectu sufficiat infallibilitas collegialis. Neque enim episcopi religionem christianam primum fundare sed fundatam conservare debent, ad quod infallibilitas totius corporis episcopalis sufficit, a quo corpore singuli episcopi doctrinam accipere possunt.

Ipsi apostoli episcopos a se institutos non tractarunt ut personali infallibilitate praeditos. Ita Paulus alloquitur episcopos, quos Miletum vocaverat: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei. . . . Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se“ (Act. 20, 28 30). Ad Timotheum scribit: „Ineptas et aniles fabulas devita, exerce autem te ipsum ad pietatem. . . . Attende lectioni, exhortationi et doctrinae“ (1 Tim. 4, 7 13). „Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita“ (2 Tim. 2, 23). Similiter ad Titum (2, 7; 3, 9).

Iam inde a primis saeculis ecclesiae episcopi fuerunt, qui palam in haeresim vel schisma inciderunt et ab ecclesia exclusi sunt, ut Paulus Samosatenus, Nestorius, tot episcopi ariani. Immo inter eos, qui semper fuerunt fideles ecclesiae asseclae, nonnulli errores docuerunt, ut e. g. Cyprianus et alii episcopi africani de rebaptizandis haereticis. Propterea Cyprianus monet ibi tantum esse veritatem, ubi est ecclesia „conexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata“ (Ep. 66, n. 8; H 2, 733); eos autem episcopos nequaquam esse sequendos, qui a ceterorum communione se separaverint: „Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis esse a contagio delicti possit cum sacerdote peccatore communicans et ad iniustum atque illicitum praepositi sui episcopatum consensum suum commodans“ (Ep. 67, n. 3; H 2, 737).

440. Quamvis autem non sint infallibiles, tamen *singuli episcopi in sua dioecesi sunt authentici magistri et iudices fidei*, non ad definienda dogmata, sed ad ea, quae tradita et definita sunt, conservanda. Ipsi enim vi muneris potestatem et obligationem habent veritatem revelatam propagandi et cavendi, ne quis eam subvertat. Quivis igitur episcopus legitime constitutus praesumendus est tradere doctrinam apostolicam, quamdiu contrarium non probatur, et consequenter doctrina, quam vi muneris proponit, ab eius subditis admittenda est ut vera doctrina Christi, nisi aliunde constet contrarium obtinere. At ne tunc quidem a suis subditis, sed a superiore episcopus iudicandus est. Aliter res se habet quantum ad ea, quae ut doctor privatus proponit, e. g. scribendo tractatus theologicos. Talia enim impugnari possunt eodem modo quo ea, quae ab aliis doctoribus catholicis proponuntur. Porro iudicio quoque episcopi, quod tulit in subditum, sive ratione

doctrinae sive in alia causa, standum est, quamvis recursus pateat ad tribunal summi pontificis. Habet enim episcopus veram potestatem magisterialem et iurisdictionem pastoralem et specialem gratiam Dei ad hoc munere recte fungendum. Unde fideles servare debent monitum illud: „Oboedite praepositis vestris et subiacete iis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim expedit vobis“ (Hebr. 13, 17). Ad alios vero inferiores ministros, ut ad parochos ceterosque verbi divini praecones et sacramentorum administratores, idem eatenus applicandum est, quatenus cum episcopis coniunguntur et ex eorum mandato agunt. Cf. *Codex iur. can.*, can. 329, § 1; 334, § 1; 335 sq.

**Prop. XLIII. Episcopi in oecumenicum concilium collecti sunt infallibiles in definienda doctrina revelata.**

*Pars I. Concilia oecumenica sunt infallibilia.*

441. Haec thesis non tam probatione quam explicatione indiget. [Nam cum magisterium ecclesiae sit infallibile, et cum episcopi, qui hoc magisterium constituunt, singuli non sint infallibiles, necessario sequitur eos saltem *collegialiter esse infallibiles*. Ergo si episcopi conveniunt et collegialiter definiunt aliquam doctrinam esse admittendam aut reiiciendam, in hoc iudicio infallibiles sunt, quia secus magisterium a Christo institutum careret speciali illo auxilio, quod Christus ecclesiae suae in perpetuum promisit ad conservandam et propagandam veritatem. In errorem inducto integro magisterio ecclesiastico iam praevaluissent contra ecclesiam portae inferi, recessisset ab ea Spiritus veritatis, cessasset ecclesia esse columna et firmamentum veritatis (1 Tim. 3, 15). Quod cum fieri non possit, constat de infallibilitate concilii oecumenici.

442. *Hanc persuasionem semper fuisse in ecclesia abunde probatur ex omnibus illis dictis SS. Patrum, quibus unanimis doctrina episcoporum proponitur ut firmissimum argumentum doctrinae revelatae* (cf. supra n. 344 sqq.). Etenim si umquam hoc argumentum fieri potest, certe tum cum episcopi ad hoc ipsum conveniunt, ut de doctrina iudicium ferant. Quare mirum non est, quod statim post prima concilia habita SS. Patres eodem modo de conciliis loquantur, quo priores Patres de auctoritate collegii episcoporum generatim. Ita S. Athanasius decretum concilii nicaeni vocat ῥῆμα τοῦ κυρίου: „Domini verbum per oecumenicam synodum nicaenam prolatum in aeternum manet“ (Ep. ad Afr. n. 2; M 26, 1031). S. Ambrosius de doctrina conciliabuli ariminensis ait: „Hoc scriptum est in ariminensi synodo, meritoque illud exhorreo, sequens tractatum concilii nicaeni, a quo me nec mors nec gladius poterit separare“ (Ep. 21, n. 14; M 16, 1005). S. Leo M. saepe monet, ne, quae in concilio oecumenico semel statuta sunt, rursus in dubium vocentur, quia Deus haec „universae fraternitatis irretractabili fir-

mavit assensu" (Ep. 120, c. 1; *M.* 54, 1047). „Detestandum ergo nobis est perseveranterque vitandum, quod fraus haeretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem pie et plene definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quae manifestum est per omnia prophetis et evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare. Unde si qui sunt qui ab his, quae caelitus sunt constituta, dissentiant, suis opinionibus relinquuntur et ab unitate ecclesiae cum ea, quam elegerunt, perversitate discedant" (Ep. 162, c. 2; *M.* 54, 1144). Quare ad Marcianum imperatorem scribit: „Synodus ephesina Nestorium cum dogmate suo merito iusteque damnavit, et quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem remedii pertinere. . . . Quae olim maiorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari illudque potius iubeatis, ut antiquae nicaenae synodi constituta remota haeticorum interpretatione permanent" (Ep. 90; *M.* 54, 933 sq.). *S. Greg. M.*: „Sicut sancti evangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere et venerari me fateor: nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error vincitur, ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur, chalcedonense vero, in quo Eutythis Dioscorique pravitas reprobat, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctae fidei structura consurgit, et cuiuslibet vitae et actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium iacet. Quintum quoque concilium pariter veneror. . . . Cunctas vero, quas praefata veneranda concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector, quia, dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit" (l. 1 ep. 25; *M.* 77, 478). Alia apud *Bellarminum*, De conc. 2, 3.

443. *Eandem persuasionem ipsa concilia semper de sua infallibilitate habuerunt; alioquin non potuissent anathema dicere et damnare eos, qui definitiones suas non recipere. Hoc autem fecerunt concilia inde a primo nicaeno, quod de arianis dicit: Τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία* (*Denz.* n. 54), usque ad nostra tempora (cf. ib. 113 sqq. etc.). Quod enim apostoli de suo conventu ierosolymitano dixerunt: „Visum est Spiritui Sancto et nobis" (Act. 15, 28), idem concilia de se sentiebant, Christi et Spiritus Sancti assistentiam sibi numquam deesse. Ita e.g. Patres concilii chalcedonensis aiunt: „Caelestem sponsum inter nos cernere putabamus epulantem. Si enim, ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ipsius, ibi se ait esse in medio eorum (Matth. 18, 20), quantam circa quingentos viginti sacerdotes familiaritatem monstrabit" (inter *Leonis M.* Ep. 98, c. 1; *M.* 54, 959). Sine dubio Christus et Spiritus Sanctus, si concilia oecumenica reliquissent,

ipsam ecclesiam reliquissent, quae semper conciliorum definitiones ut veram Christi doctrinam summa veneratione amplexa est.

444. *Obiectiones, quae ab adversariis contra hanc doctrinam moventur, non sunt magni momenti. Afferunt enim verba S. Gregorii Naz.: „Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit"* (Ep. 130 ad Procop.; *M.* 37, 226). At sufficit recordari, de quibus conciliis Gregorius loquatur, ut verba eius statim intellegantur. Nam post concilium nicaenum multi conventus facti sunt, in quibus episcopi ariani et semiariani vel vi vel fraude conabantur veram fidem a concilio nicaeno definitam pervertere et contra catholicos episcopos machinari. Quo pertinent conventus seleuciensis, tyrensis, ariminensis, mediolanensis etc. Hos igitur conventus respiciens S. Gregorius invitationem imperatoris ad novam synodum declinabat. Nam cum propter imperatorum haeticis faventium interventum legitimum concilium convocari non posset, id quod etiam S. Basilius testatur in epistula ad Athanasium, recte S. Gregorius nihil boni ab illis conventibus exspectabat.

445. *Alia obiectio petitur ex verbis S. Augustini dicentis: „Ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedunt; ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat"* (De bapt. 2, 3, n. 4; *M.* 43, 128). Ut haec verba recte intellegantur, memoria tenendum est ante Augustini mortem duo tantum oecumenica concilia habita esse, nicaenum primum (325) et constantinopolitanum primum (381), nisi tertium velis computare sardicense (343). Iam sardicense nihil de fide definivit, sed solum statuit omnino sufficere symbolum nicaenum; ideo hoc concilium communiter non computatur ut secundum, sed consideratur ut continuatio et confirmatio concilii nicaeni. Concilium vero constantinopolitanum non revocavit aut correxit ullam doctrinam nicaeni, sed illam confirmavit et simul diserte divinitatem Spiritus Sancti contra macedonianos definivit. Itaque Augustinus, si hoc concilium respexit, emendationem nihil aliud intellexit nisi magis explicitam definitionem; quo sensu utique posteriora concilia convocantur, ut priora emendent, i. e. ea, quae antea dubia relicta erant, explicent. Sed quia dicit saepe emendationes fieri, videtur potius prae oculis habuisse illos conventus, de quibus iam diximus (n. 444), qui eatenus recte vocantur concilia plenaria, quia ad ea multi episcopi non ex una tantum provincia sed ex orientali et occidentali ecclesia conveniebant (cf. infra n. 460). Ex his autem conciliis posteriora revera congregata sunt ad emendanda priora, donec tandem omnes formulae falsae et ambiguae remotae essent. Cf. *Codex iur. can.*, can. 281 sq.



Alias obiectiones vide apud *Bellarminum*, De conc. 2, 7 8, qui ostendit errores, qui conciliis obiciuntur ab adversariis, aut non esse errores aut commissos esse ab iis synodis, quae non erant oecumenicae. Synodos enim non oecumenicas errare posse omnes catholici admittunt, ut e. g. constat de synodo carthaginensi, quae habita est sub Cypriano ab episcopis africanis in causa rebaptizandorum haereticorum. Unde hic iam oritur quaestio, quid requiratur, ut concilium sit oecumenicum.

*Pars II. Quid requiratur, ut concilium sit oecumenicum.*

446. *Ut concilium sit oecumenicum, non requiritur, ut ad unum omnes episcopi orbis terrarum (τῆς οἰκουμένης) conveniant.* Neque enim supponendum est Christum ita tantum velle magisterium ecclesiasticum esse infallibile, si omnes nullo excepto suffragium ferant, quia hoc modo praerogativa infallibilitatis plerumque evadet inutilis, cum vix non semper aliqui inter tot homines impediuntur morbis vel aliis impedimentis. Ex altera vero parte haec physica universalitas non est necessaria ad finem concilii. Episcopi enim non conveniunt, ut ingenio suo novas res excogitent, sed ut testes sint doctrinae a Christo acceptae et per ecclesiam traditae. Ergo si tot episcopi conveniunt, ut moraliter adsit totum magisterium ecclesiasticum et per eos ut repraesentantes testimonium reddat, eo ipso constat de sensu totius ecclesiae et consequenter de vera doctrina Christi (de conceptu repraesentationis cf. *Denz.* n. 657 1502 sq. 1510).

Si quaeritur, *quot episcopi convenire debeant*, ut possint censi repraesentare totam ecclesiam docentem, recte respondet *Bellarminus*, „non posse istam quaestionem solvi melius quam ex consuetudine ecclesiae, ex iis conciliis, quae omnium consensu generalia fuerunt, qualia sunt quattuor prima“ (De conc. 1, 17). In primo concilio nicaeno aderant episcopi 318, plerique orientales; nomine Sylvestri papae aderant Vito et Vincentius presbyteri, ex Hispania Hosius, ex Africa Caecilianus, ex Calabria Marcus, ex Dalmatia Bunius, ex Pannonia Domnus, ex Gallia Nicasius, aliique pauci episcopi occidentales (*Hardouin* I 312 320). In concilio constantinopolitano primo vix unus alterve occidentalis fuit (ib. 818). Idem valet de concilio ephesino. In concilio chalcedonensi soli legati Leonis papae ex occidente aderant: episcopi tamen Galliarum consensum suum scriptis ad Leonem litteris manifestarunt (*Leonis* Ep. 102; *M* 54, 985). Iam evidens est has synodos, si numerus tantum episcoporum ex variis regionibus praesentium respiciatur, non posse omnes dici universales. Cum nihilominus ab ecclesia, quae hac in re non potest incidere in errorem, inter universalia concilia recenseantur, videndum est, quotuplici sensu possit concilium vocari universale. Ad hoc autem intellegendum distinguenda sunt conciliorum convocatio, celebratio, confirmatio.

447. *Quod ad convocationem attinet, ea synodus est universalis, ad quam omnes episcopi iurisdictionem habentes invitantur.* Nam si episcopi

alicuius provinciae tantum vel nationis convocantur, ut alii non possint suo iure accedere, habetur synodus provincialis vel nationalis, non vero oecumenica. Non tamen necessario singuli datis litteris vel alio modo invitandi sunt, sed sufficit, ut invitatio universalis eo modo promulgetur, ut omnibus innotescere possit. Si per accidens ad unum alterumve non pervenit, hoc non obstat, quia a talibus accidentibus, quae evitari vix possunt, exercitium magisterii ecclesiastici pendere nequit. Itaque ut concilium iam ratione convocationis sit oecumenicum, ex toto orbe terrarum invitandi sunt episcopi, qui actu constituunt magisterium et regimen ecclesiasticum, i. e. omnes episcopi iurisdictionem propriam habentes (etiam nondum ordinati). Alii vero, qui iurisdictionem non habent, ut sunt episcopi titulares, iure suo invitandi non sunt, quia potestas docendi fluit ex iurisdictione, quare summus pontifex etiam illos vocare potest, qui non habent ordinem episcopalem, sicut in aliis quoque rebus iis iurisdictionem episcopalem concedere potest (*Suarez*, De fide disp. 11, sect. 1. *Canus*, De loc. theol. 5, 2).

448. *Ius convocandi est penes summum pontificem eumque solum*, quia nullus alius habet ius convocandi episcopos totius orbis iisque conferendi iurisdictionem in universam ecclesiam. Potest autem hoc negotium aliis demandari, ut e. g., quamdiu imperatores christiani aderant, his imperatoribus interdum demandatum est, ut eo efficacius convocatio fieret; potest etiam, si ab aliis negotium per fas vel nefas inchoatum est, pontifex postea consensum dare. Sed quamdiu consensum denegat, non potest concilium oecumenicum convocari, quotquot episcopi conveniunt, quia sine suo capite non existit magisterium a Christo constitutum.

449. *Quodsi obiciunt hoc de nonnullis conciliis oecumenicis non valere, dicendum est aut illa concilia non fuisse ab initio universalis, sed universalis facta esse ob sequentem acceptationem et approbationem, aut, si ab initio erant universalis, sufficientem convocationem ex parte summi pontificis numquam defuisse.* Ad priorem classem pertinet e. g. *constantinopolitanum I*, quod evectum est ad dignitatem universalis concilii propter sequentem approbationem Damasi papae et consensum episcoporum occidentalium, sed solum quod attinet ad partem dogmaticam, non canones disciplinares (cf. *Hefele*, *Konzilien-geschichte* II 30 sqq.). Ad alteram classem pertinet *concilium chalcedonense*. Hoc quidem concilium a Marciano imperatore convocatum est. At iam saepius *Leo M.* papa rogaverat, ut convocaretur. Ita in epistula ad Theodosium imperatorem: „Omnes partium nostrarum ecclesiae, omnes mansuetudini vestrae cum gemitibus et lacrimis supplicant sacerdotes, ut . . . generalem synodum iubeatis intra Italiam celebrari“ (Ep. 44, c. 3; *M* 54, 826). Quod votum saepius repetivit (cf. Ep. 45, c. 2; 54 55 56 57 58). Theodosio mortuo Marcianus successit, qui mox ad Leonem scripsit se eius desiderio consentire, „quatenus omni

impio errore sublato per celebrandam synodum te auctore (σοῦ αὐθεντοῦντος) maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicae fiat\* (Ep. 73; M 54, 899). Similiter S. Pulcheria Augusta ad S. Leonem scribit se desiderare, ut concilium convocetur, ut episcopi „sicut fides et christiana pietas exigit, te auctore (σοῦ αὐθεντοῦντος) decernant“ (Ep. 77; M 54, 907). In eadem epistula imperatrix et in praecedente (Ep. 76; M 54, 903) imperator Leonem rogaverant, ut, si fieri posset, ipse veniret, ut eo praesente facilius et securius omnia componerentur. At S. Leo interim scribebat ad imperatorem: „Synodum fieri, ut meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes provinciarum omnium congregari praesentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illae provinciae, de quibus maxime sunt evocandi, inquietatae bello ab ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempore, propitiante Domino, cum firmior fuerit restituta securitas, iubeat vestra clementia reservari“ (Ep. 83, c. 2; M 54, 920). Sed antequam haec epistula ad Marcianum pervenisset, hic iam indicaverat concilium, provocans ad litteras S. Leonis. Dolebat quidem Leo, quod ita factum erat, cum melius videretur differri concilium ad opportunius tempus, „ut evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus vere possit esse universale concilium“ (Ep. 89; M 54, 930), sed post factum consentiebat: „Quia vos amore catholicae fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem et coepiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quae videtur esse securior, evocatum, qui vicem praesentiae meae possit implere, direxi“ (ib.).

Ex his dictis Leonis duo apparent: a) secundum eius mentem ad oecumenicum concilium ex omnibus provinciis convocandos esse episcopos; b) falsum esse, quod nonnulli volunt, convocationem concilii chalcedonensis factam esse independentem a summo pontifice, immo contra eius voluntatem, et nihilominus concilium semper habitum esse universale (cf. Zeitschrift für kath. Theol., Innsbruck 1885, 67 sqq.; 1903, 1 sqq.). Ipse Leo ait in epistula ad Patres concilii chalcedonensis: „Generale concilium et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae sedis placuit congregari“ (Ep. 114, c. 1; M 54, 1029). De modo, quo convocata sint prima concilia, agitur in historia ecclesiastica. Hic notandum est argumentum ex silentio solo non esse magnae efficaciae, neque ullam explicationem posse esse veram, quae cum primatu summi pontificis pugnet.

Diligentissime hanc quaestionem de convocatione conciliorum pertractavit C. A. Kneller (Zeitschrift für kath. Theol. 1903, 1 sqq. 391 sqq.; 1904, 58 sqq. 519 sqq. 699 sqq.; 1906, 1 sqq. 408 sqq.; 1907, 51 sqq.). Contra quem scripsit F. X. Funk (Abhandlungen und Untersuchungen III 143 sqq. 406 sqq.). Conclusionem ex ista disputatione Kneller colligit hoc modo: Funk quattuor theses proponit: 1. Imperatores veteres reapse omnia concilia orientalia convocarunt. 2. Adscripserunt sibi

ius huius convocationis. 3. Hoc ius imperatores ita exercuerunt, ut stricte loquendo pontifices romani nullas activas partes in hac convocatione habuerint. 4. Prima octo universalis concilia ratione convocationis non fuerunt universalis, sed imperialis (Reichssynoden). — Kneller concedit theses primam et secundam; thesim quartam censet historice non probari, theologice non requiri. Thesim vero tertiam reicit et ait etiam ab antiquis christianis ius imperiale convocandi synodos iudicatum esse dependens ab auctoritate ecclesiastica (l. c. 1908, 75 sqq.). Obiectiones Funkii singulas discutit (ib. 80 sqq.). Cum quaestiones illae potius sint historicae quam dogmaticae, haec indicasse satis fuerit.

450. In celebratione concilii non debent necessario omnes episcopi convocati adesse, sed ad eius universalitatem sufficit, ut totus orbis catholicus vere repraesentetur. Ut autem magisterium a Christo institutum adsit, debet ei praeesse caput eius, summus pontifex, sive per se sive per legatos suos. Ita in nicaeno nomine pontificis praesidebant Hosius, Vito, Vincentius<sup>1</sup>; in ephesino Cyrillus Alex., Arcadius, Proiectus, Philippus. De chalcedonensi scribit Leo ad Marcianum: „Nec me quoque, ut voluit vestra clementia, ab illo credatis abesse concilio, cum in his fratribus, quos direxi, i. e. Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifatio et Basilio presbyteris, sed et in fratre meo Iuliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit aestimanda praesentia“ (Ep. 90, 2; M 54, 934). At quia summus pontifex non potest suam auctoritatem cum aliis communicare, eatenus tantum legati eum repraesentant, quatenus eius instructiones sequuntur, non in iis, quae fortasse suo Marte faciunt (cf. Mazzella, De eccl. n. 1028). Imperatores si interdum conciliis intererant, habebant ex indulto aliquem primatum honoris, non vero ullam iurisdictionem ecclesiasticam, ut scribit chalcedonense ad S. Leonem: „Quibus [episcopis] tamquam caput membrum praepositus eras per eos, qui tuam continent vicem, rectum consilium demonstrans. Principes autem fideles ad ornatum praesidebant“ (inter Ep. Leonis 98, 1; M 54, 959). Alia apud Bellarm., De conc. 1, 19; Palmieri, De Rom. Pontif. 670 sqq.; Ottiger, Theologia fundam. II 719 sqq.

451. Sicut episcopi non debent necessario omnes ad concilium venire, ita non debent necessario omnes, qui convenerunt, unanimiter consentire, ut concilii definitio sit infallibilis. Nam cum singuli episcopi non sint infallibiles, potest accidere, ut inter eos diversae sint sententiae. Dicendumne fortasse est in hoc casu non posse fieri definitionem? At haec saepe necessaria est, ut in causa arianorum et nestorianorum, ubi agebatur de fundamentali dogmate religionis christianae. Si in tali re ecclesia ignoraret, quae esset vera doctrina Christi, iam victa esset a potestatibus adversis et a Christo derelicta,

<sup>1</sup> Cf. Stimmen aus Maria-Laach LXXVII (1909) 503 sqq.

id quod fieri nequit. Ergo etiam in diversitate opinionum concilium debet ferre posse sententiam. Quenam igitur ex oppositis partibus censenda est docere verum? Sine dubio ea, quaecum stat summus pontifex; nam ibi est infallibile magisterium, ubi est collegium apostolicum cum suo capite Petro; et pastor debet regere oves, non oves pastorem. Hoc indicant Patres concilii septimi, qui dicunt in synodo sexta patriarchas alexandrinum, antiochenum, ierosolymitanum non adfuisse, „sed nullum ex hoc sanctae adhaesit synodo praeiudicium . . . praecipue cum sanctissimus et apostolicus papa romanus concordaverit et in ea inventus sit per apocrisarios suos“ (Mansi XII 1133).

452. *Dissentientes episcopi in multis conciliis adfuerunt.* In concilio nicaeno Secundus et Theonas episcopi noluerunt subscribere, eusebiani subscripserunt quidem, at solo metu imperatoris, quare postea priorem errorem iterum docuerunt (Hefele, Konziliengeschichte I 317). In concilio constantinopolitano I triginta sex macedoniani obstinati discesserunt; a nihilominus vera fides definita et ab ecclesia acceptata est (Socrates, H. E. 5, 8; M 67, 175). Ut autem ex recentioribus temporibus exemplum afferatur: in concilio tridentino ob rationes dogmaticas plus 50 patribus decretum de invaliditate matrimoniorum clandestinorum displicuit, „sed subsecuta comprobatio romani pontificis, cui omnes legati et complures ex patribus adversantibus se remiserant, dubitationem omnem sustulit“ (Pallav., Hist. conc. trid. 23, 9, 5; cf. 6, 11, 8; 6, 16, 4; 16, 4, 19). In concilio vaticano, quando agebatur de definienda infallibilitate summi pontificis, non solum duo episcopi respondebant: „Non placet“, sed antea iam 88 idem votum dederant, et 55 scribebant ad summum pontificem se non interfuturos publicae sessioni, ne deberent „palam et in facie patris dicere: Non placet“ (Coll. Lac. VII 487 994). Nihilominus definitio facta et etiam ab episcopis prius dissentientibus tamquam vera definitio concilii oecumenici acceptata est (ib. VII 955 sq.). Itaque haec quaestio nunc soluta est, si unquam res dubia fuit; at revera non fuit, ut constat ex unanimi doctrina priorum theologorum, qui definitionem validam esse censebant, etiamsi minor tantum pars episcoporum cum summo pontifice consensisset (cf. Canus, De loc. theol. 5, 5, 9 sq.; Bellarm., De conc. 1, 18; Benedict. XIV, De syn. 13, 2, 3; „Der Katholik“ 1871 I 149).

453. *Obiciunt, et in ipso concilio vaticano quattuor episcopi* (Coll. Lac. VII 974 sq.) obiecerunt, verba Vincentii Lirinensis: „In ipsa catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est“ (Commonit. 1, 2; M 50, 640). At mirum est, quomodo, qui verba in contextu legerit, ad ea in nostra quaestione appellare possit. Dicit enim Vincentius non esse audiendos haereticos, qui contra id, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, novas doctrinas conentur invehere. Statuit igitur normam

positivam: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, id verum est; non vero normam exclusivam: Hoc solum est verum. Id patet magis ex sequentibus eius verbis. Ait enim: Quamdiu omnes idem sentiunt, sequamur universitatem; si diversae opiniones oriuntur, sequamur antiquitatem; si inter ipsos antiquos sunt diversae sententiae, „paucorum temeritati vel inscientiae universalis ecclesiae decreta praeponat“; si nullum decretum existit, adeat „probabiles magistros“, et quidquid communiter tenent, sequatur. Itaque obiectio ex verbis Vincentii petita non est ad rem (cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit I, n. 44).

454. Porro *concilium in formandis definitionibus non adstringitur ulli certae formulae verborum*, quae nisi adhiberetur, sententiae non essent definitivae; sed sufficit quilibet modus loquendi, quo citra rationabilem dubitationem significat aliquid esse credendum vel reiiciendum. Hoc quidem per se evidens est, quia neque Christus tali conditioni subiecit exercitium infallibilis magisterii ecclesiastici, neque natura rei tale quid postulat. Nihilominus haec res est notanda, quia nonnulli dubitaverunt, *utrum soli canones concilii tridentini continerent doctrinam definitam an etiam capita*; nec defuerunt, qui censerent solis canonibus proponi iudicia peremptoria. Quam opinionem Scheeben vocat absurdam (Dogmatik I, l. 1, n. 562), Kleutgen plane arbitrariam, ipso modo procedendi conciliorum manifeste refutatam (Theol. der Vorzeit I, n. 50), omnes theologi hodie ut falsam reiiciunt. Pugnat enim cum factis indubitatis. Nam non solum in cotidiano exercitio magisterii, in quo etiam est infallibilis, ecclesia nullo anathemate utitur, sed etiam in multis et sollemnibus definitionibus, quae ab omnibus ut tales agnoscuntur, haec forma non est servata. Symbolum nicaeno-constantinopolitanum est sine dubio definitio, quamvis, sicut generatim symbola, nullum anathema additum habeat. Numquid non debemus credere doctrinam symbolorum, et quidem propter ipsa symbola? Idem valet de epistula dogmatica Leonis papae, recepta a synodo chalcedonensi (Denz. n. 143 sq.), idem de epistula dogmatica Agathonis papae, recepta a synodo sexta (Denz. n. 288), idem de decretis concilii florentini (Denz. n. 691 sq.) etc. Ergo cum ecclesia diversis formulis usa sit in definitionibus suis, mirum est, quomodo potuerit nonnullis theologis in mentem venire in concilio tridentino solos canones habere valorem dogmaticum. Potius dicendum est existere canones, qui non contineant dogmata (Denz. n. 935 953 954), et adesse capita, quae contineant dogmaticas definitiones. Neque ullius momenti est, quod in concilio tridentino nonnulli theologi dicuntur rogasse, ut declararetur certa quaedam capita non continere definitiones. Concilium enim mentem definiendi doctrinam catholicam in ipsis quoque capitibus diserte declaravit. Ita legimus in prooemio decreti de iustificatione (sess. 6): Synodus „exponere intendit omnibus Christifidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam sol iustitiae Christus Iesus, fidei

nostrae auctor et consummator, docuit, apostoli tradiderunt et catholica ecclesia Spiritu Sancto suggerente perpetuo retinuit, districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur. Ergo credere debemus, quae decreto proponuntur. In fine decreti idem repetitur: „Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant“ (Denz. n. 810). Ergo decreta docent, quid tenendum, canones, quid fugiendum sit. Item in prooemio decreti de s. eucharistia (sess. 13, quod deest apud Denz.): „Sacrosancta synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica ecclesia ab ipso Iesu Christo D. N. et eius apostolis erudita atque a Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta retinuit et ad finem usque saeculi conservabit, omnibus Christifidelibus interdicat, ne posthac de s. eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum et definitum.“ Post decretum sequitur similis declaratio atque supra (Denz. n. 882). Initio sess. 14 dicit se velle de sacramento poenitentiae „exactiorem et pleniorum definitionem tradere, in qua catholica veritas perspicua et illustris fieret“ (deest apud Denz.); concludit vero rursus simili declaratione (Denz. n. 910). Eodem modo loquitur in sessionibus 21 22 23. Haec autem clarius, quam ullis aliis verbis etiam anathemate apposito fieri potest, ostendunt concilium voluisse in illis capitibus dogmaticas definitiones proponere. Itaque dicendum est concilium tum definire ut supremum magisterium, cum hoc perspicuis verbis significat. Mens enim concilii, sicut cuiuslibet iudicis, principaliter ex verbis perspicuis sententiae latae discenda est. Ideo theologi communiter docent argumenta, obiter dicta similiaque alia, quae in actis conciliorum occurrunt, non esse infallibiles definitiones; nam argumentari et aliquid obiter dicere non est auctoritative definire.

Audiatur e. g. Bellarminus (De conciliis l. 2, c. 12, „Quartum est“): „In conciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes, quae praemittuntur, neque rationes, quae adduntur, neque ea, quae ad explicandum et illustrandum afferuntur, sed tantum ipsa nuda decreta, et ea non omnia, sed tantum quae proponuntur tamquam de fide. Interdum enim concilia aliquid definiunt non ut certum sed ut probabile, ut concilium viennense, quod decrevit tenendum ut probabilius infantibus in baptismo infundi gratiam et virtutes, ut habetur Clementina una de summa Trinitate et fide catholica. Quando autem decretum proponatur tamquam de fide, facile cognoscitur ex verbis concilii. Semper enim dicere solent se explicare fidem catholicam, vel haereticos habendos, qui contrarium sentiunt, vel, quod est communissimum, dicunt anathema et ab ecclesia excludunt

eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non est certum rem esse de fide. Denique in ipsis decretis de fide non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet; non enim est haereticum dicere in canonibus conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum aut non recte positum, nisi forte de ipso verbo sit decretum formatum, ut cum in concilio nicaeno decreverunt recipiendam vocem *ὁμοούσιον* et in ephesino vocem *θεοτόκον*.“ (Cf. *Wilmers*, De Christi ecclesia 394 sqq.)

455. Tandem confirmatio concilii a summo pontifice fieri debet, quia episcopi docentes sine suo capite non sunt illud magisterium, cui Christus infallibilitatem promisit. De synodo II iam dictum est (n. 449): synodus III scripsit ad Coelestinum papam, ut eius consensum impetraret (*Hardouin* I 1503). In concilio IV S. Leo ea, quae fidem spectabant, iam per epistolam et legatos suos satis declaraverat; quoad alia vero (can. 28 de praerogativa sedis constantinopolitanae) synodus confirmationem quidem pontificis rogavit (Ep. 98, c. 4; *M* 54, 962), at non impetravit (Ep. 105, c. 3; *M* 54, 1000). Quare canon 28 numquam vim obtinuit (cf. infra n. 504; *Bellarmin.*, De conc. 2, 11; *Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck 1885, 86 sqq.). Alia apud *Mazzella*, De eccl. n. 1032.

456. Potest autem summus pontifex concilia multiplici modo confirmare: a) ferendo sententiam in ipso concilio, sive per se sive per litteras sive per legatos, qui determinatam pontificis sententiam deferre debent; b) postea addendo decretis concilii consequentem et disertam confirmationem; c) simpliciter recipiendo et promulgando acta concilii (cf. *Mazzella* l. c. n. 1033; *Bellarmin.* l. c.: „Der Katholik“ 1893 I 38 112 249 385 511).

Ex confirmatione summi pontificis possunt etiam decreta concilii, quod per se non fuit universale, recipere vim obligandi pro universa ecclesia, ut dictum est de constantinopolitano I et valet de milevitano II et arausicano II, quae per consequentem acceptationem totius magisterii ecclesiastici et imprimis per confirmationem pontificis adeptae sunt dignitatem doctrinalem conciliorum universalium (Denz. ante n. 101 et 174).

457. Constat igitur, quando et quo sensu concilium sit oecumenicum. Concilium autem oecumenicum est infallibile per se, nullo modo ob consensum ecclesiae audientis, ut voluerunt iansenistae et febroniani et tempore concilii vaticani *Döllinger* (Coll. Lac. VII 1502 sqq.) et alii. Ecclesia enim audiens a Christo non est constituta ad docendum et iudicandum sed ad discendum et oboediendum. Propterea in concilio numquam vocabantur neque in eo suffragium habebant nisi qui pertinerent ad magisterium a Christo institutum; neque umquam putavit ecclesia audiens sibi licere iudicare de decretis conciliorum et

considerare, utrum recipienda essent necne, sed semper omnes, qui ea nolebant recipere, habebantur haeretici, id quod historia concilii vaticani denuo confirmatum est. Potest quidem ex fide ecclesiae audientis disci doctrina revelata, at solum tamquam ex subiecto passivo infallibilis magisterii, non tamquam ex subiecto activo infallibilitatis (cf. *Denz.* n. 1502 1510).

458. *Concilium est infallibile propter assistentiam Spiritus Sancti*, quam Christus ecclesiae promisit; ergo per donum supernaturale. Neque enim viri, licet docti et ingeniosi, naturaliter umquam eam habere possunt infallibilitatem in rebus moralibus et religiosis, ut omnes homines rationabiliter obligare possint ad suam doctrinam simpliciter et sine ulla dubitatione recipendam; ergo Christus, quia fidelibus talem obligationem erga magisterium ecclesiasticum imposuit, debuit huic magisterio dare talem infallibilitatem, qualis pro natura rerum hominibus competere non potest (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 168 sqq.).

Ex altera vero parte *magisterium ecclesiasticum non accipit novas revelationes* ut apostoli, sed debet conservare doctrinam traditam. Unde debet inquirere in ipsam traditionem, ut hoc modo cognoscat, quae sit doctrina apostolica. Ad hoc autem requiritur studium et inquisitio in documenta traditionis. Hoc igitur est elementum humanum et naturale, quod requiritur ad exercitium magisterii ecclesiastici. At non hoc studium humanum est fundamentum infallibilitatis et ratio, quae nos movet ad subiciendum intellectum nostrum, sed assistentia Spiritus Sancti, qui episcopos in illa inquisitione ita iuvat, ut verum inveniant, nec permittit, ut ad definitionem procedant, priusquam verum invenerunt. Itaque rationes scientificae, ob quas magisterium ecclesiasticum iudicat aliquam doctrinam contineri in traditione, habent solum rationem condicionis; ipsa vero causa infallibilitatis est assistentia Spiritus Sancti. Propterea concilium potest simpliciter doctrinam sequendam proponere nullis additis rationibus, ob quas illa definitio facta sit, quia non est necesse fidelibus in has rationes inquirere, sed debent legitimo magisterio se subicere. Sive igitur illae rationes fuerunt certae et indubiae sive probabiles, dummodo concilium definiat, definitio eius indubitanter recipienda est, quia Spiritus Sanctus non permittit definitionem nisi absolute veram, licet rationes, ob quas singuli episcopi in veritatem consenserint, fortasse non fuerint certae. Quare ecclesia non vult sibi credi, quantum argumenta a se forte prolata probant, sed quantum infallibilis auctoritas sua postulat.

Quod ad totum hunc tractatum de conciliis attinet, cf. praeter doctores iam citatos *Phillips*, Kirchenr. II; *Hefele*, Konziliengesch. I, introduct.; *Das ökumenische Konzil*, Stimmen aus Maria-Laach 1870; *Palmieri* l. c. thes. 28, 666 sqq.

459. *Schol. 1. Quomodo definitiones conciliorum se habeant ad magisterium summi pontificis.*

1. Ex dictis patet *cooperationem summi pontificis esse absolute necessariam* ad celebrationem concilii universalis. Consequenter vacante sancta sede non potest celebrari concilium, quod ipsa actione sit universale; potest tamen concilium, quod eo tempore celebratur, posteriore confirmatione pontificis fieri universale.

2. Cum concilium possit esse duplici modo universale, a) quatenus repraesentantes totius ecclesiae docentes adsunt; b) quatenus habet *potestatem obligandi universam ecclesiam*, hanc alteram rationem, si cui concilio per se non insit, summus pontifex supplere potest, quia ipse per se solum totam ecclesiam obligare potest. Ex quo fit, ut concilia quoque provincialia a summo pontifice ita approbari possint, ut vim obligandi universam ecclesiam habeant et hac ratione (formaliter, non materialiter) evadant universalis (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 702 sq.). Non tamen omnia concilia, quae sic confirmata sunt, recensentur inter universalis, quia, ut dicantur *concilia universalis*, saltem aliqua maior sollemnitas requiritur.

3. Cum supposita doctrina de infallibilitate summi pontificis, quam postea probabimus, nullum sit essenziale discrimen inter definitionem pontificiam et definitionem conciliarem, dubitatio oritur, *quammam utilitatem habeant concilia oecumenica*. Respondeo imprimis omnes episcopos simul esse aptiores ad veritatem revelatam investigandam quam solum pontificem. Nam cum assistentia Spiritus Sancti non liberet ab onere inquirendi in traditionem, diligentia humana necessaria est, et quidem eo magis, quo res est difficilior. Ad hunc autem finem medium valde efficax est episcoporum totius orbis conventus ad rem inter se deliberandam. Secundo, ipsi episcopi pleniorum rerum fidei notitiam hauriunt et paratiorum fiunt ad dogmata proponenda et tuenda. Tertio vero, ipsum iudicium cum maiore sollemnitate fertur ab omnibus episcopis simul quam a solo pontifice et ex natura rei maiorem vim habet ad procurandam pacem et unitatem ecclesiae et ad adversarios profligandos, cum magis ad oculos demonstret sensum totius ecclesiae et perpetuitatem traditionis. Licet igitur non maior infallibilitas vel vis obligandi insit in definitione conciliari quam in definitione pontificia, est tamen in illa maius quoddam robur externum ex natura rei accrescens et impedimenta removens. Sic intellegendum est, quod interdum legimus apud veteres scriptores, sententiam pontificis confirmatam esse assensu concilii.

Sequitur *concilia oecumenica non esse absolute necessaria neque a Christo praescripta*, quandoquidem tribus prioribus saeculis nulla habita sunt, posse tamen esse secundum quid necessaria ad aliquam quaestionem melius investigandam et pacem ecclesiae efficacius procurandam.

Quae dicta sunt de potestate definiendi dogmata fidei, facile applicantur ad potestatem ferendi leges disciplinares pro tota ecclesia.

de qua re plura vide apud *Palmieri* l. c. 695 sqq., qui etiam solvit difficultatem, quae e sancto Augustino peti potest.

4. Inter omnes catholicos convenit *episcopos in conciliis esse iudices et veras ferre sententias* (cf. *Canus*, De loc. theol. 5, 5). Id tum quoque valet, cum agitur de re iam antea definita (cf. *Denz.* n. 288 sqq. 428 sqq. 877). Quod semel definitum est, non potest quidem iterum in dubium vocari, at potest nova sententia confirmari, ut res magis inculceatur et in clariore luce ponatur. „Ipsa quoque veritas et clarius renitescit et fortius retinetur, dum, quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas“ (*S. Leo*, Ep. 120, c. 1: *M* 54, 1048). Distinguitur ergo etiam hac in re auctoritas episcoporum ab auctoritate theologorum, quia illi auctoritative definiunt, hi vero non ex auctoritate iudicant neque sua sententia fideles obligare possunt.

5. At non ita concors est loquendi modus inter catholicos theologos, quod attinet ad quaestionem, *utrum unum an duplex subiectum magisterii infallibilis ecclesiastici admittendum sit*, seu utrum episcopi eatenus tantum sint infallibiles, quatenus infallibilitas summi pontificis in reliquos episcopos derivetur, an etiam collegio episcopali cum summo pontifice ut suo capite conveniat infallibilitas, quae sit independens ab infallibilitate summi pontificis ex cathedra loquentis. Priorem sententiam sequitur *Palmieri* (l. c. 637 sqq.), qui vult unum solum esse subiectum immediatum infallibilitatis, summum pontificem. Alteram sententiam sequuntur *Franzelin* (De Trad. et Script., ed. 3, 117), *Schneemann* (Die kirchl. Lehrgewalt 198 sq.), alii, qui admittunt duo subiecta infallibilitatis inadaequate distincta. Haec altera sententia videtur praefenda. Nam a) distinctae sunt promissiones infallibilitatis, quae dantur a Christo collegio apostolorum ut collegio, et quae dantur Petro ut primati. Unde sicut duplex adest subiectum promissionum, ita adest duplex subiectum infallibilitatis, non adaequate sed inadaequate distinctum, quia episcopi non sunt infallibiles, nisi in quantum sub suo primatu constituunt collegium apostolicum. Neque igitur considerandi sunt episcopi, ut opponuntur papae (quem considerandi modum proxime prae oculis habet *Palmieri*), sed ut coniuncti sunt cum papa. Sed sic consideratum hoc collegium esset infallibile, etiamsi summus pontifex non haberet per se infallibilitatem, sicut in cotidiano magisterio neque singuli episcopi neque summus pontifex separatim sunt infallibiles, sed episcopi simul sub suo capite, pontifice romano. Ergo falsum est argumentum tempore concilii vaticani a nonnullis prolatum: Nisi papa esset infallibilis, ne concilium quidem esset infallibile; nam concilium ideo est infallibile, quia papa in concilio definiens est infallibilis. In magisterio cotidiano, quando nulla fit definitio ex cathedra, collegium apostolicum, per orbem dispersum, est infallibile in proponenda et explicanda doctrina revelata,

ut statim videbimus. b) Cum nondum esset definita infallibilitas summi pontificis, immo a multis in dubium vocaretur, omnes tamen vere catholici pro certo habebant concilia oecumenica esse infallibilia. Itaque cum illa infallibilitas posset sine haeresi negari, haec non posset, videtur concludendum aliud esse subiectum illius infallibilitatis, aliud huius. c) Idem videtur effici ex doctrina *concilii vaticani*. Docet enim (sess. 4, c. 4) summum pontificem „ea infallibilitate pollere, qua divinus redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit“ (*Denz.* n. 1839). Comparatur igitur infallibilitas pontificis ex cathedra definiens cum infallibilitate ecclesiae (collegii episcopalis) definiens: haec supponitur et ut terminus comparationis assumitur; illa formaliter declaratur et illustratur. Si autem solus summus pontifex in ecclesia definiens per se esset infallibilis, idem per idem declararetur: Pontifex definiens ea infallibilitate pollet, qua pontifex definiens pollet. d) Tandem adde, quod illud simplex „Placet“ summi pontificis, quod solum requiritur, cum ipse praesens est in concilio, vix apte dici potest semper esse definitio cathedralis; et quod in nostra sententia melius intellegitur, quomodo episcopi sint veri iudices fidei et uti potuerint illa formula antiquis consueta: „Definiens subscripsi“ (cf. *Hefele*, Konziliengeschichte I 18 sqq.)<sup>1</sup>.

Ergo haec sententia nequaquam eadem est atque illa, quam *Palmieri* de industria impugnat, scilicet episcopos esse infallibiles etiam sine summo pontifice, id quod falsum esse concedimus, licet addendum sit non posse in ecclesia fieri, ut (moraliter) omnes episcopi stent pro una sententia et solus summus pontifex pro opposita. Unde e communi consensu episcoporum concludi potest, quid summus pontifex sentiat, et ita ex unanimi doctrina omnium episcoporum in concilio cognosci potest veritas, etiam ante confirmationem pontificiam, licet sententia episcoporum sine hac confirmatione nondum sit sententia definitiva et obligatoria. Aliud enim est talem consensum esse medium cognoscendae veritatis, et aliud eum esse legem obligantem.

6. Ut difficultas in doctrina infallibilitatis vitetur, notandum est *infallibilitatem non esse donum inhaerens per modum habitus*, sed esse

<sup>1</sup> Proponit quidem *Straub* (De ecclesia Christi II 1062) contra hanc sententiam quasdam obiectiones, sed adeo debiles, ut vix immorari iis opus sit; nam confundit haec duo: collegium episcoporum non habere infallibilitatem independentem a romano pontifice, et collegii sub romano pontifice constituti infallibilitatem derivari ab infallibilitate romani pontificis per se sumpti. Propterea proponit illam sententiam tamquam obiectionem contra infallibilitatem summi pontificis, quam sententia nostra omnino intactam relinquit. In concilio vaticano episcopus *Gasser*, loquens de infallibilitate decretorum concilii universalis confirmati a papa, ait: „Causa huius rei non ea est, quae ex hoc ambone aliquoties, dolens dico, indicata fuit, ac si omnis infallibilitas ecclesiae sit sita in solo papa, et a papa derivetur in ecclesiam et illi communicetur. . . . Vera ratio . . . ex eo repetenda est, quod Christus hanc infallibilitatem toti ecclesiae magisterio, i. e. apostolis simul cum Petro promiserit“ (Collect. Lac. VII 403).

externam assistentiam Spiritus Sancti, quam Christus ex una parte apostolis omnibus et eorum successoribus ut collegio organizato, et ex altera parte S. Petro et eius successoribus per se sumptis promisit. Itaque infallibilitas concilii non est ita concipienda, quasi habitus infallibilitatis insit in solo pontifice, et vi huius habitus a pontifice doctrina, de qua agitur, transferatur e statu fallibilitatis in statum infallibilitatis, et ita episcopi pontifici adhaerentes etiam ipsi sint infallibiles. Potius ita res se habet: Christus infallibilitatem promisit toti collegio, i. e. promisit se cauturum, ne hoc collegium doctrinam falsam ecclesiae proponeret. Episcopi per se non sunt totum illud collegium, cui haec promissio Christi facta est, sed pars; ergo non sunt totale subiectum infallibilitatis, sed partiale. Si accedit caput ad hoc collegium, iam habetur totale subiectum. Quia tamen infallibilitas non efficitur per novam revelationem, Spiritus Sanctus episcopos ita in investigando vero dirigit, ut ex iis simul cum pontifice existat illud collegium, quod infallibiliter docet verum. Ideo fieri nequit, ut, ubi agitur de definitione facienda, omnes episcopi sentiant aliter quam pontifex, quia secus iam cessasset illud collegium, cui promissio infallibilitatis facta est.

**460. Schol. 2.** Nomina concilii et synodi saepissime promiscue usurpantur. Iam Tertullianus ait: „Aguntur per Graecias illa certis in locis concilia ex universis ecclesiis, per quae et altiora quaeque in commune tractantur, et ipsa repraesentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur“ (De ieiun. c. 13; M 2, 972). In canonibus apost. c. 38 occurrit *σύνδος τῶν ἐπισκόπων*.

Praeter concilia universalis (generalis, oecumenica) distinguuntur concilia plenaria et provincialia. Synodus vero dioecesis non vocatur concilium, quia, quamvis multi conveniant, tamen non conciliariter sententia fertur, sed solus episcopus in ea habet ius sententiae, alii vero solum conveniunt ad episcopi instructiones accipiendas.

Non quilibet conventus episcoporum sunt concilia, sed ad haec certae formalitates et sollemnitates requiruntur. Quidquid in aliis conventibus episcoporum constitutum est, eatenus tantum in singulis dioecesibus vim obligandi habet, quatenus ibidem per episcopum proprium promulgatur.

De conciliis et synodis haec statuuntur in *codice iuris canonici*:

a) *De oecumenico concilio*: Can. 222, § 1. „Dari nequit oecumenicum concilium, quod a romano pontifice non fuerit convocatum.“ § 2. „Eiusdem romani pontificis est oecumenico concilio vel per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare.“

Can. 227. „Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a romano pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata.“

Can. 228, § 1. „Concilium oecumenicum suprema pollet in universam ecclesiam potestate.“ § 2. „A sententia romani pontificis non datur ad concilium oecumenicum appellatio.“

Can. 229. „Si contingat romanum pontificem, durante concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus pontifex illud resumere et continuari iusserit.“

b) *De conciliis plenariis et provincialibus*: Can. 281. „Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in concilium plenarium convenire possunt, petita tamen venia a romano pontifice, qui suum legatum designat ad concilium convocandum eique praesidendum.“

Can. 283. „In singulis provinciis ecclesiasticis celebretur provinciale concilium vicesimo saltem quoque anno.“

Can. 291, § 1. Absoluto concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad sanctam sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a sacra congregatione concilii expensa et recognita fuerint; ipsimet autem concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus, quo decreta promulgata obligare incipiant.“

§ 2. „Decreta concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo, nec ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.“

c) *De synodo dioecesis*: Can. 356, § 1. „In singulis dioecesibus celebranda est decimo saltem quoque anno dioecesis synodus, in qua de iis tantum agendum, quae ad particulares cleri populiue dioecesis necessitates vel utilitates referuntur.“

Can. 362. „Unicus est in synodo legislator episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus; unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus; quae si in synodo promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.“

**Prop. XLIV.** Magisterium ecclesiasticum, etsi non in concilium collectum sed dispersum per orbem terrarum, infallibile est in proponenda doctrina Christi.

**461.** Christus ecclesiae suae infallibilitatem eo modo promisit, ut eam non redderet dependentem e determinata ratione doctrinam investigandi et proponendi; neque enim dixit: Ecce ego vobiscum sum, ego mittam vobis Spiritum Sanctum in concilium collectis; sed *infallibilitas simpliciter et sine ulla restrictione promissa est*. Immo quia dixit se adfuturum ecclesiae „omnibus diebus“, non autem omni die concilia haberi possunt, evidens est promissionem Christi pertinere ad extraconciliarem quoque doctrinam. Hoc natura et finis ecclesiae postulant, ut non in extraordinariis tantum condicionibus, sed in ordinario statu sit infallibilis, quia semper debet homines ad agnitionem veritatis adducere et intellectualem oboedientiam et fidem postulare et haereses arcere. Propterea ecclesia sibi semper ius attribuit de haeresibus definitive iudicandi extra concilium oecumenicum, ut constat de tribus

primis saeculis et de multis haeresiarchis posteriorum temporum (ut sunt Pelagius, Berengarius, Iansenius). Immo saepe haeretici contra suam damnationem ad concilium provocantes ab ecclesia reiecti sunt, quare iam *S. Augustinus* pelagianis dicit ad eorum damnationem nullum requiri concilium (Contra duas ep. Pelag. ad Bonifatium 4, 12, n. 34; *M* 44, 637).

**462.** *Consensus ecclesiae dispersae circa doctrinam potest multiplici modo apparere.* Est enim aut expressus aut tacitus. *Expressus consensus* potest iterum vario modo manifestari: a) eo quod episcopi decretum alicuius concilii particularis acceptant; b) eo quod episcopi sententiam, rogati a summo pontifice, promunt, qui modus proxime accedit ad actionem conciliarem (cf. ea, quae facta sunt ad praeparandam definitionem immaculatae conceptionis); c) eo quod exorta controversia episcopi doctrinam fidelibus suis proponunt; d) eo quod edi iubent vel approbant libros doctrinam continentes, ut sunt catechismi, libelli precatorii etc. Multo facilius etiam hic consensus circa aliquam doctrinam erui potest ex decretis conciliorum provincialium, quae in variis mundi partibus habita sunt. Quare collectiones horum conciliorum sunt insignes fontes theologici, ex quibus in multis quaestionibus efficacia argumenta hauriri possunt.

*Tacitus consensus* habetur, si episcopi sciunt doctrinam communiter tradi in suis dioecesibus, neque ei ullo modo se opponunt, id quod debent facere, si eam censent falsam. Quamvis enim in aliqua particula ecclesiae error ex prudenti dispensatione tolerari possit, hoc fieri non potest, si error coepit tam late serpere, ut, nisi ei resistatur, veritatem obruat (cf. *S. August.*, Ep. 55, c. 19, n. 35; *M* 33, 221; *Canus*, De loc. theol. 5, 4, concl. 6).

**463.** Ceterum non solum ubi agitur de definitionibus plus minusve formalibus, ecclesia dispersa est infallibilis sed etiam *in cotidiano exercitio magisterii ecclesiastici*: in contionibus aliisque instructionibus, quae ad populum habentur. Si enim aliquando fieret, ut ubique populo christiano proponeretur doctrina verae doctrinae Christi opposita, ecclesia in errorem incidisset, id quod est impossibile. Ecclesia enim praecipue in cotidiano magisterio implet praeceptum Christi: „Euntes docete omnes gentes“; ergo Christus praecipue in hoc magisterio verificare debet promissionem suam: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“ Quare *Pius IX* d. 21 dec. 1863 ad archiepiscopum monachiensem scribit: „Etiam si ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum et romanorum pontificum huiusque apostolicae sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus

revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur“ (*Denz.* n. 1683). *Concilium vaticanum* definiit: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab ecclesia sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur“ (sess. 3, cap. 3; *Denz.* n. 1792).

Iam supra, ubi de perpetuitate magisterii ecclesiastici, de hierarchia ecclesiastica, de apostolicitate ecclesiae sermo erat, ostensum est, quomodo SS. Patres semper efferrent consensum episcoporum, prout apparet in cotidiano exercitio magisterii, ut certissimum signum veritatis. E. g. *S. Ignatius M.*: „Anteverti vos admonere, ut uniamini in sententia Dei [in doctrina a Deo revelata]. Etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris est sententia, sicut et episcopi, per tractus terrae constituti, in Iesu Christi sententia sunt; unde oportet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis“ (Eph. 3, 2 sqq.). Episcopi enim habent „charisma veritatis certum“, ut ait *Irenaeus* (Adv. haer. 4, 26, 2; *M* 7, 1053). Lege *Franzelin*, De trad. thes. 8—11. Hic consensus ecclesiae docentis est traditio active spectata; doctrina vero hoc modo tradita est traditio passive sumpta.

## ART. II. DE ROMANO PONTIFICE.

### Prop. XLV. Romanus pontifex est successor S. Petri in primatu.

**464.** Postquam probatum est Christum Dominum primatum instituisse eumque perennem esse voluisse, nullo negotio probatur primatus romani pontificis. Nam *aut romanus pontifex est primas, aut nemo est*; atqui aliquis debet esse primas; ergo romanus pontifex. Maior est evidens, quia nullus praeter romanum pontificem umquam in ecclesia agnitus est successor S. Petri in primatu.

**465.** Praeterea non solum *per multa saecula ecclesia, universa primatum romani pontificis agnovit*, sed etiam multa concilia inde ab ephesino usque ad vaticanum sollemni modo eandem rem definiverunt. Cum ecclesia in hoc fundamentali articulo non possit errare, sequitur romanum pontificem esse successorem S. Petri. Iuvat haec argumenta prae oculis habere, ut statim ab initio appareat, quam frustra laborent adversarii, qui historica argumenta, quae pro primatu e primis saeculis afferuntur, infirmare conantur, putantes ex his argumentis unice pendere veritatem huius doctrinae. Quod quam falsum sit, iam inde efficitur, quod multi theologii, qui speciales tractatus de romano pontifice scripserunt, ne inquirunt quidem in quaestionem, Romaene S. Petrus fuerit. Revera etsi hoc nullis historicis documentis probari posset, staret tamen immota doctrina de primatu romani pontificis, quia in



sola sede romana invenitur id, quod correspondet institutioni Christi<sup>1</sup>. Immo absolute fieri potuisset, ut S. Petrus nullam sibi sedem episcopalem eligeret, sed ante mortem suam indicaret tantum illam sedem, cui in posterum dignitas primatialis annexa esset. Ergo ad veritatem primatus romani probandam sufficit tria haec demonstrasse: a) Christum instituisse primatum, b) voluisse, ut primatus esset perennis in ecclesia, c) ecclesiam in sola sede romana primatum agnovisse. Duo priora supra probata sunt, tertium vero per tot saeculorum doctrinam et praxim probatur, ut ipsi adversarii concedant longe ultra mille annos ecclesiam semper agnovisse primatum romanum, et ut nullum tempus indicare possint, quo primo haec persuasio orta sit. Ergo per se recte agunt illi theologi, qui hoc argumento contenti sunt ad probandum primatum romanum, ut e. g. *Palmieri* (De Rom. Pontif. 398 sqq.). Cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 805 sqq.

Quamvis autem, si solus finis dogmaticus spectatur, quaestiones de variis factis, quae ad hanc rem pertinent, tuto relinqui possint historiae ecclesiasticae, iuverit tamen hoc quoque loco brevem quandam conspectum testimoniorum dare inde a primo saeculo usque ad ea tempora, quibus omnibus consentientibus traditio firma et universalis aderat. Ut autem facilius tota haec res aspectui subiciatur et magis appareant varia momenta, quae in hanc quaestionem concurrant, omnia in distincta capita redigemus.

#### I. S. PETRUS ROMAE FUIT IBIQUE MORTUUS EST.

466. Primam dubitationem de romana commoratione S. Petri post waldenses movit *Marsilius Patavinus* in „Defensore pacis“ (cf. *Phillips*, Kirchenr. III 312), dein multi inter protestantes, ut imprimis *Ulricus Velenus* (Tractatus, quo 18 argumentis asseritur Petrum numquam Romae fuisse. 1520) et *Fridericus Spanheim* (Dissertatio de ficta Petri apostoli in urbem Romam profectio. 1679). At quaestio maxime agitata est nostro saeculo. Asseclae „scholae tubingensis“ protestanticae (*Baur*, *Schwegler*, *Zeller*, *Strauß*) querebantur, quod hucusque ob defectum „altioris criticae“ nulla vera historia duorum primorum saeculorum religionis christianae scribi potuisset. Quare hoc opus aggressi et illa „altiore critica“ usi, omnia fere scripta primi saeculi suppositicia declarabant, ut ita omni impedimento remoto ex

<sup>1</sup> Etsi haec toties iam a theologis catholicis inculcata sunt, nihilominus anno 1916 *A. Bauer*, professor in universitate vindobonensi, postquam conatus est ostendere Petrum et Paulum Romae martyrium non subisse (Wiener Studien. Zeitschrift für klassische Philologie XXXVIII [1916] 305), in fine scribit (307): „Die Vertreter eines konfessionellen Glaubens, für den Petrus das von Jesus eingesetzte Haupt der Kirche ist, können um des Ansehens und der weltlichen Machtstellung ihrer Kirche willen niemals zugeben, daß ihr Glaube auf einer Fiktion und nicht auf Tatsachen beruht.“ Vides, quomodo etiam professori historiae critico accidere possit, ut vanis imaginationibus abduci se sinat et ne statum quidem quaestionis rei, de qua agitur, intellegat.

suo ingenio historiam construerent. Dein ex epistulis paulinis ostendebant post mortem Christi mox ortas esse duas formas religionis christianae, paulinismum et petrinismum, illam gentilium, hanc iudaeorum conversorum. Duae illae factiones inter se acerrime pugnabant scriptis quoque libris, inter quos eminent homiliae et recognitiones clementinae, in quibus tubingenses volunt sub nomine Simonis a Petro impugnari et superari Paulum eiusque doctrinam. Sed, inquit, paulatim vehementia disputationis deferbuit, et ad animos conciliandos scripti sunt libri, in quibus duo illi apostoli apparent unanimes eandem doctrinam tradentes (Actus apostolorum). Fructus huius conciliationis fuit ecclesia catholica (circa medium saeculum II), in qua coniunctio animorum etiam eo exprimitur, quod ex quadam conventionione fundatio nobilissimae ecclesiae, i. e. romanae, duobus apostolis Petro et Paulo pariter adscribitur. Ita orta est fabula de episcopatu romano S. Petri (cf. *H. Hagemann*, Die röm. Kirche, Freiburg 1864, 630 sqq.).

Duae res statim primo aspectu in hac procedendi ratione apparent prorsus arbitrariae: a) quod tot scripta, pro quorum genuinitate omnia criteria interna et externa pugnant, sine ulla specie sufficientis rationis ut suppositicia reiciunt, et contra scriptis tam miris, quam sunt homiliae et recognitiones clementinae, summam vim tribuunt; b) quod fingunt primam ecclesiam christianam tamquam coetum hominum nulli rei magis quam fraudibus intentorum, quorum libri vix non omnes sint causidicorum declamationes et veri adulterationes.

Propterea alii protestantes studuerunt via magis scientifica ad eundem finem pervenire, inter quos eminent *Richardus Albertus Lipsius* (Chronologie der römischen Bischöfe, Kiel 1869, 162 sqq.; Die Quellen der römischen Petrus-Sage, Kiel 1872). Sed hic quoque scriptor maxime argumentatur ex scriptis Pseudo-Clementis, quae non apta esse ad quaestiones historicas solvendas ipsi protestantes concedunt.

467. Quo animo ducantur in hac quaestione illi impugnatores primatus romani, sincere prodidit Lipsius, qui, si Petrus, inquit, Romae fuit, primatus romani pontificis fundamento historico non caret; atqui hoc protestantes concedere non possunt; ergo intellegitur, cur protestantes omni vi conentur hoc fundamentum evertere<sup>1</sup>. De quibus verbis alius rationalista, *Adolf Hilgenfeld*, qui constanter defendit Petrum Romae fuisse, haec scribit: Quaestiones historicae diiudicandae non sunt secundum partium studium, sed ex amore veri, licet hoc iis non placeat, qui praeiudiciis ducuntur<sup>2</sup>. Simili modo loquuntur *Harnack* (Patres apostol. 1 not. ad Clem. 1, 5), *Weizsäcker* (Apostolisches Zeitalter, ed. 2, 467 sq.), alii. Sicut olim centuriatores magdeburgenses,

<sup>1</sup> *Lipsius*, Jahrbücher für protest. Theologie (Leipzig 1876) 486 508.

<sup>2</sup> *Hilgenfeld*, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie (Leipzig 1877) 486 508.

dein Scaliger, Usher, Grotius, Newton, alii protestantes concedebant Petrum Romae fuisse, ita nostra aetate idem docuerunt Mynster, Gieseler, Olshausen, Credner, Wieseler, Jaffé etc. Generatim haec veritas etiam a protestantibus magis magisque admittitur.

E theologis protestantibus saeculi 20. anno 1915 *H. Lietzmann*, qui ceteroquin non paucis dictis prae se fert rationalismum more Harnackii, edito libello „Petrus und Paulus in Rom“ diligenter examinavit documenta historica, quorum auctoritate haec quaestio solvenda est. Finis inquisitionis est hic: Sepulchrum Petri principio erat in Vaticano, sepulchrum Pauli in Via Ostiensi; anno 258 die 29 iunii ossa apostolorum translata sunt „ad catacumbas“ (in ecclesiam S. Sebastiani). Quando vero sub Constantino imperatore et eius successore aedificatae erant basilicae S. Petri in Vaticano et S. Pauli ad Viam Ostiensem, reliquiae apostolorum reportatae sunt ad loca priora, ibique usque ad nostra tempora manserunt. Testimonia veterum documentorum de communi sepulchro apostolorum ad S. Sebastiani ecclesiam confirmata sunt fossionibus, quae sub directione *Pauli Styger* in illa ecclesia factae sunt (*Römische Quartalschrift* 1915, 73 sqq.; cf. *Zeitschrift für kath. Theologie* 1921, 549 sqq.; *Stimmen der Zeit* XC 555 sqq.). Sed praeter testimonia, quae sepulchra apostolorum spectant, sunt alii vetustiores testes (1 Petri, Clemens Rom., Ignatius M.), qui loquuntur de Petro Romae commorante eiusque martyrio. „Summa: Omnia testimonia antiquissima fontium ex tempore circiter anni 100 provenientium perspicua fiunt et facile intelleguntur, quadrant in contextum et optime inter se cohaerent, si admittimus, quod ipsa aperte significant, Petrum Romae commoratum et ibidem martyrium passum esse. Omnis alia coniectura de morte Petri difficultates difficultatibus addit, neque umquam vel unius fontis testimonium positivum pro se proferre potest. Quae cum ita sint, non capio, quomodo quis dubitare possit, quae sit legitima conclusio.“ Ita *Lietzmann* l. c. p. 171.

Hoc tamen nimium visum est *Adolfo Bauer* (de quo supra n. 465 nota); quare indubitanter contrarium statuit: „Ad quaestionem, num Petrus et Paulus Romae martyrio obierint, negative respondendum est“ (l. c. 305). Et quae est ratio huius negationis? Quia circa annum 200 demum e mundo hellenistico Romam introductus est cultus heroum; antea christiani nihil curabant de martyribus neque de eorum sepulchris. Bauer pro hac assertionem non habet nisi obiectiones et hypotheses iam saepe discussas et refutatas. Plura de hac re exponit *E. Böminghaus* (*Stimmen der Zeit* XCV 251 sqq.), qui censet dissertationibus, qualis est illa Baueri, non quidem ecclesiae catholicae, sed bonae famae doctrinae historicae periculum creari (l. c. 266).

Ceterum ne acerrimi quidem impugnatores huius facti historici negant circa finem saeculi II in ecclesia iam firmam et universalem traditionem romanae commorationis et episcopatus S. Petri exstitisse. Ut igitur hanc traditionem explicent, varias hypotheses fingunt, qua-

rum altera altera est absurdior, et altera alteram destruit. Hoc autem ostendit eos pugnare contra veritatem historicam (cf. *Stimmen aus Maria-Laach* II, 1872, 480 sqq.).

His igitur praemissis iam audiamus singulos testes ordine chronologico.

468. Primum testimonium, utique indirectum, hauriri potest ex evangelio S. Marci. Hoc enim evangelium ex una parte scriptum est pro ecclesia romana, ex altera parte ad S. Petrum refertur. Marcus saepius ponit nomina romana pro graecis; ἑκατοντάρχης apud eum est κεντυρίων (15, 39 etc.), κοδράντης (quadrans) ponitur pro λεπτά δύο (12, 42), loquitur de Rufo ut de homine lectoribus suis noto (15, 21; cf. Rom. 16, 13). De Petro vero et eius familia saepius in hoc evangelio sermo est quam in ullo alio, sed ita, ut praerogativa Petri taceatur, abnegatio vero eius exactissime referatur. Ceterum hoc indirectum testimonium fit directum, si adduntur testimonia veterum de origine huius evangelii. Testatur enim *Papias* Marcum Petri praedicationem litteris consignasse, et *Clemens Alexandrinus* dicit hoc Romae factum esse, id quod confirmat *Irenaeus* (supra n. 120 sq.). Quare *Eusebius* ut veterem traditionem refert Marcum Romae evangelium scripsisse, quod ibidem Petrus praedicaverat. Loquens enim de romanis ait: „Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse nec contenti essent caelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis, accepisse, sed Marcum, Petri sectatorem, cuius hodieque exstat evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent auctoresque scribendi illius quod secundum Marcum dicitur evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Institutionum (ὑποτυπώσεων) libro. Cui testis etiam accedit (συνεπιμαρτυρεῖ δ' αὐτῷ) Papias, hierapolitanus episcopus“ (H. E. 2, 15; *M* 20, 171). Patet igitur, quantopere errent illi protestantes, qui numquam intuiti librum Papias dicant Papiam nihil dixisse de romana praedicatione S. Petri, cum *Eusebius* asserat eum idem testari, quod *Clemens* scripserat.

469. Eodem loco *Eusebius* refert secundum traditionem priorem Petri epistolam Romae scriptam esse. Huius quidem epistolae genuinitatem tubingenses et alii negarunt, at quam impudenter, efficitur ex eo, quod vix ullum scriptum Novi Testamenti est, cui tot et tam diserta testimonia antiquitatis suffragentur quam priori Petri epistolae<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> De qua re in commentario protestantico (*Huther-Kühl*) haec dicuntur: „Der erste Petrusbrief ist unter allen Schriften des Neuen Testaments wohl am besten“

470. In hac epistula Petrus scribit: „Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta (ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή), et Marcus, filius meus“ (1 Petri 5, 13). Marcum autem cum Petro Romae fuisse ostenditur testimoniis iam allatis (cf. Col. 4, 10; Philem. 24). Babylonem esse nomen symbolicum pro urbe Roma testantur omnes veteres nullo excepto: Papias, Clemens Alexandrinus, Eusebius (H. E. 2, 15; M 20, 174), Hieronymus (De vir. ill. 8) etc., consentiunt omnes fere catholici exegetae, plurimi protestantes, inter quos ipse Zeller (Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie 1876, 35)<sup>1</sup>. Nec solum in apocalypsi (14 sqq.) haec appellatio occurrit, sed etiam in veteribus scriptis iudaicis et libris sibyllinis (cf. Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1873, 86). Praeterea haec Babylon non potest esse alia urbs nisi Roma. Babylon enim ad Euphraten iam tempore natiuitatis Christi erat urbs deserta, cuius erat ἡ ἔρημος ἡ πολλή (Strabo, Geogr. 16, 1, 5), de qua nihil supererat nisi parientinae (Pausan., Arcad. 33. Plin., Hist. nat. 6, 26. Iosephus, Antiq. 18, 9, 8). Etsi autem ibi forte fuisset hominum sufficiens numerus, nihil in tota antiqua traditione notum est de profecione Petri in illam urbem, quod eo minus explicari posset, si ipse Petrus in epistula sua hanc rem testatus esset. Idem valet de castello Babylone in Aegypto (cf. Cornely, Introd. III 621 sq.; Ottiger, Theologia fundam. II 533 sqq.).

Quodsi obiciunt mirum esse talem tropum in epistula, respondendum est in tota epistula S. Petrum non uti ieiuno sed sollemniori dicendi genere. Statim ab initio christianos vocat „electos advenas“ (ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις). „Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite“ (2, 2), et multa similia (cf. 1, 18 sqq.; 2, 4 sqq.; 3, 18 sqq.; 5, 8 sqq.).

471. Ergo verum non est Sacram Scripturam nihil dicere de romana commoratione S. Petri. Quod autem Actus apostolorum de hac re tacent, nihil probat; secus dicendus esset S. Petrus post ea, quae Act. 15 narrantur, nusquam fuisse, quia non iam ulla fit mentio eius. Ceterum probent adversarii, si possunt, illa verba: Petrus „abiit in alium locum“ (Act. 12, 17), non esse intellegenda de eius prima pro-

und bestimmtesten bezeugt. Es darf kaum geleugnet werden, daß er schon dem Klemens Romanus genau bekannt war. . . . Er ist von Polykarp aufs ausgiebigste benutzt, indem zusammenhängende Stellen buchstäblich reproduziert werden; auch von Papias erzählt uns Eusebius, daß er den ersten Petrusbrief in den λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις benutzt habe. Irenäus, Tertullian, Klemens Alex., Origenes, Cyprian zitieren öfters Stellen aus dem Briefe mit namentlicher Anführung desselben, und zwar ohne auch nur im geringsten darauf hinzudeuten, daß irgend ein Zweifel an seiner Echtheit gehegt werde; auch findet er sich in der älteren Peschito, die nur drei katholische Briefe enthält. Eusebius zählt ihn mit Recht zu den Homologumenen. Daß Spätere ihn für unecht gehalten haben, kommt hier nicht in Betracht“ (Kritisch-exegetisches Handbuch über den ersten Brief Petri, Einl. 56 sq.).

<sup>1</sup> Cf. Hort, Judaistic Christianity 155.

fectione romana a. 42 (cf. Hundhausen l. c. 16)<sup>1</sup>. Quod autem Paulus in epistula ad romanos eum non salutatur neque in aliis epistulis Roma scriptis eum commemorat, ad summum probat, si quid probat, Petrum tunc (a. 58) non fuisse Romae; neque nos dicimus Petrum Romam profectum semper ibi mansisse, sed inde (a. 50) abiit Ierosolymam et iterum Antiochiam, dein probabiliter profectus est in Asiam minorem, imperatore Nerone Romam rediit (a. 63) ibique martyrium passus est a. 67 (Hundhausen l. c. 22 sqq.). Ceterum concedimus multo minus certum esse, quibus annis Petrus Romae fuerit, quam eum omnino Romae fuisse et mortuum esse. Illud enim cum certitudine ex fontibus erui nequit, hoc autem ex unanimi testimonio veterum constat. Iam Paulus testatur ante suum adventum Romae fundatam fuisse ecclesiam, cuius fides annuntiabatur in universo mundo (Rom. 1, 8), et excusat se, quod audacius iis scripserat (15, 15), quia eatenus non consueverat super alienum fundamentum aedificare sed iis potius praedicare, quibus nondum annuntiatum erat evangelium (15, 20 21). „Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci coepero, spero, quod praeteriens videam vos et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero“ (15, 23 24). Paulus igitur testatur Romae fundamentum ab alio positum esse, sed a quo?

472. Saeculo I (inter a. 95 et 97) Clemens Romanus corinthiis (5, 1 ad 6, 1) varia exempla patientiae proponit ex Vetere Testamento, dein pergit: „Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus, saeculi nostri (τῆς γενεᾶς ἡμῶν) exempla proponamus. Propter zelum et invidiam, qui maximae et iustissimae columnae erant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt. Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos: Petrum, qui propter zelum iniquum non unum aut alterum sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit. Propter zelum et contentionem Paulus patientiae praemium exhibuit . . . summum patientiae exemplar existens<sup>2</sup>. Viris istis sancte vitam agentibus magna electorum multi-

<sup>1</sup> Nihil tamen ex hac quaestione pendet, et sunt etiam catholici, qui hoc negant, ut Semeria (Dogma, gerarchia e culto 160 sqq.).

<sup>2</sup> Quia cum quaestione, ubi Petrus mortuus sit, cohaeret altera quaestio, ubi Paulus mortuus sit, quidam ex verbis Clementis: Παῦλος . . . δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον καὶ ἐπὶ τὸ τέρας τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸν ἄγιον τόπον ἐπορεύθη (Cor. 5, 7) hanc conclusionem fecerunt: Paulus, teste Clemente, in Hispaniam profectus et ibi martyrio mortuus est. Sed tum verba τὸ τέρας τῆς δύσεως tum verbum μαρτυρήσας, tum nexus huius verbi cum contextu ab aliis alio modo exponuntur. De qua re librum edidit E. Dubowy, Klemens von Rom über die Reise Pauli nach Spanien (Freiburg i. Br. 1914), qui ait: „Dem Tode Pauli werden also drei Handlungen vorgeordnet, nämlich die Unterweisung der ganzen Welt in der Gerechtigkeit, das Kommen bis an das τ. τ. δ. und die Ablegung des Zeugnisses. Über den räumlichen und

tudo aggregata est, qui suppliciiis multis et tormentis, propter zelum passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt." Ad Cor. 5, 4 *Funk* notat: „Petrum Romae mortuum esse Clemens hic non expressis quidem sed satis perspicuis verbis dicit. Duo praesertim consideranda sunt. Cum Paulus, altera ecclesiae columna, ut nemo negat, Romae mortem subierit, verisimile est Petrum a Clemente Romano ideo simul cum eo nominatum esse, quia ipse quoque in illa urbe martyrium passus est. Accedit, quod auctor c. 6 de christianorum persecutione per Neronem Romae facta satis aperte loquitur, et cum hoc capitulum artissime cum antecedente cohaereat, etiam Petrus Romae decessisse putandus est. . . . *Harnack* ad h. l. dicit: Lis sub iudice adhuc non esset, nisi critici fabulis illis Pseudoclementis vel iudaizantium christianorum plus, quam par est, auctoritatis tribuerunt." Praeterea noli praeterire illa duo: τῆς γενεᾶς ἡμῶν et ἐν ἡμῖν. Haec enim satis clare indicant Petrum aetate Clementis cum aliis illis romanis martyribus, quos Clemens enumerat, Romae passum esse.

473. *S. Ignatius Martyr* († 107) ad romanos scribit: „Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio" (Rom. 4, 3), ubi aperte innuit Petrum non minus quam Paulum romanis praecepta dedisse. Id quod certe intellegi non potest de evangelii praedicatione ab iis fortasse alibi facta: nam sic non magis iis praecepta dedissent quam alii apostoli. Praeterea constat Paulum romanis praedicasse; ergo, quia Petrus in eadem linea cum eo ponitur, hunc quoque romanis praedicasse Ignatius testatur.

474. Duo testimonia ex saeculo II (praeter Papiam et Clementem Alexandrinum, quos iam allegavimus n. 468) Eusebius exhibet, alterum *Caii* (Gaii), presbyteri romani (circa finem saeculi II), alterum *Dionysii*, corinthiorum episcopi (circa 170): „Ac Paulus quidem Romae capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse eodem [Nerone] regnante traduntur. Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae coemeteriis etiam nunc visuntur. Sed et Caius quidam, vir ecclesiasticus, qui Zephyrini, romanae urbis episcopi, temporibus floruit, in eo libro, quem scripsit „Adversus Proclum", patronum sectae cataphrygarum, de loco, in quo praedictorum apostolorum sacra corpora deposita sunt, ita loquitur: „Ego vero", inquit, „apostolorum tropaea (τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων) possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam funda-

zeitlichen Zusammenhang dieser Einzelhandlungen untereinander sowie zu dem Endereignis ist aber nichts ausgesagt" (p. 37). Certe contextus verborum apud Clementem non postulat, ut dicamus secundum eum Paulum in Hispania mortuum esse, et cum ceteroquin nullum vestigium talis traditionis adsit, sed omnes testes, qui de Pauli morte loquuntur, Romam locum mortis assignent, expositio de martyrio hispanico Pauli excluditur.

verunt." Porro ambos uno eodemque tempore martyrium subisse Dionysius, corinthiorum episcopus, ad romanos scribens testatur his verbis: „Ita et vos", inquit, „tanta admonitione vestra (respondet ad epistolam Soteris papae [*Eusebius*, H. E. 4, 23; *M* 20, 387]) sementem, quae Petri et Pauli satione succreverat, romanos scilicet et corinthios, simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi sparso evangelicae doctrinae semine nos instituerunt, et in Italiam simul (ὁμόσε) profecti eodem tempore martyrium pertulerunt." Atque haec idcirco rettuli, ut rei gestae memoria magis ac magis firmaretur" (H. E. 2, 25; *M* 20, 207 sq.; cf. 3, 31). Itaque centum circiter annis post factum, de quo quaeritur, non solum in ecclesiis occidentali et orientali haec res indubitanter admittebatur, sed etiam monumentis illustrabatur, sive illa tropaea erant sepulchra sive lapides tantum memoriales. Reapse sermonem esse de sepulchris apostolorum ostendit *Joh. Schmid* (Petrus in Rom, Luzern 1892, 37 sqq.), qui de variis quoque translationibus corporis C. Petri agit (l. c. 49 sqq.)<sup>1</sup>.

475. Cum *Hegesippus* (supra n. 344) testetur se Romae in successionem episcoporum inquisivisse eo tempore, quo haec successio ibi sine dubio nota erat, et cum Eusebius, qui opera Hegesippi prae manibus habuit, constanter seriem romanorum episcoporum a Petro incipiat, non est dubium, quin ita Hegesippus testatus sit. Circa idem tempus (a. 177) Romam venit *Irenaeus*, qui in id maxime incumberebat, ut traditionem et successionem episcoporum perspectam haberet. Iam vero is saepius testatur Petrum Romae fuisse, ut iam antea audivimus (n. 81; cf. *Schmid* l. c. 16 sqq.). *Tertullianus* contra haereticos ad hanc rem ut ad factum notissimum provocat: „Videamus . . . quid etiam romani de proximo sonent, quibus evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt" (Adv. Marc. 4, 5; *M* 2 366); „ubi Petrus passioni dominicae adaequatur [cf. Io. 21, 18 sqq.], ubi Paulus Ioannis [Baptistae] exitu coronatur" (Praescr. n. 36; cf. Scorp. n. 15; *M* 2, 49 151).

476. *Hippolytus* narrat Romae S. Petrum pugnasse contra Simonem magum (de quo Act. 8, 5 sqq.) et effecisse, ut hic Roma abiret (Contra haer. 6, 20; *M* 16 c, 3225). De hac pugna inter apostolum et magum plura exstant in variis libris apocryphis, ut in „Actis Petri et Pauli", maxime vero in homiliis et recognitionibus clementinis, quae exhibent fabulosam amplificationem illius pugnae. Itaque cum concursus sit testimonium omnium scriptorum genuinorum et apocryphorum de romano Petri itinere, nulla rationabilis dubitatio de hac re moveri potest. Nihilominus adversarii enervare conantur testimonia scriptorum genu-

<sup>1</sup> Cf. Theologische Quartalschrift (Tübingen 1892) 191 sqq., et *A. de Waal*, Die Apostelgruft ad catacumbas (Romae 1894); Zeitschrift für kathol. Theologie 1902, 357 sqq.

inorum, ut dein statuatur sola scripta apocrypha esse fontem, unde illa traditio emanaverit. Student igitur per incerta et fallacia evertere ea, quae sunt certa et fide digna. Praeterea multa testimonia, quae inveniuntur in scriptis genuinis, prorsus nullam mentionem faciunt eorum, quae in apocryphis de certamine Petri cum Simone mago narrantur, et ita se manifestant ut testes omnino independentes. Hodie inter cordatos viros convenit scripta pseudoclementina esse prorsus inepta ad quaestionem historicam solvendam (cf. Schmid l. c. 92 sqq.).

De posterioribus scriptoribus non est cur loquamur, cum ne adversarii quidem negent a fine saeculi II adfuisse traditionem constantem.

Contra haec igitur tot et tam continua testimonia quod testimonium historicum adversarii afferunt? Ne unum quidem! Afferunt dubitationes, construunt hypotheses, sed testem nullum habent. Itaque si hoc factum non est certum, iam desperandum est de ullo facto historico antiquorum temporum stabiliendo.

#### II. S. PETRUS ROMAE SEDEM SUAM COLLOCAVIT ET EPISCOPUM ROMANUM SUCCESSOREM IN PRIMATU INSTITUIT.

477. Ex iis ipsis protestantibus, qui concedunt Petrum Romae fuisse, plurimi tamen negant eum fuisse episcopum romanum, vel quia nolunt episcopatum esse institutionis divinae, vel quia negant Petrum ullam sedem episcopalem sibi elegisse, cum apostoli non debuerint uno loco residere, sed per totum mundum evangelium praedicare. Ad primum quod attinet, iam probavimus episcopatum a Christo institutum esse et Petrum episcopum et primatem fuisse. Ergo agitur de sola secunda quaestione, Romaene Petrus sedem fixerit. At ne haec quidem est principalis quaestio, cum cardo rei in eo sit, cui sedi Petrus primatiam suam dignitatem annexerit. Itaque hoc est praecipue ostendendum, primatum Petri permansisse cum romana sede. Immo licet dicamus Petrum episcopum romanum fuisse, admittimus tamen eum sibi viventi adiutorem episcopum potuisse creare et per eum romanam ecclesiam administrare (ut nunc quoque fieri solet), ipsum vero apostolatui proprie dicto etiamtum maxime vacasse. Iam quidam veteres tradunt Petrum sibi vivo subrogasse Cletum ut episcopum auxiliarem et hoc mortuo Clementem sibi successorem ordinasse. Nonnulli etiam (satis improbabiler) narrant cum Petro simul Paulum Romae episcopatum gessisse et Linum habuisse episcopum auxiliarem. Sed alii aliter hanc rem referunt (cf. Const. apostol. 7, 46; *M* 1, 1047; *Epiph.*, Haer. 27, 6; *M* 41, 371; *Rufin.*, Praef. in Clementis recognit.; ea, quae *Funk* notat in Prolegom. ad epist. Clem. n. 1). Concedimus igitur relate ad primos successores Petri traditionem non esse constantem, ita vero, ut omnes agnoscant Clementem fuisse episcopum romanum. Auctoritate reliquis testibus praestat Irenaeus, quem sequuntur Eusebius et Hieronymus. At ab hac quaestione nihil pendet.

478. *Irenaeus* haec habet: „Fundantes igitur et instruentes beati apostoli [Petrus et Paulus] ecclesiam, Lino episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt. . . . Succedit autem ei Anacletus [Ἀνάκλητος, quem latini saepe vocant Cletum]; post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos. . . . Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus [Xystus], et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit; ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius“ (*Adv. haer.* 3, 3, 3; *M* 7, 849 sq.). Nota Irenaeum hic proxime id agere, ut ostendat, quomodo in romana ecclesia fides „ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate“. Quare per se non vult efferre primatum Petri, sed apostolicam successionem episcoporum, et ideo cum Petro etiam Paulum nominat. Immerito tamen ex eo concluderunt protestantes eum ignorasse primatum, cum immediate ante ea, quae modo citata sunt, perspicuis verbis potentior principalitatem romanae ecclesiae efferat (infra n. 489).

Praeterea Irenaeus Hyginum vocat *nonum* episcopum romanum (*Adv. haer.* 1, 27, 1; *M* 7, 687). Sunt quidem, qui censeant legendum esse octavum pro nono. Sed hoc dicunt contra omnes testes manuscriptos, contra fragmenta graeca, contra testimonium *Eusebii* (*H. E.* 4, 11; *M* 20, 328 sq.; ed. *Schwartz* p. 322)<sup>1</sup>. Idem *S. Epiphanius* testatur (*Haer.* 41; *M* 41, 691), idem *S. Cyprianus* (*Ep.* 74 ad Pompeium, n. 2; *H* 2, 801), qui ambo Irenaei verba manifeste prae oculis habuerunt. Ergo illa lectio externis testimoniis optime fulcitur. Iam vero Hyginus non est nonus, nisi Petrus fuit primus episcopus. Itaque Hyginus est octavus inter eos, qui post apostolos venerunt: est vero nonus, si integra series episcoporum romanorum consideratur. Sic solvitur difficultas, quam *Harnack* his verbis proponit: „Certum est exeunte saeculo II Romae Petrum non fuisse numeratum episcopum; nam Irenaeus Sixtum diserte vocat sextum episcopum“ (*Chronol. der altchr. Lit.* 170). Respondeo: Vocat eum sextum post apostolos; id quod non impedit, quominus sit septimus in tota serie episcoporum. Idem valet de alio vetere teste, quem *Harnack* invocat (ex *Euseb.*, *H. E.* 5, 28), qui de Victore ait: ὃς ἦν τρισκαδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος.

Notabile est, quam constanter veteres vocent Hyginum *nonum* pontificem. Ita Eusebius eo loco, ubi Irenaeus scripserat de Hygino: ὃς ἦν ὄγδοος ἐπίσκοπος (*Adv. haer.* 3, 4, 3; *M* 7, 857), mutavit illud ὄγδοος in ἑνάτος, cum Irenaeus (ib. 3, 3, 3) enumerans episcopos post apostolos institutos, manifeste ponat Hyginum octavo loco: „Deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus. . . . ac deinceps Hyginus“ (*M* 7, 851). Illo loco urget Irenaeus, quantopere

<sup>1</sup> Cf. Zeitschrift für kathol. Theologie (Innsbruck 1902) 62 sqq.

distet Valentinus ab apostolorum temporibus, cum iam octo episcopi eius aetate post apostolos fuerint in urbe Roma. In primo vero libro loquitur de integra serie episcoporum romanorum, quae incipit ab apostolis, et in hac serie dicit Hyginum tenere nonum locum episcopalis successionis, ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπικῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων (M 7, 687). Haec duo non inter se pugnant: Hyginum distare ab apostolis ut octavum, et: in serie episcoporum, quae ab apostolica aetate descendat, Hyginum esse nonum (cf. *Ottiger*, Theologia fundam. II 579 ff. 584 sq.).

*Tertullianus* ait: „Percurrere ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident. . . . Si Italiae adiaceres, habes Romam . . . ubi Petrus passioni dominicae adaequatur“ (Praescr. c. 36; M 2, 49; cf. infra n. 482). Ergo Romae praesidet cathedra Petri. *Pseudo-Tertullianus*, qui fervente disputatione cum marcionitis scripsit poema „Adversus Marcionem“, et qui recenset pontifices a Petro usque ad Anicetum (distinguens Cletum ab Anacleto), ita loquitur:

Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum  
Maxima Roma Linum primum considerare iussit . . .  
Constabat pietate vigens ecclesia Romae  
Composita a Petro, cuius successor et ipse  
Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus. (3, 9; M 2, 1077.)

*Eusebius* veterem illum scriptorem (qui secundum *Photium*, Biblioth. cod. 48, est *Caius* presbyter) allegat dicentem: Victor „tertius decimus a Petro romanae urbis episcopus fuit“ (H. E. 5, 28; M 20, 511; cf. 3, 2 13 15 24; 4, 1 4 5 10 11 29; 5, proem. etc.). *Epiphanius*, postquam proposuit modum componendi varias narrationes de successione primorum pontificum, ita ait: „Sed utcumque res se habuerit, romanorum pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus . . .“ (Haer. 27, n. 6; M 41, 374). *Cyprianus*: „Factus est Cornelius episcopus . . . cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret“ (Ep. 55, n. 8; H 2, 629). *Augustinus*: „Cathedra quid tibi fecit ecclesiae romanae, in qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius sedet“ (Contra litt. Petilianum 2, 51, 118; M 43, 300. Cf. epist. 53, n. 2; M 33, 196). *Optatus Milevit.* (supra n. 367).

479. Porro omnes catalogi pontificum romanorum, quorum satis magnus numerus exstat ex ecclesia orientali et occidentali, et qui usque ad prima saecula ascendunt et antiquissima traditione nituntur, ordiuntur nomina romanorum pontificum a S. Petro, quamvis nonnulli cum Petri nomine etiam Pauli nomen praeponant (cf. *Lipsius*, Chronol. der röm. Bischöfe 25 26 30 60 98 128 132 143 265 sqq.; *Bollandist.* in Propylaeo mensis Maii; *Duchesne*, Le Liber pontificalis, introd. 1, 1 sqq.; *De Smedt*, Dissert. sel. in hist. eccl., append. K; *Lightfoot*, S. Clement of

Rome 201 sqq.; *Harnack*, Chronol. der altchr. Lit. 70 sqq.). Vetustissimus ex catalogis episcoporum romanorum iam medio circiter saeculo II, vel circa a. 170 exsistebat et Romae ortus est (*Harnack* l. c. 188 193; cf. supra n. 344). Iam vero secundum unanime testimonium catalogorum „Petrus proficiscitur Romam et ibi fuit praepositus ecclesiae“ (*Migne*, P. L. 27, 578; *Euseb.*, Chronic. l. 1, ed. *Schoene* I 150; *Luke Rivington*, The Primitive Church and the See of Peter, London 1894, 20 sq.). Ergo haec persuasio iam medio saeculo II Romae vigeat. Supponunt quidem *Lipsius* et alii proprie dictum episcopatum ortum non esse nisi post medium saeculum II ideoque primos, qui nominantur in catalogis, non fuisse veros episcopos; sed hoc iam refutavimus. Pro confirmatione addere possumus: Cum Paulus scribebat ad romanos, ibi iam ante Linum exsistebat ecclesia; omni autem ecclesiae praepositus erat episcopus; nam sine episcopo ecclesia non vocatur, ut ait *S. Ignatius M.* (Trall. 3, 1); atqui ante Linum antiquitas christiana non novit alium episcopum nisi Petrum; ergo hic erat primus episcopus romanus. Nam quod *Lipsius* et *Hase* volunt illi ecclesiae solos presbyteros sine episcopo praefuisse (*Lipsius* l. c. 263; *Hase*, Polemik, ed. 3, 131, nota 59, in ultima editione omissa), pugnat cum tota traditione antiqua<sup>1</sup>. Plura apud *Straub*, De ecclesia Christi I, n. 511 sqq.

<sup>1</sup> *Lightfoot* loquens de vetustissimo catalogo ait: „As regards the names, I see no reason to question that they not only represent historical persons, but that they were bishops in the sense of monarchical rulers of the Roman Church“ (S. Clement of Rome 340). E contra *Harnack* non obstantibus omnibus testimoniis vult medio saeculo II Romae nondum fuisse episcopatum monarchicum, sed collegium tantum presbyterorum regentium (Chronol. der altchrist. Lit. 174 sqq.). Duo profert argumenta: a) In Pastore Hermae sermo semper est de episcopis vel presbyteris ecclesiae, numquam de uno episcopo. b) S. Ignatius M. scribens ad romanos nihil dicit de eorum episcopo. Sed haec duo argumenta nihil valent. Sane quod *Hermas* dicit de lapidibus, ex quibus aedificatur turris ecclesiae: „Hi sunt apostoli et episcopi et doctores et diaconi, qui ambulaverunt in sanctitate Dei et episcopatum gesserunt et docuerunt et ministraverunt caste et sancte electis Dei“ (Vis. 3, 5, 1), quid aliud ostendit nisi in ecclesia fuisse apostolos et episcopos et diaconos? Nihil autem inquit de episcopatu monarchico aut non monarchico. Similiter: „Dices praepositis ecclesiae, ut corrigant vias suas in iustitia“ (ib. 2, 2, 6). Secundum quam regulam logicae haec verba ostendant Romae tunc non fuisse episcopum monarchicum, non video. Eiusdem autem rationis sunt omnes textus, quos *Harnack* allegat. Immo ne verum quidem est nullam particularis episcopi mentionem fieri. Nam *Vis.* 2, 4, 3 *Hermas* accipit mandatum: „Scribes duos libellos et mittes unum Clementi et unum Graptae. Mittet ergo Clemens in exteris civitates; illi enim mandatum est. . . . Tu autem leges in ista civitate cum presbyteris, qui praesunt ecclesiae.“ Ad quae verba *Funk* notat: „Sine dubio Clementi auctori epistolae ad corinthios et, ut ex hoc loco elucet, episcopo. Clare enim cum a presbyteris discernitur, tum munere fungitur, quod ecclesiae praepositis tantum commissum est.“ Quod *S. Ignatius M.* in epistula ad romanos non, ut in aliis epistulis, loquitur de episcopo, non est mirum. Nam in aliis epistulis exhortatur fideles, ut adhaereant episcopo suo. Epistula vero ad romanos nullas exhortationes continet, ergo neque hanc (cf. infra n. 488). Ceterum *Harnack* ipse sentit, quam improbabilis sit opinio sua: „Aber wie ist der monarchische Episkopat in Rom entstanden? Die Frage bezeichnet an einer besonders wichtigen

## III. ROMANI PONTIFICES SIBI SEMPER ATTRIBUERUNT PRIMATUM.

480. Primum quoddam indicium primatus romani cernitur in epistula S. Clementis ad corinthios. Nam cum vivente etiamtum S. Ioanne in corinthiorum ecclesia discordiae ortae essent, non Ioannes sed Clemens scripsit ad corrigendos eos. Verum quidem est Clementem non nominare se ipsum in illa epistula, sed potius inducere romanam ecclesiam loquentem. At imprimis eum scripsisse epistulam certo constat ex veterum testimonio (*Eusebius*, H. E. 3, 16 38; 4, 23; *M* 20, 250 294 387). Ex altera parte constat auctoritatem cuiusvis ecclesiae non aliam fuisse atque auctoritatem episcopi eius: unde si romana ecclesia indicat se habuisse specialem auctoritatem in corinthios, haec auctoritas penes episcopum romanum residebat. Auctoritatem autem illam epistulam prae se ferre manifestum est: „Non tantum ut vos officii vestri admoneamus, scribimus“ (7, 1). „Turpia, fratres, turpia valde auditu sunt et christiana vivendi ratione indigna, quae comperimus: firmissimam et antiquam corinthiorum ecclesiam propter unum aut alterum hominem seditionem movere contra presbyteros“ (47, 6). „Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis, in oboedientia subditi estote presbyteris et correctionem suscipite in paenitentiam“ (57, 1). „Sin quidam non obtemperaverint iis, quae ille [Christus] per nos dixit, cognoscant offensionem et periculo non parvo sese implicaturos esse; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato“ (59, 1). „Gaudium et laetitiam nobis praestabitis, si oboedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum Sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistula“ (63, 2). Ita non loquitur, nisi qui auctoritatem habet (cf. *Theol. Quartalschrift*, Tübingen 1876, 458). *Harnack* censet hanc auctoritatem non ex Christi institutione, sed ex naturali praepotentia ecclesiae romanae ortam esse<sup>1</sup>. Porro censet hunc primatum ab initio non penes episcopum, sed penes coetum fidelium fuisse et ex hoc paulatim ad episcopum transiisse<sup>2</sup>. Hanc theoriam esse inanem fictionem non solum inde iam ostensum est, quod SS. Patres semper provocant ad apostolicam successionem episcoporum, praesertim romanorum, sed patebit etiam magis ex sequentibus (De epistula S. Clementis cf. *Luke Rivington*, *The Primitive Church* 1 sqq.; *Batiffol*, *L'Église naissante* 146 sqq.).

Stelle den breiten Graben, der für uns die Urgeschichte der Kirche von der späteren Zeit scheidet. Kein direktes Zeugnis überbrückt ihn, und es scheint, als seien wir genötigt, durch ‚versuchte Ideen‘ unsererseits die Kluft auszufüllen. . . . Wie konnte man um 170 eine Bischofsliste für das ganze Jahrhundert aufstellen, das seit dem Tode des Paulus und Petrus verlaufen war, und wie war es möglich, den Bischöfen sogar Amtsjahre zuzuweisen? Ich vermag die Rätsel nicht zu lösen“ (l. c. 194 sqq.).

<sup>1</sup> „Dieser Primat ist naturgemäß nicht weiter definierbar; denn er war lediglich ein faktischer“ (*Harnack*, *Dogmengesch.* I<sup>4</sup> 489).

<sup>2</sup> *Ibid.* 496.

481. *Victor I* (189—199) contra usum quartodecimanorum scripsit epistulam ad Polycratem, ephesinum episcopum, eumque iussit convocare omnes Asiae episcopos iisque iniungere, ut usum romanum sequerentur, minatus se omnes inoboedientes excommunicaturum esse. A qua quidem excommunicatione destitit, rogatus ab Irenaeo et aliis, at nemo erat, qui eius auctoritatem in quaestionem vocaret (*Eusebius*, H. E. 5, 24; *M* 20, 494 sqq.). Hinc *Lightfoot* censet Victorem fuisse primum papam, prototypum Hildebrandi et Innocentii III (*Clement of Rome I* 70).

482. *Zephyrinus* (199—217), sicut praedecessor eius, montanistas ex ecclesia exclusit, inter quos erat *Tertullianus*, qui valde aegre tulit, quod non potuit romano pontifici persuadere, ut agnosceret Montani prophetias et doctrinas rigoristicas. Dicit hoc eo factum esse, quod Praxeas, qui patripassianismum docuisset, hac haeresi abiurata pontifici multa falsa de montanistis narrasset. „Nam iste [Praxeas] primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae. . . . Idem tunc episcopum romanum [Eleutherum aut Victorem I], agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae et ex ea agnitione pacem ecclesiae Asiae et Phrygiae inferentem [ecce auctoritatem pontificis in illas ecclesias!], falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praedecessorum eius auctoritates defendendo coegit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare. . . . Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud psychicos [catholicos], apud quos tunc res gesta est, exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disiunxit a psychicis“ (*Adv. Prax.* c. 1; *M* 2, 155 sqq.).

De Zephyrino vel de *Callisto* (217—222) *Tertullianus* scribit: „Audio etiam edictum esse propositum et quidem preemptorium<sup>1</sup>. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto“ (*De pud.* c. 1; *M* 2, 980 sq.; *Denz.* n. 43). — Haec evidenter manifestant auctoritatem pontificis, non coetus fidelium romanorum.

Hoc etiam inde evincitur, quod facit episcopum carthaginensem provocare ad potestatem Petro datam in quaestione de remissione peccatorum mortalium. „Habet, inquis, ecclesia potestatem delicta donandi. . . . De tua nunc quaero sententia, unde hoc ius ecclesiae usurpes [i. e. ecclesiae datam esse ostendas]. Si quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; tibi dedi claves regni caelestis; vel: Quaecumque alligaveris vel solveris in terra,

<sup>1</sup> Ante aliquot annos disputatio orta est de auctore „edicti Callisti“. *K. Adam* censet esse episcopum carthaginensem: „Das sogenannte Bußedikt des Papstes Kallistus“ (München 1917). Contra quem *G. Esser* defendit communem sententiam: esse romanum pontificem. *Theologische Revue* 1918, 398 sqq.; cf. 1910, 486 sqq. Haec altera sententia praefenda est ut vera.

erunt alligata vel soluta in caelis (Matth. 16, 18 sq.), idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri [ecclesiae] propinquam, qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem. . . . Quid nunc et ad ecclesiam, et quidem tuam, psychice? (De pudicitia c. 21; *M* 2, 1024 sqq.) Itaque catholicorum doctrina erat Christum aedificasse ecclesiam suam supra Petrum, et potestatem a Petro descendisse in eius successores, romanos pontifices, et a Petri successore in omnem ecclesiam secum coniunctam transire. Non negat Tertullianus Callistum esse Petri successorem in episcopatu romano, sed negat illa verba Christi esse aliud quam personale Petri privilegium (cf. „Der Katholik“ 1902 II 193 sqq.; *Bardenhewer*, Geschichte der altkirchlichen Literatur II<sup>2</sup> 636 sq.).

483. *Stephanus* († a. 257) damnavit falsam doctrinam de rebaptizandis haereticis et tam africanis quam asiaticis sub poena excommunicationis iniunxit, ut a falsa praxi desisterent (*Eusebius*, H. E. 7, 5; *M* 20, 642); et quamvis caput adversariorum non minor vir esset quam *Cyprianus*, non hunc sed *Stephanum* ecclesia secuta est.

484. *Iulius I* a. 342 docuit episcoporum causas Romae esse decernendas, et *S. Athanasium* in sedem alexandrinam restituit (cf. *Hefele*, Konziliengesch. I 504). Eundem *Athanasium Liberius* († 366), quamvis a *Constantio* imperatore rogatus et vexatus, noluit deponere, de qua re scriptor gentilis, *Ammianus Marcellinus*, refert: „Hunc [Athanasium] per subscriptionem abicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris [episcopis arianis], iubente principe [Constantio] *Liberius* monitus, perseveranter renitebatur: nec visum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum exclamans, aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille [Constantius], *Athanasio* semper infestus, licet sciret impletum [a synodo ariana], tamen auctoritate quoque [qua] potiore[s] aeternae urbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti; quo non impetrato *Liberius* aegre populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari“ (15, 7).

485. *Siricius* a. 385 ad *Himerium*, tarraconensem episcopum, scribit: „Consultationi tuae responsum competens non negamus, quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quin immo haec portat in nobis beatus apostolus *Petrus*, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes“ (*Constant*, Epist. Rom. Pontif. I, Paris 1721, col. 624; *Denz.* n. 87).

486. *Innocentius I* ad episcopos concilii carthaginensis (a. 417) scribit: „In requirendis Dei rebus . . . antiquae traditionis exempla servantes

et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo quam antea, cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis iudicium scientes, quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum, debeat, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tam mala damnare novimus quam probare laudanda. Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent), quid praecipere [deberent], quos abluere, quos veluti caeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret“ (Ep. 29. *Constant*, Epist. Rom. Pontif. I 888 sqq.; *Denz.* n. 100).

487. *Zosimus* a. 418 ad episcopos africanos scribit: „Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exsolvat . . . tamen, cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus“ (Ep. 12. *Constant* l. c. I 974 sq.; *Denz.* n. 109). Alia de *Zosimo* apud *Palmieri*, De Rom. Pontif. 542 sqq.

De sequentibus pontificibus non est cur dicamus, cum nemo nisi stultissime negare possit inde a saeculo V primatum romanae sedis ubique agnitum esse. De *Coelestino I* cf. *Denz.* n. 129 139, de *Leone M.* iam supra (n. 301 318 432) quaedam audivimus; de *Gregorio M.* cf. *Zeitschrift für kathol. Theol.*, Innsbruck 1879 et 1880, imprimis 502 sqq.; de *Gelasio I* *Theol. Quartalschr.*, Tübingen 1902, 110 sqq.

#### IV. ECCLESIA AGNOVIT PRIMATUM ROMANI PONTIFICIS<sup>1</sup>.

488. Primum indicium huius rei habetur in epistula *S. Ignatii M.* ad romanos, in qua epistula *Ignatius* specialem reverentiam erga ecclesiam romanam exhibet et longe alio genere loquendi utitur atque in epistulis ad alias ecclesias. In inscriptione epistulae ait: „Ecclesiae dilectae . . . ἡτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, ἀξιόθεος . . . καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης.“ — Προκαθῆσθαι etymologice significat praesidere neque alios sensus habet nisi aut localiter ante aliquem

<sup>1</sup> Valde fuse hoc argumentum exponit *M. d'Herbigny*, De ecclesia II 119–190.



locum situm esse, qui sensus hic excluditur, aut praesidium alicuius rei gerere ad eam custodiendam vel defendendam. Ergo non potest esse dubium, quin aliquod praesidium romanae ecclesiae adscribatur. At cui praesidet? Prioribus verbis Ignatius solum dicit, ubi ecclesia illa existat: ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων. Posterioribus verbis dicit eam esse προκαθημένην τῆς ἀγάπης. Per genetivum coniunctum cum verbo προκαθῆσθαι ex usu linguae graecae indicatur locus vel societas, cui aliquis praesidet (cf. *Funk* in h. l.). Ergo romana ecclesia „caritati“ praesidet. Abstractum vocabulum ἀγάπη apud Ignatium occurrit ad significandos fratres vel fideles: „Salutat vos caritas (ἀγάπη) smyrnaeorum“ (Trall. 13, 1), i. e. fratres smyrnaei. Unde ex hac parte nihil obstat, quin hic quoque „caritas“ intellegatur coetus fidelium seu ecclesia; ex altera vero parte alia probabilis explicatio hucusque inventa non est; nam quod quidam volunt illa verba explicanda esse: „ecclesia, quae excellit caritate“, admitti nequit, tum quia vocabulum praesidendi non habet hunc sensum, tum quia in tali significatione articulus τῆς omissus esset. Ergo recte vertitur: „ecclesia, quae in territorio romanorum praesidet coetui fidelium.“

489. S. Irenaeus, postquam dixit apostolicam successionem facillime in ecclesia romana cognosci posse, haec addit: „Ad hanc enim [romanam] ecclesiam propter potentiorē [al. potiorē] principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio“ (Adv. haer. 3, 3, 2; *M* 7, 849). Quia in contextu S. Irenaeus tractat quaestionem, quomodo vera doctrina revelata a falsis doctrinis dignosci possit, et respondet hoc optime fieri recurrendo ad legitimos successores apostolorum et imprimis ad episcopos romanos, sensus istorum verborum est: Cum ecclesia romana propter potentiorē eius principalitatem omnes ecclesiae in fide consentire debent. Ergo cum principalitas ecclesiae in conservanda fide ex Irenaei mente nihil aliud sit nisi principalitas sedis episcopalis, per quam fides conservatur, sedes romana tanta in rebus fidei principalitate eminent, ut omnes undique fideles cum ea in fide convenire debeant. Textus graecus non exstat, sed ita fere reconstrui potest: Πρὸς ταύτην γὰρ τὴν ἐκκλησίαν διὰ τὴν ἰκανωτέραν (ὑπερτέραν) αὐθεντίαν ἀνάγκη ἐστὶν πᾶσαν ἐκκλησίαν συμβαίνειν (συμφωνεῖν), τοῦτ' ἐστὶν τοὺς πανταχόθεν πιστοὺς. Haec verba vel haud valde dissimilia ab Irenaeo scripta esse certum est. Quod enim ad vocabulum principalitatis attinet, ubicumque in scriptis Irenaei occurrit, significat auctoritatem; et ubi vocabulum graecum exstat, semel ἀρχή cum eadem significatione occurrit, plerumque αὐθεντία (cf. *Ottiger*, *Theologia fundam.* II 646 sq.). Ergo dubium non est, quin hoc quoque loco vocabulo principalitatis subsit notio auctoritatis (cf. *Acta et decreta concil., Collect. Lacensis IV, append. 19 sqq.*). „Convenire“ non posse localiter intellegi, quasi omnes

fideles Romam venire debeant, per se videtur evidens atque ab ipsis protestantibus conceditur (cf. *Massueti*, In Irenaeum dissert. 3, n. 31 sq.; *M* 7, 278 sqq.)<sup>1</sup>. Itaque secundum Irenaeum omnis ecclesia cum romana consentire debet in fide, et ratio huius rei est potentior principalitas ecclesiae romanae, qua fit, ut fides romana sit fides totius ecclesiae, utque in romana ecclesia ut in centro unitatis omnes fideles veram fidem conservent. Aliae quoque ecclesiae ab apostolis Petro et Paulo fundatae erant, id quod Dionysius episcopus testatur de corinthiorum ecclesia (*Eusebius*, H. E. 2, 25; *M* 20, 207), et idem notum est de antiochena ecclesia. Nihilominus romanae ecclesiae inter omnes potior principalitas convenit, ob quam cum ea omnes fideles in fide consentire necesse est. Quae sit ratio huius principalitatis, Irenaeus non indicat, sed neque nos hoc loco inquirimus. Dummodo constet ab antiquis temporibus ecclesiae romanae primatum adscriptum esse, iam scimus ex aliunde probatis, quae sit ratio huius primatus. Adversarii quidem saepe contra nos agunt, quasi dicamus totam vim primatus omni tempore theoretice tam explicatam et practice tam perfectam fuisse quam nunc est. At in hac doctrina non minus quam in omni alia progressum admittimus, et sufficit nobis, quod principia, ex quibus doctrina fluit, semper agnita fuerunt. Neque enim primatus est littera mortua documenti iuridici, sed est spiritus et vita (cf. de Irenaeo: „Der Katholik“ 1867 I 419 sqq.; *Hist.-polit. Blätter* LXXXIX 729 sqq.).

*Harnack* studet effugere vim huius argumenti dicendo Irenaeum non loqui de morali obligatione consentiendi cum ecclesia romana, sed de naturali aliqua consequentia (ἀνάγκη), vi cuius omnis ecclesia, quae conservavit traditionem apostolicam, necessario consentiat cum ecclesia romana, quippe in qua etiam conservata sit traditio apostolica. Potentior autem huius ecclesiae principalitas in eo est, quod est maxima, antiquissima, omnibus cognita, ab apostolis Petro et Paulo fundata. Illud „in qua“ in verbis Irenaei non refertur ad ecclesiam romanam, sed ad „omnem ecclesiam“. Unde sermo non est de ullo primatu iurisdictionis, quem habeat ecclesia romana (*Dogmengesch.* I, ed. 4, 486 sqq.).

<sup>1</sup> „Die wörtliche und deshalb näher liegende Fassung: jegliche Kirche muß zur römischen Kirche kommen, ist schwer erträglich“ (*Harnack*, *Dogmengesch.* I<sup>4</sup> 487). *G. Morin* (in *Revue Bénédictine* XXV 515 sqq.) studet ostendere illud alterum „qui sunt undique“ probabiliter per mendam irrepsisse in textum; illud vero „ab his“ esse litteralem versionem graeci ἀπὸ τούτων, et sensum esse „deinde“, ut Adv. haer. 2, 32, 2 (*M* 7, 827). Itaque totum locum sic legendum esse: „Ad hanc enim ecclesiam propter potiorē eius principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper deinde conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio“ (cf. *Theol. Revue* [Münster 1909] 94 sq. 126 sq. 190). Reicitur haec opinio a *Bardenheuer* (*Gesch. der altkirchl. Literatur* I<sup>2</sup> 425 nota). Cf. *Ottiger*, *Theologia fundam.* II 642, nota 7. *M. d'Herbigny* censet illa verba „ab his qui sunt undique“ corrigenda esse sic: „Ab episcopis qui sunt undecim“. Rationes exponit in *Revue Bénédictine* XXVII 103 sqq., et brevius De ecclesia II 159 sq. Ceterum ex illis verbis obscuris non pendet vis testimonii.

At imprimis falsum est illud ἀνάγκη ἐστίν, necesse est, et ἀναγκαῖον, necessarium, non posse significare moralem obligationem sed solam naturalem necessitatem. Sufficiens refutatio iam est dictum Pauli: ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι . . . διὰ τὴν συνείδησιν (Rom. 13, 5). Irenaeus vero ait: Gnostici ἡμῖν [catholicis] μὲν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀγαθὴν πράξιν ἀποφαίνονται (Adv. haer. 1, 6, 2; *M* 7, 505), ubi manifeste sermo est de morali obligatione. Ib. n. 4: ἀναγκαῖαν ἡμῖν τὴν ἐγκράτειαν καὶ ἀγαθὴν πράξιν (*M* 7, 512).

Sic in nostro textu (3, 3, 2; *M* 7, 849) sensus non est: „Non potest aliter fieri, nisi ut omnis ecclesia, habens veram traditionem apostolicam, cum ecclesia romana consentiat propter eius potentiorum principalem.“ Nam ad hanc logicam necessitatem nihil confert „potentior principalitas“. Omnes ecclesiae, quae conservarunt apostolicam traditionem, necessario inter se consentiunt; nam nisi consentirent, non conservassent eandem doctrinam. Traditio apostolica non est plus aut minus authentica, sed aut adest aut non adest. Irenaeus autem ecclesiae romanae attribuit potentiorum principalem praee omni alia ecclesia, et hanc potentiorum principalem ait esse rationem, propter quam omnis ecclesia debeat cum romana ecclesia consentire. Aliae ecclesiae possunt a recta doctrina deficere; unde si de aliis ecclesiis agitur, solus consensus ecclesiarum omnium est absolute certum argumentum. Sed in ecclesia romana est potentior principalitas, ob quam cum hac ecclesia necesse est omnem ecclesiam consentire, ut sit ecclesia vere apostolica.

Quantopere contorta et ab Irenaei sensu aliena sit Harnackii expositio ostendunt *C. A. Kneller* (Stimmen aus Maria-Laach LXXVI [1909] 402 sqq.), *Ottiger* (Theologia fundam. II 630 sqq.), *G. Esser* (Der Katholik 1917, I 289 sqq.; Theologie und Glaube XIV [1922] 344 sqq.).

490. Primatum romani pontificis illud quoque ostendit, quod *tot viri illustres iam primis saeculis Romam venerunt, ut romanum episcopum de rebus fidei et morum consulerent*. Ita „Aniceto romanae ecclesiae praesidente Polycarpum, qui etiamtum superstes erat, Romam venisse ob quaestionem quandam, quae de pascha inciderat, et cum Aniceto colloquium habuisse, tradit Irenaeus“ (*Eusebius*, H. E. 4, 14; *M* 20, 338. Verba Irenaei *M* 7, 852 1230 sq.). Similiter *Irenaeus* ad Eleutherum papam profectus est (cf. *M* 7, 183), *Hegesippus* Romam venit ad rectam doctrinam ibi investigandam, item circa finem saeculi II *Abercius* episcopus hieropolitanus, qui de se ait: Christus „Romam me misit, ut regiam contemplerer et reginam viderem stola aurea et calceis aureis indutam, et populum vidi ibi habentem sigillum splendidum“ (*De Rossi*, Inscript. christ. II 17)<sup>1</sup>. Cur hi et alii viri Romam venerunt ob quae-

<sup>1</sup> *Kirch*, Enchir. <sup>3</sup> n. 155. *Ficker* et *Harnack* negarunt hoc epitaphium esse christianae originis, sed eorum conatus illud referendi ad mysteria Attinis et Cybeles

stiones fidei et disciplinae, romanus vero episcopus numquam ad aliam ecclesiam se contulit, ut ibi edoceret? Nulla alia ratio est nisi primatus romanae sedis; ideo omnes illi Romam adibant, ut inde rectam fidem acciperent, sicut iam *S. Ignatius M.* ad romanos scribit (3, 1): „Neminem umquam fascinastis, alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis.“ Omnes haeretici studebant a romana ecclesia agnosci, quia secus se nihil effecisse bene sciebant; Romae haereses profligatae sunt; romanae doctrinae et disciplinae paulatim omnes ecclesiae, quantumvis forte ab initio repugnantes, cedere debebant. Haec patent ex historia montanismi, gnosticismi, ex quaestionibus de paschate, de rebaptizandis haereticis etc. Auctoritati romanorum pontificum in quibusdam rebus frustra resistere conati sunt tanti viri, quanti fuerunt Tertullianus, Hippolytus, Origenes, Cyprianus. Apud romanam sedem accusabantur episcopi, qui in suspicionem haeresis inciderant, ut e. g. Dionysius M., episcopus alexandrinus (cf. *S. Athan.*, De syn. nic. c. 26; *M* 25, 462).

491. *Cyprianus* Stephanum papam rogat, ut Marcianum, arelatensem episcopum, qui se Novatiano adiunxerat, deponat et excommunicet, id quod supponit in Stephano auctoritatem, quam nullus alius episcopus habebat: „Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus abstento [excommunicato] Marciano alius in loco eius substituat. . . . Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus“ (Ep. 68; *H* 2, 745 748). Idem rogat Cornelium papam, ne se circumveniri patiatur mendaciis quorundam sceleratorum et schismaticorum, qui in Africa damnati ad romanam sedem confugerant. „Quibus satis non fuit ab evangelio recessisse. . . . post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras fere nec cogitare eos esse romanos, quorum fides, apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum“ (Ep. 59, n. 14; *H* 2, 683). Similia scribit de Basilide et Martiale (Ep. 67, n. 5; *H* 2, 739). Haec omnia supponunt praerogativam sedis romanae, qualis nulli alii sedi episcopali competeat. Cf. supra n. 318 367<sup>1</sup>.

misere defecerunt. Quaestionem hanc diligenter tractatam et varia scripta de hac re edita accurate recensita invenies in *Études* (Paris 1897) I 433 sqq. Cf. *Zeitschr. für kath. Theologie* (Innsbruck 1897) 673 sqq.; *Batiffol*, L'Église naissante 209 sqq.

<sup>1</sup> *Harnack*, Lehrbuch der Dogmengesch. I<sup>4</sup> 493 sq. de Cypriano: „Eliminirt man aus den Constructionen Cyprians alles das, dem in seinem eigenen Sinne etwas Concretum nicht entspricht, so ist vor allem jede Prärogative des jeweiligen römischen Bischofs zu eliminiren. Was nachbleibt, ist die besondere Stellung der römischen Gemeinde, die freilich durch ihren Bischof repräsentirt wird.“ Quam falsa haec sint, ostendit *Ottiger*, Theologia fundam. II 653 sqq.

492. Cum Antiochia inter asseclas Pauli Samosatani et catholicos lis de possessione templi orta esset, Aurelianus imperator (270—275) decrevit, ut iis templum daretur, qui cum romana sede communionem haberent (*Eusebius*, H. E. 7, 30; *M* 20, 719; *Kirch*, Enchir. n. 443); unde apparet vel gentilibus primatum romanae ecclesiae notum fuisse. (Cf. supra n. 484 et „Der Katholik“ 1901 II 331 sqq.)

493. *Hieronymus* ad Damasum papam scribit: „Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communionem consocior. Supra illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est“ (Ep. 15; *M* 22, 355; cf. Ep. 16). *S. Ambrosius* et novem alii episcopi synodi mediolanensis (c. a. 389) ad Siricium papam: „Domino dilectissimo fratri Siricio papae Ambrosius, Sabinus, Bassianus et ceteri [Eventius, Maximus, Felix, Theodorus, Constantius, Geminianus, Eustasius]: Recognovimus litteris sanctitatis tuae boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serves et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant et sequantur. . . . Itaque Iovinianum, Auxentium . . . , quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse condemnatos“ (Ep. 42; *M* 16, 1124 sqq.). *Augustinus*: „In qua [romana ecclesia] semper apostolicae cathedrae viguit principatus“ (Ep. 43, n. 7; *M* 33, 163)<sup>1</sup>. Sed haec sufficiant. Cf. praeterea, si placet, *Vincent. Lirin.* (Commonit. c. 6; *M* 50, 645); *Cyrill. Alex.* (Ep. 11; *M* 77, 79); *Theodoret. Cyr.* (Ep. 113 116 118; *M* 83, 1314 1323 1327); *Mansi* (IV 1290); ea, quae dicta sunt supra n. 367; multa alia, quae exhibet *Ottiger*, Theologia fundam. II 678 sqq.

Unum adhuc testem audire iuvat, praeclarum theologum veteris ecclesiae orientalis, pro fide multa dira perpeccum, *S. Theodorum Studitam*, qui mortuus est (a. 826) brevi ante schisma Photii (nati 820). Insignis ille vir ad Leonem III pontificem scribit: „Quandoquidem Petro magno Christus Deus post claves regni caelorum pastoralis etiam principatus contulit dignitatem, ad Petrum utique vel eius successorem, quidquid in ecclesia catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri“ (L. 1, ep. 33; *M* 99, 1017). Ad Paschalem I: „Audi, apostolicum caput, a Deo praeposite pastor ovium Christi, ianitor regni caelorum; petra fidei, supra quam aedificata est catholica ecclesia. Petrus enim es tu, Petri sedem exornans et gubernans“ (L. 2, ep. 12; *M* 1152). Ad Michaellem imperatorem: „Nunc tempus acceptabile . . . ut uniamur vertici ecclesiarum Dei, Romae“ (L. 2, ep. 74; *M* 1309). Ad eundem imperatorem: „Si quid est eiusmodi, de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra pie a patriarchis

<sup>1</sup> S. Augustini doctrinam de primatu romani pontificis exponit *Th. Specht*, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustinus (Paderborn 1892) 184 sqq. De S. Ioannis Chrysost. doctrina agit *N. Marini*, Il Primato di S. Pietro et de sui successori in S. Giovanni Chrisostomo (Roma 1919); cf. Zeitschrift für kath. Theologie 1919, 712.

dissolvi posse, iubeat . . . a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit. Haec enim . . . suprema est ecclesiarum Dei, in qua Petrus primus sedem tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram . . . (L. 2, ep. 86; *M* 1332). Ad Leonem sacellarium: „Quod si . . . deflexit a veritate Nicephorus patriarcha, mittenda est ad Romanum [pontificum] ex utraque parte legatio, et inde fidei accipienda certitudo“ (L. 2, ep. 129; *M* 1420). De haereticis iconomachis, qui se noluerunt Romani pontificis iudicio subicere, ait: „Testor nunc coram Deo et hominibus: seipsos avulserunt a corpore Christi et supremo verticali throno, in quo Christus claves posuit fidei, adversus quam non praevaluere hactenus nec praevalerunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus et nomine suo dignus Paschalis [pontifex], quoniam Petri opus adimplevit“ (L. 2, ep. 63; *M* 1282). Similia multis aliis locis scribit. Cf. *G. A. Schneider*, Der hl. Theodor von Studion, Münster i. W. 1900, 107 sqq.

494. Adversarii quidem primatus omni conatu student singula testimonia enervare: at hic ipse conatus adversariorum argumentum est doctrinae, quam impugnant. Quae enim in orbe terrarum est vel fuit alia sedes episcopalis, ad cuius primatum impugnandum tanta multitudo testimoniorum omni artificio critico et exegetico tenuanda et ad minimam, quae excogitari potest, vim reducenda est? Ingens haec opera, quae contra solam sedem romanam impenditur, perspicue ostendit, quam praeclarum locum episcopatus romanus omni saeculo christianae religionis obtinuerit. Cur enim adeo sudant et algent in primatu romani pontificis negando, nisi quia tot testimonia huius primatus ex omni saeculo adsunt?

#### V. CONCILIA OECUMENICA PRIMATUM ROMANI PONTIFICIS AGNOVERUNT.

495. Cum probaverimus concilia esse infallibilia, consequenter primatum romani pontificis esse admittendum cum absoluta certitudine inde efficitur, quod concilia ita docuerunt. Non prima quidem concilia primatum romanum statim formaliter definiverunt, sed practice agnoverunt; postquam vero haec doctrina in dubium vocata est, etiam definitiones factae sunt.

De concilio ephesino iam supra dictum est (n. 367); item de concilio chalcedonensi (n. 449 455), cuius Patres Leonem vocant caput suum, se vero filios eius (*M* 54, 951 959). Patres concilii constantinopolitani III de Agathone dicunt: „Summus nobiscum concertabat apostolorum princeps; illius enim imitatore et sedis successorem habuimus fautorem et divini sacramenti illustrantem per litteras. Confessionem tibi [Constantino] a Deo scriptam illa romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem a vespertinis partibus extulit charta; et atramentum videbatur et per Agathonem Petrus loquebatur“ (*Hardouin* III 1422 sq.; *Denz.* n. 288 nota 2). In conc. nic. II lectae sunt litterae

*Adriani* papae, in quibus ait: „Cuius [Petri] sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens effulget et caput omnium ecclesiarum Dei consistit“ (*Denz.* n. 298; *Hardouin* IV 102). Litteris lectis legati pontificii interrogarunt: „Dicat nobis sancta synodus, si admittit litteras sanctissimi papae senioris Romae, annon.“ Synodus respondit: „Sequimur et suscipimus et admittimus“ (ib. 103). In epistula ad imperatores idem pontifex ait: „Ipse princeps apostolorum beatus Petrus, qui apostolicae sedi primus praesedit, sui apostolatus principatum ac pastoralis curae successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit; quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit ac tradidit divino iussu successoribus pontificibus“ (ib. 82). *Tarasius* vero, episcopus constantinopolitanus, in litteris ad Adrianum rescriptis ait: „Vestra fraterna et summo pontificio decorata sanctitas“ (ib. 510), et vocat eum Petri successorem, „cuius cathedram sortita est fraterna sanctitas vestra“ (ib. 514). In *concilio constantinopolitano IV* actione prima a patribus graecis et latinis recepta est formula *Hormisdæ* papae, cui iam initio saeculi VI Ioannes Constantinopolitanus et multi alii episcopi orientales subscripserant. Inter alia autem formula haec habet: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. . . . Unde probamus et amplectimur epistulas omnes beati Leonis papae urbis Romae, quas conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut praediximus, sequentes in omnibus sedem apostolicam et praedicamus omnia, quae ab ipsa decreta sunt; et propterea spero in una communiione vobiscum, quam apostolica sedes praedicat, me futurum, in qua est integra christianae religionis et perfecta soliditas“ (*Thiel*, Epistulae Rom. Pontif. I 853 sq. Cf. *Denz.* n. 171 sq.).

496. Ut multa alia omittamus, in *concilio lugdunensi II* approbata est professio fidei Michaelis Palaeologi, in qua haec leguntur: „Ipsa sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in B. Petro, apostolorum principe sive vertice, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri; et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae“ (*Denz.* n. 466).

497. *Concilium florentinum* in decreto unionis: „Diffinimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse B. Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur“ (*Denz.* n. 694). Textus latinus huius definitionis est originalis; graecus vero est versio. Propterea nihil agunt, qui volunt ostendere in textu graeco illa verba „quemadmodum etiam“ esse restrictiva: Καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμένων συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται, quasi sensus sit: plenam potestatem romano pontifici traditam esse cum ea restrictione, quam docent concilia oecumenica; quem sensum ne graeca quidem verba prae se ferunt.

Verba conciliorum constantinopolitanum IV, lugdunensis II, florentini repetit et *confirmat vaticanum* sess. 4, c. 4 (*Denz.* n. 1832 sqq.). Itaque primatus romani pontificis est articulus fidei definitus (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 409 sqq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 697 sqq.).

#### VI. ROMANUS PONTIFEX IURE DIVINO TENET PRIMATUM.

498. Quaestio, utrum romanus pontifex sit successor S. Petri in primatu iure divino an iure humano, *duplicem sensum* habet: a) num iure divino existat in ecclesia successor S. Petri in primatu; b) num iure divino haec successio alligata sit sedi romanae potius quam alii. Prima quaestio soluta est. Itaque illo sensu, sine dubio romanus pontifex, qui solus est successor S. Petri, iure divino tenet primatum; nam, ut legitur in *decreto gelasiano* quod vocant: „Sancta romana catholica et apostolica ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquit . . .“ (*Denz.* n. 163; cf. 332). Ergo si interdum dicitur primatus esse penes romanam sedem ex „Patrum decretis“, intellegenda sunt decreta docentia, non constituentia, ut ait *Innocentius I*: „Quod illi [Patres] non humana, sed divina decrevere sententia“ (Ep. 29, n. 1. *Constant* I 889; *Denz.* n. 100). Plura apud *Franzelin*, De eccl. 168 sqq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 798 sqq.

499. Itaque suppositis his duobus articulis fidei, quod Christus instituit primatum et perpetuam in primatu successionem, iam sequitur tertium, *quod in hoc praesenti ordine romani pontifices iure divino sunt successores S. Petri in primatu*, quia voluntas Christi respicit omnes illas determinatas personas, quae legitimo modo S. Petro succedunt. Ideo „non solum fide humana sed etiam divina credendum est romanum pontificem esse caput visibile ecclesiae vice Christi, quia signa illa,

quibus hoc caput ostendimus, faciunt credibile evidenter illum esse, quem Christus ex vi suae institutionis vicarium suum constituit. Hoc ergo modo dicimus assertionem positam esse de fide et in Scriptura adiuncta ecclesiae traditione sufficienter contineri" (*Suarez*, Defensio fid. cath. 3, 13, 6). Hoc patet ex iis, quae in tractatu de fide docentur de materiali obiecto fidei, posse scilicet omne id fide divina credi, quod nihil est nisi particularis applicatio veritatis revelatae universalis. Cf. VIII 272 sqq.

500. At numquid etiam fide credendum est primatum ita annexum esse romanae sedi, ut ne per summi pontificis quidem potestatem ad aliam sedem transferri possit? Dominicus Sotus censuit per ecclesiae auctoritatem posse primatum separari a romana sede (In 4, dist. 24, q. 2, a. 5). Haec Soti sententia Gregorio de Valentia videtur „singularis nec vero satis tuta" (Analys. fid. 7, 12). *Suarez* non vult quaestionem decidere, sed solum dicit neminem papa inferiorem posse talem translationem efficere (Defensio fid. cath. 3, 13, 11). *Bellarminus* dicit: „Non credimus umquam futurum, ut sedes alio transferatur" (De Rom. Pontif. 2, 12). *Benedictus XIV*: „Non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt praefatam connexionem [primatus cum sede romana] ita esse de iure humano, ut possit ab ecclesia dissolvi et una ab altera separari" (De syn. 2, 1, 1). *Palmieri*: „Quod prae ceteris romanus pontifex is sit, qui Petro in primatu succedit, veritas est immutabilis in ecclesia; nihilque obstat, quominus haec veritas revelata censeatur" (De Rom. Pontif. thes. 9, p. 490). *Franzelin* ad quaestionem: utrum ne per romanum quidem pontificem primatus a romana sede separari possit: „Respondemus id dogma definitum de fide hactenus saltem non esse; esse tamen veritatem theologiam, quae ex modo, quo ipsum dogma de primatu romanorum pontificum seu romanae ecclesiae in documentis ecclesiasticis enuntiatum est, legitime deducitur" (De eccl. 202).

Ultra hanc ultimam assertionem certe non est progrediendum; nam numquam concilia voluerunt definire hanc quaestionem, sed ubi in conciliis agebatur de primatu, id agebatur, ut doceretur primatum eumque perennem a Christo institutum esse, et in hoc ordine rerum primatum esse penes romanum pontificem. Quaestio autem, num primatus absolute ad aliam sedem transferri possit, hucusque non fuit obiectum definitionis conciliaris.

501. Si attenditur modus, quo dogma propositum est, semper et ubique haec duo: primatus Petri et episcopatus romanus, considerantur ut inseparabiliter nexa et sola ratione distincta. Quod enim concilium vaticanicum definivit: „S. q. d. . . . romanum pontificem non esse B. Petri in eodem primatu successorem, A. S." (Denz. n. 1825), idem constanter per multa saecula in ecclesia semper dictum et creditum est. Si vero

aliquando transferretur primatus ad aliam sedem, non iam vera esset haec sententia toties in scriptis Patrum et theologorum repetita et sollemni modo ab ecclesia proposita: romanus pontifex est successor Petri in primatu; ecclesia non iam esset romano-catholica, sed fortasse parisiensis-catholica, plurimae fidei professiones essent mutandae. Haec autem videntur intolerabilia et sensui catholico repugnantia. Ergo constans illa praedicatio ecclesiae postulat, ut dicamus primatum sedi romanae esse immutabiliter annexum. Adde prop. 35 Syllabi: „Nihil vetat alicuius concilii generalis sententia [sine consensu romani pontificis] aut universorum populorum facto summum pontificatum ab romano episcopo atque urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri" (Denz. n. 1735). De hac prop. cf. *Franzelin*, De eccl. 215. Alia apud *Ottiger*, Theologia fundam. II 864 sqq.

502. Est autem notandum aliud esse romanum esse pontificem et aliud Romae residere. Potest enim romanus pontifex ob iustas causas alibi quam Romae habitare, dummodo maneat episcopus romanus. Neque confundenda est ecclesia romana cum urbe romana materialiter spectata. Haec enim, etsi totaliter destrueretur, posset tamen manere romana ecclesia, i. e. plebs fidelis sub suo episcopo. Eodem autem modo, quo certum est primatum esse inseparabiliter annexum ecclesiae romanae, eodem modo certum est hanc ecclesiam non esse interituram, ita ut saltem semper supersit legitimus episcopus romanus.

503. Sed quomodo factum est, ut primatus cum romana sede coniungeretur? Si haec coniunctio est immutabilis, aliquo modo a Christi voluntate repetenda est; nam si actu voluntatis pure humanae coniunctio facta esset, voluntate quoque humana solvi posset. Itaque Christus aut simpliciter indicavit cum romana sede coniungendum esse primatum, aut S. Petro iniunxit, ut ipse eligeret sedem, cuius deinceps episcopi essent successores eius in primatu. Utam viam Christus elegerit, nos latet. Petrus autem debuit suam vel Christi voluntatem ita manifestare, ut visibili modo ecclesiae innotesceret, quis post mortem Petri eius successor esset. Similiter alii apostoli hanc veritatem nosse et praedicare debebant. Sic factum est, ut haec veritas semper et ubique ab ecclesia tradita sit (cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 400 sqq.). Ecclesia autem semper credit eum esse successorem Petri, qui in cathedra Petri sederet, i. e. eum, qui post mortem Petri successisset in ea cathedra, quam Petrus sibi cathedram primatiam elegerat. Itaque iure divino, aut praeventente quemlibet actum humanum aut saltem consequente actum Petri eumque specialiter confirmante, romanus pontifex est successor Petri in primatu.

Quaestio autem, quomodo designetur is, qui succedat in sedem S. Petri, seu quomodo eligendus sit romanus pontifex, tractatur in iure canonico. Cf. in appendice codicis iuris canonici „Documentum I".

504. *Schol. 1.* De canone 28 concilii chalcedonensis.

In concilio nicaeno canonibus 4 5 6 iura patriarchalia variarum urbium determinata erant. Contra hos canones episcopi graeci in concilio constantinopolitano I constituerant, ut post romanum episcopum episcopus constantinopolitanus praerogativas honoris haberet, „propterea quod sit nova Roma“. Idem rursus decretum est in concilio chalcedonensi can. 28 contradicentibus legatis apostolicae sedis et nonnullis episcopis orientalibus. De qua re episcopi concilii chalcedonensis scribunt ad Leonem M.: „Confirmavimus autem et 150 SS. Patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam sub pia memoriae maiore Theodosio, quae praecepit post vestram sanctissimam et apostolicam sedem honorem habere constantinopolitanam. . . . Qui enim locum vestrae sanctitatis obtinent, sanctissimi episcopi Paschasinus et Lucentius, et qui cum iis est, reverendissimus presbyter Bonifatius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt. . . . Rogamus igitur: et tuis decretis nostrum honora iudicium, et sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat“ (M 54, 957 sq.). Respondet S. Leo: „De custodiendis SS. Patrum statutis, quae in synodo nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut iura ecclesiarum, sicut ab illis 318 Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. . . . Quorum regulis apostolica sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus constantinopolitani antistitis conatus reppuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere et me auxiliante Domino catholicae fidei et paternarum constitutionum esse custodem“ (Ep. 114; M 54, 1029 sqq.). Ex his patet: a) Chalcedone agnitum esse primatum romanae sedis; b) ibi actum esse de iuribus patriarchalibus variarum urbium; c) canonem 28 reiectum esse a summo pontifice ideoque nullius esse auctoritatis. Unde factum est, ut canon e codicibus ecclesiae orientalis expunctus sit. Continentur autem in illo canone alia quoque falsa vel ambigua, et manifestantur in eo prima semina discordiae, quae tandem desiit in schisma orientalium (cf. Palmieri l. c. 419 sqq.; Ottiger, Theologia fundam. II 712 sqq.).

505. *Schol. 2.* De distinctione inter sedem et sedentem.

Hac distinctione nonnulli abusi sunt ad adstruendos errores de summo pontifice, quasi praerogativae variae et maxime indefectibilitatis in fide alligatae essent sedi apostolicae, non vero singulis sedentibus in ea. Ita gallicani, iansenistae, febroniani, alii. Iuvat igitur breviter indicare, quo sensu sedentes a sede distinguendi sint, quo sensu non sint.

a) *Praerogativae sedis non pendent a meritis sedentis*, et ita in sede sancta possunt sedere homines minime sancti. Nam cum sedens significet concretam personam, sedes vero institutum cum suis iuribus in abstracto, sedes habet suas perennes (et si de romana sede agitur,

immutabiles) proprietates, sedens vero alius est aliis temporibus. Unde S. Leo scribit nihil sedi ut tali perire dignitatis (a Deo vel ecclesia concessae) eo, quod in ea aliquando sedeat impius homo. Ita Dioscori impietas obscurare non potuit dignitatem alexandrinae sedis; „aliud est enim sedes, aliud praesidentes“ (Ep. 106, 5; M 54, 1007). „Etsi enim diversa nonnumquam sunt merita praesulum, iura tamen permanent sedium“ (Ep. 119, 3; M 54, 1043).

b) *Romanus pontifex a sede apostolica distinguitur, quatenus ille moritur, haec vero immutabili iure permanet.* Mortuo pontifice sedes vacat, i. e. manet in Christo voluntas et in ecclesia obligatio, ut constituatur novus pontifex, in quem integra iura primatus transeant; manent quoque iura et potestates a summo pontifice cum inferioribus pastoribus communicatae, sed potestas pontificia interim in nullo subiecto inest. Manent interim in ecclesia omnia, quae necessaria sunt ad veram fidem et rectam disciplinam conservandam et ad novum pontificem constituendum; at non adest actu potestas faciendi ea, quae sine pontifice fieri nequeunt, ut definitiones conciliares.

c) *Nulla modo admittenda est distinctio illa, quasi sit praerogativa sedis, quam qui est pontifex non habeat.* Christus enim unum particularem hominem constituit caput ecclesiae, eique praerogativas convenientes contulit, et hanc constitutionem ecclesiae perennem esse voluit. Itaque praerogativae primatus neque in communitate fidelium resident neque in tota serie pontificum simul sumpta, sed in quolibet pontifice, qui hic et nunc est caput ecclesiae. Pontifex quilibet morte sua amittit omnem iurisdictionem in ecclesiam, unde iurisdictionem ne Sanctus quidem Petrus ullam habet; iurisdictio autem tota quanta transit in legitimum successorem. Quia actu unus tantum est pontifex, i. e. ille, qui actu est episcopus romanus, ideo actu nullae adsunt praerogativae primatus nisi in episcopo romano. Ceterum post concilium vaticanum sustinere velle illam inanem distinctionem inter sedem et sedentem esset aperta haeresis (cf. Straub, De ecclesia Christi I, n. 598 sqq.).

506. *Schol. 3.* De papa dubio.

Cum ecclesia ex institutione Christi sit societas essentialiter visibilis et visibile caput habere debeat, is tantum pontifex legitime electus censi potest, qui ita electus est, ut citra dubium validitas electionis eius cognosci possit. Ergo quamdiu dubium manet, utrum facta sit legitima electio necne, electus non est pontifex, nam „dubius papa habetur pro non-papa“ (Bellarm., De conc. 2, 19, ad 3 arg. Gerson.). „Tempore concilii constantiensis tres fuerunt praetensi pontifices. . . . Unde etiam fieri potuit, ut nullus eorum esset certus pontifex atque adeo nec pontifex, quia nondum aliquis eorum erat sufficienti consensu ecclesiae receptus“ (Suarez, Defensio fid. cath. 3, 18, 7). Ex hoc principio theologi communiter explicant ea, quae ad finiendum

magnum schisma facta sunt in concilio constantiensi. Haec tamen explicatio ita tantum valet, si Urbanus VI ab initio erat pontifex dubius. Nam si semel legitimus pontifex erat agnitus ideoque verus pontifex, non iam potuit ab ulla auctoritate dignitate sua privari. Tota igitur quaestio ad hoc revocatur, utrum ab initio fuerit pontifex dubius necne, de qua re videndum est in historia ecclesiastica. De dubio autem iudicare debent legitimi cardinales vel, si ipsi desunt, episcopi in unum collecti.

Is autem, qui sine dubio electus est pontifex legitimus, dignitatem suam non potest amittere nisi a) voluntaria resignatione<sup>1</sup>, ut Coelestinus V, b) aperta haeresi, qua cessat esse membrum ecclesiae, quod tamen, quamvis ex conceptu non repugnet, reapse permitti posse a divina providentia multi theologi merito negant aut valde dubitant (cf. Pighius, De ecclesiastica hierarchia l. 4, c. 6 et 8), c) amentia, d) morte (cf. Bellarm., De Rom. Pontif. 2, 30; De conc. 1, 14; Phillips, Kirchenrecht V 714 sqq.; Franzelin, De eccl. 230 sqq.; I. Laurentius, Institutiones iuris eccl., ed. 3, n. 135 sqq.).

**Prop. XLVI. Romanus pontifex ex cathedra loquens eadem infallibilitate pollet qua ecclesia docens.**

507. *Sensus propositionis. Concilium vaticanum sess. 4, c. 4* definivit: „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: romanum pontificem, cum ex cathedra loquitur, i. e. cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae, irreformabiles esse“ (Denz. n. 1839).

His verbis ipsa vis doctrinae de infallibilitate romani pontificis clare explicatur. *Obiectum infallibilitatis* est idem atque obiectum infallibilis definitionis ecclesiae docentis, i. e. conciliorum oecumenicorum vel episcoporum dispersorum, ut supra expositum est.

*Ex cathedra* loquitur pontifex, cum pro suprema sua auctoritate universae ecclesiae doctrinam credendam vel tenendam proponit. Romanus enim pontifex potest diversis modis doctrinam tractare: potest mere ut doctor privatus librum conscribere eumque eodem modo disputationi sapientium tradere, quo quilibet alius theologus, quemadmodum Benedictus XIV de opere suo „De synodo dioecesana“ diserte declaravit. Maiore auctoritate utitur pontifex, cum contiones vel catecheses habet, quia ad munus episcopale pertinet doctrinam Christi praedicare. Etiam maiore auctoritate utitur, cum e. g. ab episcopo

<sup>1</sup> Cf. Codex iur. can., can. 221.

de re dubia interrogatus, ex officio supremi pastoris respondet, at non pro tota plenitudine auctoritatis ad obligandam totam ecclesiam. Immo etiamsi pontifex encyclicas mittit ad universam ecclesiam in iisque quaestiones doctrinales tractat, nequaquam censendus est velle omnes eiusmodi quaestiones dogmatice definire; sed haec intentio definiendi ex ipsis verbis debet indubie manifestari, quamvis certae formulae non requirantur, ut supra dictum est de conciliis (cf. Franzelin, De trad. 119 sq.; Phillips l. c. V 54 sqq.; Choupin, Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège, Paris 1907, 24 sqq.).

Pontifex non est eo sensu *personaliter infallibilis*, quasi ad ipsius utilitatem infallibilitas ei data sit, cum subiectum utilitatis sit tota ecclesia, neque quasi ipsi inhaereat aliquis habitus, quo fiat infallibilis, sed eo sensu, quod ipse ex assistentia divina ipsi in Petro promissa, non autem ex consensu ecclesiae, est infallibilis. Quamvis enim, si quid pontifex ex cathedra definit, obiective consensus ecclesiae numquam desit, quia non aliud sentit ecclesia, aliud caput eius, tamen non ideo pontifex est infallibilis, quia ab ecclesia in ipsum derivatur infallibilitas, cum non ipsum ecclesia, sed ipse ecclesiam docere debeat.

508. *Argumenta ex S. Scriptura* sunt eadem, quibus supra probavimus Christum primatum perennem in ecclesia instituisse. Nam si primatus est fundamentum ecclesiae, quo ecclesia solidatur contra omnes impugnationes infernarum potestatum (Matth. 16, 18), per primatum ecclesia imprimis in vera fide servanda est. Ergo summus pontifex ex cathedra loquens infallibilis sit necesse est. Fac enim romanum pontificem pro suprema sua auctoritate falsam doctrinam ecclesiae credendam vel tenendam proponere; aut ecclesia oboedit: iam cum pontifice errante in errorem labitur et superata est per potestates adversas, aut non oboedit: iam destructa est unitas et hierarchica subordinatio a Christo instituta. — Similiter inde quod Petrus eiusque successores habent claves regni (Matth. 16, 19), i. e. praeter alias potestates etiam potestatem docendi in summo gradu, sana ratio concludit Deum non potuisse tantam potestatem hominibus dare, nisi voluerit etiam providentia sua cavere, ne hi homines hac potestate totam ecclesiam in errorem inducerent. — Idem valet de potestate collata illis verbis: „Pasce agnos meos, pasce oves meas“ (Io. 21, 15 sqq.), quia Christus non potuit velle permittere, ut supremus pastor a se constitutus, quem omnes sequi debent, gregem non salutari doctrina nutriret, sed veneno erroris interficeret. Sufficiat hoc loco haec pauca notasse, quia isti textus iam antea explicati sunt. Iuverit tamen in memoriam revocare textum illum (Matth. 16, 18) iam initio saeculi VI ab episcopis 2500 (in fine acaciani schismatis; cf. Migne, P. L. 67, 1251; Döllinger, Kirchengeschichte I, ed. 2, 179) et postea a concilio VIII ut argumentum adduci pro infallibilitate romanae sedis.

Illi enim episcopi subscripserunt et hoc concilium acceptavit formulam Hormisdæ papæ, in qua occurrunt hæc verba: „Prima salus est rectæ fidei regulam custodire. . . . Quia non potest D. N. Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio“ (Thiel, Epist. Rom. Pontif. 853; Denz. n. 171). Itaque quod in sede apostolica inviolata semper servatur religio, refertur ad dictum Christi: Tu es Petrus. Conclusio vero est: „Propterea spero in una communione vobiscum, quam apostolica sedes prædicat, me futurum, in qua est integra christianæ religionis et perfecta soliditas, promittens in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiæ catholice, i. e. in omnibus non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria“ (Thiel l. c. 854. Denz. n. 172; cf. conc. vatic. sess. 4, c. 4; Denz. n. 1833).

509. Restat aliud dictum Christi, quod magis diserte refertur ad munus magisteriale Petri (Luc. 22, 31-32): Εἶπε δὲ ὁ Κύριος Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ ὁ Σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς τοῦ σιναῖσαι ὡς τὸν σίτον· Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήρισον τοὺς ἀδελφούς σου.

*Petrum solum alloquitur Christus* eique, cui munus primatiale iam promiserat, specialem quoque assistentiam promittit et speciale officium ei iniungit ad hoc munere debite fungendum. Petrus iam pridem destinatus erat, ut esset fratrum suorum *primas* et ut primas fundamentum eorum in fide. Hæc est ratio, cur Christus pro eo solo rogaturum se promittit, cum reliqui per caput suum sint firmandi. Quam olim Christus prædixerat pugnam portarum inferi contra ecclesiam, hanc iterum indicat: „Ecce, satanas expetivit vos.“ Hoc non referri (saltem exclusive) ad tempus passionis, sed potius intellegi de persecutionibus ecclesiæ, patet ex Io. 16, 1 sqq.: „Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini; absque synagogis facient vos. . . .“ In hac igitur pugna „aliquando“, ποτέ, Petrus debebat confortare fratres suos in fide, scilicet inde ab eo tempore, quo ei dictum fuerat: „Pasce oves meas“, et quo Spiritum Sanctum acceperat. Illa autem impugnatio non poterat solis viribus humanis superari; propterea Christus Petro non auctoritatem tantum supernaturalem concessit, sed etiam speciale adiutorium oratione sua obtinendum promisit.

Quod ad singula verba textus attinet: „*cribrare sicut triticum*“, est metaphora, quæ ex contextu significat vehementes tentationes, quibus satanas petiturus est apostolos et omnes, qui eorum verba recipient. Ut autem in hac pugna omnes fideles firmi permaneant, Christus pro Petro rogat, ut imprimis ipse sit firmus in fide et dein vicissim reliquos fratres confirmet. Στηρίζειν est metaphora, quæ eandem significationem habet atque metaphora fundamenti (Matth. 16, 18), i. e. Petrus

a Christo confortatus debet esse ratio soliditatis in fide pro fratribus suis, i. e. pro ecclesia.

Illud ἐπιστρέψας aliter ab aliis intellegitur. *Alii* explicant de conversione a lapsu; at imprimis Christus hic non loquitur de lapsu Petri, qui apud Lucam in sequentibus tantum commemoratur, sed potius dicit se oratione sua impetraturum esse, ut Petrus non labatur in fide. Dein ἐπιστρέφειν sine addito ἐπὶ τὸν θεόν vel simili termino et solum positum sine alio verbo numquam occurrit apud S. Lucam ad significandam conversionem (Luc. 1, 16. Act. 3, 19; 9, 35; 11, 21; 14, 14; 15, 19; 28, 27). Tandem quid significat illud „et tu *aliquando* [indefinito tempore] conversus“?

*Alii* censent ἐπιστρέψας esse idem ac „vicissim“ et putant esse graecam versionem vocabuli שׁוּב. At hoc non potest esse; nam שׁוּב non significat „vicissim“, sed „iterum“ vel „denuo“, et hoc tum solum, cum illud verbum, quocum coniungitur, iam semel præcessit, ut si scriptum esset: confirma et iterum confirma. Neque ullus textus graecus e novo testamento afferri potest, in quo verbum ἐπιστρέφειν habeat similem sensum. Tandem cur Lucae, homini graeco, hunc hebraicum cogitandi modum sine necessitate subiciamus?

Ergo nihil remanet, nisi ut verbum ἐπιστρέφειν sumatur naturali et obvio sensu: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando converte te ad fratres tuos et confirma eos in fide; quæ quidem explicatio cum præcedenti secundum rem fere coincidit, sed illum superfluum et improbabilem recursum ad textum hebraicum vitat (cf. Passaglia, De prærog. S. Petri 549 sqq.; Schanz, Ev. Luc. in h. l.). Vel exponi potest: Converte fratres tuos et confirma eos (cf. Ottiger, Theologia fundam. II 125 sqq.).

Itaque Petrus ut primas ita fundatur in fide, ut soliditatem toti ecclesiæ conferre possit. Ergo ea fides intellegitur, quæ requiritur ad alios docendos et firmandos. Hæc autem non est nuda virtus fidei, sed est illa *certitudo in rebus fidei*, qua fit, ut possit Petrus authentice ecclesiam docere eamque ab errore in fide præservare. Atqui ad hoc requiritur, ut Petrus sit infallibilis. Munus autem confirmandi fratres in fide non magis necessarium erat temporibus Petri quam omnibus subsequentibus temporibus. Ergo sicut primatus Petri usque ad finem mundi permanere debet, ita etiam illa infallibilitas, qua primas possit confirmare fratres in fide (cf. Knabenbauer, Comment. in Luc. 580 sqq.).

510. Quaeri potest, *num etiam ipsi apostoli comprehendantur illo „fratres tuos“*. At non est dubium, quin ita sit. Nam cum Christus dixisset: „satanas expetivit vos“, iisque verbis allocutus esset apostolos, non est cur excludantur apostoli, ubi adicit: „tu vero confirma fratres tuos“. Suntne igitur apostoli a Petro confirmati? Sine dubio; nam in solo Petro fundatur tota ecclesia, ipse omnium est fundamentum,



omnium pastor. Ergo, quantavis firmitatem apostoli in se habeant, eam non habent independentem a Petro, sed ut supraedificati super hoc fundamentum. Praeterea cum Christus hic de apostolis loquatur, non prout personalibus praerogativis praediti erant, sed in quantum erant repraesentantes ecclesiam militantem in terra, ita verba sunt intellegenda, ut valeant de eorum munere ordinario, quod permanens est in ecclesia. Quamvis igitur Christus loquatur etiam de apostolis, non loquitur de iis ut apostolis sed ut episcopis, qui subiecti sunt Petro ut primati. Itaque primas ecclesiae principium firmitatis in fide erit proxime pro magisterio ecclesiastico, dein per hoc pro tota ecclesia, in quantum a Christo constitutus est caput ecclesiae et oratione Christi in fide confirmatus. Tale autem principium nequit esse primas ecclesiae, si ipse quoque in sollemnibus fidei definitionibus errare potest. Ergo non potest errare, sed est infallibilis (cf. *Passaglia* l. c. 566 sqq.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. 351 sqq. 602 sqq.; *J. Margreth*, Das Gebetsleben Jesu Christi 229 sqq.).

511. Ceterum haec explicatio non est nova, sed iam diu consensu ecclesiae stabilita. Ita e. g. *Cyrillus Alex.*: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, i. e. firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt“ (In Luc. 22, 32; *M* 72, 915). *Gelasius* papa Ep. 4 ad Honorium, Dalmatiae episcopum: „Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus, pro sedis tamen apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: „Et tu conversus confirma fratres tuos“, et item: „Petre, amas me? Pasce oves meas“: dissimulare nec possumus nec debemus, quae nostram sollicitudinem forma perstringat...“ (*Thiel*, Epist. Rom. Pontif. 321). Iam ante *Leo M.* in oratione quadam dixerat illis verbis Christi „Et tu conversus confirma fratres tuos“ firmissimum praesidium fidei totius ecclesiae provisum esse: „Rationabiliter laetamur, gratias agentes sempiterno regi Redemptori nostro, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius ecclesiae principem fecit, ut, si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur recteque disponitur, illius operibus, illius gubernaculis sit deputandum, cui dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos“ (Serm. 4, 4; *M* 54, 152). *Theodorus Studita* scribit ad Paschalem pontificem: „Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus; opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus“ (*M* 99, 1153). — Haec pauca sufficienter ostendunt non esse recens inventam explicationem, qua illa verba Christi non ad Petrum ut hominem privatum, sed potius ut ad primatem ecclesiae referantur. Alia multa vide apud *Schrader*, De unit. rom. II 198 sqq.

512. *Argumenta ex traditione.*

*SS. Patres et theologi infallibilitatem romanae sedis seu romani pontificis saepe docuerunt*, licet non semper eodem explicito et deserto modo. Ita si *S. Irenaeus* (supra n. 489) dicit necesse esse omni ecclesiae cum ecclesia romana propter potentiorum eius principalitatem in fide consentire, et fidem ecclesiae romanae esse „plenissimam ostensionem“ fidei apostolicae, quid hoc est aliud nisi dicere ecclesiam romanam esse infallibilem fidei normam? Tota autem ecclesiae auctoritas, ut *Irenaeus* ibidem exponit, residet in episcopo (supra n. 351). Ergo infallibilitas, quae ecclesiae romanae convenit, episcopo eius convenit. Similiter si *Cyprianus* docet Petri cathedram et romanam ecclesiam esse principium unitatis sacerdotalis et ad eam non posse accessum habere perfidiam, i. e. haeresim et schisma (Ep. 59, 14; *H* 2, 683), nonne haec est doctrina de infallibilitate romanae sedis aliis verbis expressa? Et si forte *Cyprianus* in disputatione cum *Stephano* papa huic principio non semper fidus mansit, *Cyprianus* iratus per *Cyprianum* peccatum corrigendus est. — Similia sunt testimonia *Ambrosii*, *Optati Milev.*, *Hieronymi*, aliorum, quae iam audivimus (supra n. 367 402 414 493). Addatur his *S. Augustinus*, qui de causa *Pelagii* ait: „Inde [Roma] rescripta venerunt, causa finita est; utinam aliquando finiatur error“ (Sermo 131, 10; *M* 38, 734). „De hac re litteris beatae memoriae papae *Innocentii* dubitatio tota sublata est“ (Contra duas epist. Pelag. 2, 3, 5; *M* 44, 574). Multa alia apud *Schrader*, De unit. rom. II 216 sqq.

Ut ex posterioribus quoque saeculis aliqua documenta habeantur, *Georgius Trapezuntius* saeculo XV „De processu Spiritus Sancti et de una sancta catholica ecclesia“ n. 9 et 10 scribit: „Universalem ecclesiam dicimus omnino unam esse, quod romanae ecclesiae professionem sequatur. . . . Anathemati obnoxius est, qui eam non sequitur nec credit ut illa“ (*M* 161, 846 sq.)<sup>1</sup>. *S. Thomas*: „Ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliore ecclesiae quaestiones referuntur“ (2, 2, q. 1, a. 10; cf. De pot. q. 10, a. 4 ad 13; In Mt 16, n. 2). Cf. *Suarez*, De relig. S. I. l. 3, c. 4, cor. 2; *Bellarmino*, De Verbo Dei 2, 5; *Wirceburg.*, Principia theol. n. 190 sqq.; *Schrader*, De unit. rom. II 306 sqq. Iam multis saeculis ante concilium vaticanum haec erat longe communissima doctrina theologorum.

513. *Romani pontifices saepe sibi infallibilitatem attribuerunt*, et antiquis quidem temporibus ea maxime ratione, quod docebant ea, quae semel ab apostolica sede definita essent, non posse rursus licite in quaestionem vocari. Ita *Bonifatius I* (Ep. 13, 2): „Numquam licuit

<sup>1</sup> Cf. aliud testimonium in Zeitschrift für kath. Theologie 1910, 218 sq.

de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari" (*Denz.* n. 110). *Coelestinus I* (Ep. 21, c. 11) ut normam veri affert „beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles sanctiones" (*Denz.* n. 139). *Leo M.* patribus chalcedonensibus quam maxime inculcat non licere disputare contra ea, quae ipse iam definiverit: „Reiecta penitus audacia contra fidem divinitus inspiratam vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi, cum . . . plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio" (Ep. 93, 2; *M* 54, 937 sq.).

*Saepe romani pontifices praescripserunt formulas fidei*, ut *Damasus* papa pro haereticis et schismaticis orientalibus, qui cum ecclesia reconciliari vellent (*Denz.* n. 58 sqq.), *Hormisdas* pro episcopis, qui acaciani schismatis participes fuerant (*Denz.* n. 171 sq.), *Leo IX* pro Petro episcopo (*Denz.* n. 343), *Paschalis II* pro metropolitanis ecclesiae occidentalis (*Denz.* n. 357) etc.

*Haereticos saepe definitiva sententia damnarunt summi pontifices* extra concilia oecumenica, ut *Innocentius I* et *Zosimus* Pelagium, *Coelestinus* Nestorium, *Leo M.* Eutychem, *Agatho* monotheletas, ita porro usque ad nostra tempora. Neque post iudicium apostolicae sedis ecclesia umquam putavit liberum esse doctrinas ab ea damnatas defendere, sed semper agnovit potestatem pontificis ad dirimendas quaestiones fidei.

*Cum vero quidam coepissent negare infallibilitatem romanae sedis, romani pontifices hanc negantem sententiam proscripserunt.* A *Sixto IV* damnata est prop. (7) Petri Oxomensis: „Ecclesia urbis Romae errare potest" (*Denz.* n. 730). *Leo X* damnavit errorem (28) Lutheri: „Si papa cum magna parte ecclesiae sic vel sic sentiret nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum" (*Denz.* n. 768). *Alexander VIII* damnavit hanc propositionem: „Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate" (*Denz.* n. 1319). Ergo iam ante concilium vaticanum doctrina de infallibilitate romani pontificis non erat libera opinio.

514. *Concilia oecumenica infallibilitatem romani pontificis agnoverunt.* Patres concilii ephesini acceptis litteris Coelestini papae, quibus Nestorius damnabatur, dixerunt: „Coacti per sacros canones et epistulam sancti patris nostri et comministri Coelestini, romanae ecclesiae episcopi, lacrimis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum [Nestorium] sententiam necessario venimus" (*Hardouin* I 1471). In concilio chalcedonensi lecta epistula dogmatica Leonis papae Patres dixerunt: „Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt; anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est" (*Hardouin* II 306).

Verba concilii VI et concilii VIII iam in praecedenti thesi audivimus. In confessione fidei Michaelis Palaeologi, quam acceptavit concilium lugdunense II, haec leguntur: „Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro, apostolorum principe sive vertice, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri" (*Denz.* n. 466). Concilium florentinum docet romanum pontificem totius ecclesiae doctorem existere, et ipsi plenam potestatem pascendi et regendi universalem ecclesiam traditam esse (*Denz.* n. 694). Tandem nostris diebus concilium vaticanum hanc doctrinam sollemniter definivit.

Haec testimonia, quae facile augeri possunt, clare ostendunt, quam recte *Tournely*, cui propter „libertates gallicanas" non licebat infallibilitatem romani pontificis defendere, scripserit: „Non dissimulandum difficile esse, in tanta testimoniorum mole, quae *Bellarminus* (De Rom. Pontif. 4, 1 sqq.) et alii congerunt, non recognoscere apostolicae sedis seu romanae ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem; at longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione cleri gallicani, a qua recedere nobis non permittitur" (De Rom. Pontif. q. 5, a. 3).

*Schol. 1. Obiectiones, quae ex historia petuntur contra infallibilitatem summi pontificis*, tractari solent in historia ecclesiastica. Notentur pauca haec:

515. *Liberius* papa dicitur formulae sirmiensi, arianae vel semiarianae subscripsisse. Respondeo: etiamsi *Liberius* formulae haereticae subscripsisset, ut se vexationibus subtraheret, fuisset peccatum, at non pertineret haec res ad nostram thesim, quia talis subscriptio non est definitio ex cathedra. Praeterea plures formulae sirmienses existunt, quarum sola secunda (a. 357) habet sensum aperte haeticum.

Tres formulae sirmienses, quae in quaestionem veniunt, haec docent de natura Filii.

*Prima formula* (a. 351): „Credimus . . . in unicum eius Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia saecula ex Patre natus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia in caelis et in terra, visibilia et invisibilia. Qui est Verbum et sapientia et virtus et vita et lumen verum . . . (can. 1). Eos autem, qui dicunt: de nullis exstantibus (ἐξ οὐκ ὄντων) Filius vel de altera substantia, et non ex Deo, et quod erat tempus vel saeculum, quando non erat, alienos scit sancta et catholica ecclesia." Itaque arianismus crassus reicitur, sed vocabulum ὁμοούσιος omittitur. Praeterea in canone 18 quidam subordinatianismus docetur: Εἰ τις ἀκούων κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ τὸν κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν, ἐπεὶ κύριος ἐκ

κυρίου, δύο λέγει θεούς, ἀνάθεμα ἔστω. Οὐ γὰρ συντάσσομεν τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ, ἀλλ' ὑποτεταγμένον τῷ πατρὶ [λέγομεν].

*Secunda formula* (a. 357): „Unum constat esse Deum omnipotentem et Patrem, sicut per universum orbem creditur; et unicum Filium eius Iesum Christum, Dominum salvatorem nostrum, ex ipso ante saecula genitum. Duos autem deos nec posse nec debere praedicari. . . . Quod vero quosdam aut multos movebat de substantia, quae graece usia appellatur, i. e. ut expressius intellegatur, homousion, aut quod dicitur homoeusion, nullam omnino fieri oportere mentionem nec quemquam praedicare, ea de causa et ratione, quod nec in divinis Scripturis contineatur, et quod super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est: „Generationem eius quis enarrabit“ (Is. 53, 8). Scire autem manifestum est solum Patrem, quomodo genuerit Filium suum, et Filium, quomodo genitus sit a Patre. Nulla ambiguitas est maiorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate et ipso nomine Patris maiorem esse Filio, ipso testante: Qui me misit, maior me est (Io. 14, 28). Et hoc catholicum esse nemo ignorat duas personas esse Patris et Filii: maiorem Patrem, Filium subiectum cum omnibus his, quae ipsi Pater subiecit.“

*Tertia formula* (a. 358): „Credimus . . . in unigenitum Filium Dei, ante omnia saecula et initia et ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem et ante omnem comprehensibilem substantiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem (ὁμοιον) Patri suo, qui ipsum genuit.“ Hac formula reicitur arianismus, sed pro ὁμοούσιος ponitur ὁμοιος (*Harduin* I 702 706 710).

Iamvero incertum est, num Liberius ulli formulae sirmiensi subscripserit; constat eum non subscripsisse primae formulae, quia alias non mansisset in exilio usque ad 358; neque secundae formulae, quam diserte damnavit (*Sozom.* 4, 15; *M* 67, 1150). Ergo si omnino subscripsit, videtur tertiae formulae subscripsisse, quae catholice intellegi potest.

Ariani in conciliabulo, quod a. 359 Seleucia habuerunt, non provocarunt ad Liberium contra vocabulum ὁμοούσιος, id quod certe fecissent, si Liberius id reiecisset. Immo Liberius semper postulavit, ut ariani, qui vellent cum ecclesia reconciliari, symbolo nicaeno subscriberent. Quod Hieronymus et alii de lapsu Liberii loquuntur, explicatur ex calumniis, quae teste Sozomeno (l. c.) de Liberio spargebantur. Fragmenta vero Hilarii, ad quae adversarii provocant, merito censentur documenta spuria<sup>1</sup>. Romani, adeo arianis infensi, non tanto gaudio pontificem recepissent, si hic ipse ad factionem arianorum

<sup>1</sup> De his fragmentis valde differunt opiniones eruditorum. Ea genuina habent *L. Duchesne*, *A. Wilmart*, *A. L. Feder*, alii; spuria habent *L. Sallet*, *J. Chapman*, *F. Savio*, alii. Cf. *Theol. Revue* (Münster 1910) 105 sqq.; *Stimmen aus Maria-Laach* LXXXIII (1912) 190 sqq.

accessisset. Plura vide apud *Petavium*, De Trinit. 1, 9, 5; *Hefele*, *Konziliengesch.* I, ed. 2, 682 sqq.; cf. *Denz.* n. 93.

516. Celebris est causa *Honorii* papae, qui dicitur monothetismum professus esse in duabus epistulis ad Sergium constantinopolitanum. De qua re notanda sunt haec: a) Istis epistulis nulla haeresis continetur; b) istae epistolae non sunt definitiones ex cathedra. Primum probatur; nam in prima epistula ait: „Confitentes Dominum Iesum Christum, mediatorem Dei et hominum, operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter [hypostatice] unita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate . . . ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur [caro divinitati] uniri. . . . Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata“ (*Denz.* n. 251). In secunda vero epistula ait: „Quantum ad dogma ecclesiasticum attinet . . . non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali [physico-hypostatica] copulatas, cum alterius communiione operantes atque operatrices, confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt, operantem et humanam, quae carnis sunt, exsequentem, non divise neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes“ (*Denz.* n. 252). Iam vero qui docet naturas cum omnibus differentiis mansisse in Christo integras et nihilominus in eo non fuisse nisi voluntatem moraliter unam sine ulla rebellionem ex parte humanae voluntatis, is plane catholice sentit.

Probatur alterum, scilicet Honorium non edidisse definitionem cathedralem. Nam Sergius non rogaverat Honorium definitionem dogmaticam, sed practicam instructionem de modo loquendi. Quare Honorius respondet auferendam esse „vocabuli novitatem, quod posset scandalum simplicibus generare. . . . Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantibus neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse. . . . Utrum propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intellegi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare.“ Ita in epistula prima, in secunda vero ait: „Non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare“ (*Denz.* II. cc.). Atqui haec non sunt verba ex cathedra definientis.

Quocumque igitur sensu graeci in synodo III constantinopolitana voluerunt Honorium damnare, eorum censura non potuit efficere, ut

Honorius haereticus esset, nedum e cathedra errorem definivisset. Neque eorum censura sine approbatione romani pontificis efficaciam habet. Postea vero cum haeretici epistulas Honorii in suum sensum pertrahere conati essent, *Ioannes IV* papa, quo Honorius familiariter usus erat, vehementer reclamavit: „Omnes occidentales partes scandalizatae turbantur fratre nostro Pyrrho, patriarcha [constantinop.], per litteras suas huc atque illuc transmissas nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium papam, decessorem nostrum, attrahere festinante, quod a mente catholici patris erat penitus alienum. . . . [Dicit Honorium reiecissee duas contrarias tantum voluntates.] Quod quidam ad proprium sensum convertentes divinitatis eius et humilitatis unam voluntatem docuisse [Honorium] suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium“ (*M* 80, 603 vel 129, 561; *Denz.* n. 253).

*Leo II* approbavit quidem acta synodi VI, sed Honorium ideo tantum damnavit, quia non satis haeresi restitit: „Necnon et Honorium [damnamus], qui hanc apostolicam ecclesiam non conatus est doctrina apostolicae traditionis illustrare, sed profana prodicione maculari immaculatam permisit“ (*Hardouin* III 1475). Idem ad episcopos Hispaniae scribit: „Aeterna damnatione mulctati sunt Theodorus, Cyrus . . . cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit“ (*Hardouin* III 1730). Haec clare ostendunt, quam falso Honorius dicatur damnatus eo, quod falsam doctrinam ex cathedra definiverit.

517. Multo minus huc pertinet historia *Vigilii* papae; nam in quaestione de tribus capitulis non iam agebatur de doctrina, sed de personis. Falsam esse doctrinam, quam dicebantur tradidisse Theodorus Mopsuestenus, Theodoretus, Ibas, conveniebat inter catholicos, cum ista doctrina esset nestorianismus. Sed concilium chalcedonense personis parcere volebat ideoque illos tres non nominaverat. Nihilominus postea multi insistebant eos esse damnandos, cum pereorum auctoritatem non pauci deciperentur. *Vigilius* prius resistebat, sed postea ab imperatore *Iustiniano* vexatus „Iudicatum“ edidit, quo illos tres damnavit, „salva in omnibus reverentia synodi chalcedonensis“. At tunc multi alii reclamabant, cum non esset iudicandum de mortuis, quos concilium nolisset damnare. His permotus *Vigilius* „Iudicatum“ retraxit. Postea concilium V „tria capitula“ damnavit (*Denz.* n. 224 sqq.), cui damnationi *Vigilius* prius restitit, sed tandem consensit et ita non quidem haeresim vel errorem docuit, sed ad summum constantiae quendam defectum ostendit (cf. De Verbo incarn. IV, n. 70).

518. Alia, quae adversarii afferunt (cf. *Bellarmin.*, De Rom. Pontif. 4, 8 sqq.), sunt dicta vel scripta summorum pontificum male intellecta. Huc pertinet bulla *Sixti V* de *Vulgata*, quasi pontifex definiverit suam

editionem esse absolute optimam et omnis correctionis impatientem, de qua re vide *Introd. in S. Scripturam* (*Cornely* I, ed. 2, 484 sqq.; cf. *Le Bachelet*, *Bellarmin et la Bible Sixto-Clémentine*, Paris 1911. Quae ultimis annis de hac re scripta sunt, discutit *J. B. Nisius*, *Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck 1914, 183 sqq.; cf. *C. A. Kneller* ib. 1922, 313 sqq. 468 sqq.; 1923, 154 sqq.). Item iudicia specie tenus diversa *Felicis III* et *Ioannis II* de formula: „Unus de Trinitate passus est“ (*Denz.* n. 201; cf. IV, n. 174); *Nicolai III* et *Ioannis XXII* de paupertate Christi (*Denz.* n. 494. *Phillips*, *Kirchenrecht* III 303 sqq.); *Ioannis XXII* et *Benedicti XII* de visione beatifica (*Denz.* n. 530; cf. IX, n. 580 585); decretum *Nicolai I* de forma baptismi (*Denz.* n. 335; cf. VI, n. 389); sententia *Stephani VI* de ordinatis a *Formoso* (*Hefele*, *Konziliengeschichte* IV 536); sententia *Zachariae* de antipodis (*Hefele* l. c. III 557 sq.); iudicium de *Galilaeo* (cf. *Adolf Müller*, *Galileo Galilei et Der Galilei-Prozess*, Freiburg 1909; *Ottiger*, *Theologia fundam.* II 831 sqq.) aliaque, quae ne speciem quidem habent definitionis ex cathedra. De his partim in historia ecclesiastica, partim in theologia dogmatica agitur. Cf. *Palmieri*, De Rom. Pontif. 721 sqq. Cur summi pontifices ante definitiones orent, vide infra n. 551<sup>1</sup>.

519. *Schol. 2.* Si quaeris, quomodo dignosci possit, quae definitiones sint ex cathedra factae ideoque infallibiles, respondeo: verba, quibus pontifex doctrinam proponit, debent ea esse, ut prudentibus sine dubio certum sit pontificem velle obligare universam ecclesiam ad doctrinam illam tenendam. Quia autem ratio varias vias suppeditat hanc voluntatem certo manifestandi, non magis pontificales quam conciliares definitiones ad certas formulas restringendae sunt. Quamdiu autem inter prudentes dubium manet, utrum pontifex voluerit ex cathedra definire necne, tamdiu vi talis doctrinae pontificiae fidelibus obligatio certa imponi nequit. Sin constat pontificem voluisse totam ecclesiam obligare, fidelibus inquirendum non est, utrum pontifex cum debita diligentia rem investigaverit et rationes omnes bene perspexerit, cum non ob rationes scientificas, sed ob assistentiam Spiritus Sancti definitio pontificis sit infallibilis et absolutam oboedientiam intellectualem postulet.

Potest accidere, ut, quamvis ex solis verbis non sufficienter constet de definitione ex cathedra, nihilominus evidens sit doctrinam esse omnino tenendam, quia scilicet ab universa ecclesia recepta et opposita exclusa est.

520. *Exemplum collectionis definitionum ex cathedra praebet „Syllabus“ Pii IX*, qui nomine pontificis a cardinale Antonelli ad omnes episcopos catholicos missus complectitur „praecipuos nostrae aetatis errores, qui

<sup>1</sup> Cf. *J. Margreth*, *Das Gebetsleben Jesu Christi* (Münster 1902) 65 sq.

notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris sanctissimi domini nostri Pii papae IX<sup>o</sup> (*Denz.* n. 1700 sqq.). Quamvis enim nuda series propositionum, qualis est Syllabus, non sit neque esse possit per se definitio cathedralis, tamen propositiones, quarum Syllabus est authentica collectio, tum aliis occasionibus tum encyclica „Quanta cura“ (8 dec. 1864; *Denz.* n. 1688 sqq.) a summo pontifice ita damnatae sunt, ut appareat eum voluisse obligare universam ecclesiam ad eas reiciendas. Nam in fine encyclicae dicitur: „Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas [quae in Syllabo solum magis singillatim recensentur] auctoritate nostra apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae ecclesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus atque mandamus“ (*Denz.* n. 1699). Iam cum in encyclica et in Syllabo eadem falsae doctrinae damnentur, constat doctrinas Syllabo contentas a summo pontifice ita esse damnatas, ut non iam ulli catholico eas amplecti liceat. Hoc probatur etiam ex consensu unanimi episcopatus catholici, cum hodie non iam permittatur cuiquam catholico propositiones Syllabo contentas defendere. Quae vero nota singulis propositionibus conveniat, et quo assensu tenendae sint oppositae doctrinae, hoc discendum est partim ex documentis, unde illae propositiones desumptae sunt, partim ex subiecta materia. Neque enim illi, qui dicunt Syllabi propositiones ex cathedra, i. e. summa cum auctoritate esse damnatas, ideo dicunt propositiones illis contradictorias esse fide divina credendas, cum multae ex illis sint vel nullo modo vel saltem non immediate revelatae; sed ex subiecta materia videndum est, quid credendum, quid tenendum, quid servandum sit, ut in conciliorum quoque definitionibus accidit (cf. *Mazzella*, De eccl., ed. 3, 822 sqq. in nota; Epist. card. *Franzelin* in Études religieuses, Paris 1889, juillet).

De valore dogmatico Syllabi multum disputarunt theologi. a) Alii censent eum per se esse infallibilem definitionem. Ita e. g. card. *Mazzella* ait non esse dubium, quin „Syllabus haberi debeat tamquam definitio ex cathedra“ (De relig. et eccles. 822); similiter *Franzelin* (l. c.), *Schrader*, *Scheeben*, alii. b) Alii censent Syllabum per se non esse definitionem, sed singulas eius propositiones aliis occasionibus damnatas esse per summum pontificem e cathedra loquentem. Ita *Rinaldi* (Il valore del Sillabo, Roma 1888, 7 sqq.) et *Straub* (De ecclesia Christi II, n. 999 sqq.). c) Alii censent Syllabum factum esse normam doctrinalem infallibilem vi adhaesionis episcoporum catholicorum moraliter omnium. Ita *Hurter* (I, n. 513), *Wernz* Ius decret. I, n. 278), alii. d) Alii censent Syllabum, etsi non constet de eius infallibilitate, esse tamen normam authenticam, a summo pontifice toti ecclesiae praeceptam, cui omnes se subicere debeant. Ita *Choupin* (Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège, Paris 1907, 121 sq.), *Heiner* (Der Syllabus, Mainz 1905, 14 sqq.), alii.

Hanc ultimam sententiam esse minimum, quod omnes catholici tenere et sequi debeant, convenit inter theologos. Practice ad plus tenendum nemo obligari potest, quia de ulteriore valore opiniones tam diversae sunt (cf. *De Groot*, Summa apologetica de ecclesia, ed. 3, Ratisbonae 1906, 634 sqq.).

### 521. Schol. 3. De auctoritate congregationum romanarum.

Congregationes sunt collegia cardinalium certis negotiis dirigendis, discutiendis et in forma sive administrativa sive iudiciali decidendis designata. Totum hoc institutum maxime a Sixto V per constitutionem „Immensa“ in eam formam redactum est, quam usque ad nostram aetatem retinuit, aucto tamen numero congregationum. *Pius X* autem constitutione „Sapientis consilio“ die 29 iunii 1908 non quidem ea, quae Sixtus V statuerat, simpliciter abrogavit, sed revisit, modificavit, numerum congregationum minuit (11 loco 20), competentiam singularum congregationum exactius determinavit, inter eas labores aequaliore modo distribuit, res plurimas iudiciales a congregationibus ad „tribunalia“ transtulit. Nomen „sacrae romanae et universalis inquisitionis“ abrogatum, et solum nomen „sancti officii“ servatum est. Haec congregatio est prima ex omnibus congregationibus. Praeses eius est ipse papa, qui tamen ex tribus sessionibus, quae singulis hebdomadis habentur feriis II, IV, V, feria V tantum, idque non semper, praesidet. Congregatio est summum fidei tribunal, quod iudicat de haeresibus et criminibus cum haeresi conexas, vel quae ex haeresi provenire praesumuntur. Appellatio ab eius sententia non admittitur. Soli cardinales in hac ut in aliis congregationibus habent votum decisivum, etsi iuvantur a secretario et consultoribus. — Congregatio quasi vicaria sancti officii erat congregatio indicis librorum prohibitorum, cuius erat examinare respective prohibere libros suspectos doctrinae contra fidem et bonos mores. Sed totum hoc negotium nunc commissum est congregationi sancti officii (*Codex iur. can.*, can. 247, § 4). Sunt tamen etiam nunc 11 congregationes, quia accessit congregatio pro ecclesia orientali (ib. can. 257).

Iam congregatio sancti officii ex auctoritate (ordinaria) a summo pontifice accepta potest intra suos limites pro universa ecclesia leges dare in rebus fidei et morum. Nihilominus cum pontifex suam infallibilitatem non possit cum aliis communicare, decisiones congregationis (nisi pontifex eas sollemni modo suas faciat) non sunt irreformabiles. Unde quaeri potest, quo assensu mentis recipiendae sint eiusmodi decisiones. Assensus fidei divinae nec requiritur nec propter auctoritatem congregationis per se possibilis est. Ex altera parte non sufficit silentium obsequiosum cum interna mentis repugnantia, sed *requiritur internus assensus*, ut apparet ex litteris *Pii IX* d. 21 dec. 1863 ad archiepiscopum monachiensem (*Denz.* n. 1684) et ex actis in causa ontologismi. Et revera ne in communi quidem vita viro prudenti

aliquid asserenti internum assensum denegamus ob hoc ipsum, quod non est infallibilis, sed sequimur principium: cuius prudenti in sua arte credendum est, et error non praesumitur, sed probandus est. Sunt enim varii gradus assensus interni; quare etsi soli Deo revelanti assensu super omnia firmissimo adhaerendum est, tamen etiam hominibus assentimur pro gradu auctoritatis, quae singulis convenit. Iam vero sacrae congregationes sunt tribunalia summae auctoritatis religiosae in ecclesia. Ergo sicut supra diximus episcopo parendum esse in rebus fidei et morum, ita hic dicendum est *decretis congregationum assentiendum esse assensu religioso* seu assensu, cuius motivum formale est suprema auctoritas religiosa, licet non infallibilis. Itaque a) negative, non ideo praecise assensum denegare licet, quia auctoritas non est infallibilis, b) positive tamdiu assentiendum est decretis congregationum, quamdiu non positive apparet eas errasse. Quia autem congregationes per se non suppeditant argumentum absolute certum pro aliqua doctrina, ideo in rationes doctrinae inquiri potest et respective debet. Hoc enim modo fiet, ut aut doctrina, de qua agitur, paulatim a tota ecclesia recipiatur et ita ad statum infallibilitatis evehatur, aut paulatim error detegatur. Nam cum assensus ille religiosus non nitatur metaphysica certitudine, sed morali quadam latiore, non excludit omnem formidinem erroris, et ideo, ubi primum apparent motiva sufficientia dubitationis, prudenter suspenditur assensus; sed quamdiu talia motiva non apparent, sufficit auctoritas congregationum ad assensum imperandum (cf. *Wilmers*, De Christi eccl. 443 sqq.).

Damnata est haec propositio modernistarum *decreto „Lamentabili“* 8: „Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a sacra congregatione indicis aliisve sacris romanis congregationibus latas nihili pendunt“ (*Denz.* n. 2008).

Haec eadem nullo negotio applicantur ad decreta summi pontificis, quae non pro suprema sua auctoritate emittit, et ad decreta aliorum superiorum ecclesiasticorum, qui non sunt infallibiles. Oboedientia enim intellectus multo latius patet quam sphaera fidei divinae et infallibilis certitudinis (cf. *Choupin*, Valeur des décisions 24 sqq. 56 sqq.; *Straub*, De ecclesia Christi II 965 sqq.).

#### 522. Schol. 4. De subiecto passivo auctoritatis ecclesiasticae.

Omnes eos, qui sunt actu membra ecclesiae, esse subiectos tum summo pontifici tum suis quoque inferioribus praelatis ecclesiasticis, per se evidens est, cum eo ipso, quod quis pertinaciter resistat auctoritati ecclesiasticae, cesset esse membrum ecclesiae. At auctoritas ecclesiastica latius extenditur.

Itaque omnes et soli baptizati iurisdictioni ecclesiasticae subiecti sunt. Et imprimis quidem *omnes baptizati*, etiam haeretici, schismatici, excommunicati; unde haec duo non coincidunt: esse membrum ecclesiae et esse subiectum iurisdictioni ecclesiasticae. Neque hoc

mirum videri debet. Ii enim, qui baptismum receperunt, lege divina obligationem habent ecclesiae oboediendi, quae obligatio non cessat, quamvis ob pertinaciam suam communionem bonorum spiritualium priventur. Baptismo homines ecclesiae subiciuntur tum ex Sacra Scriptura (Matth. 28, 18 sqq. Act. 2, 38 41; 8, 12; 19, 5) tum ex doctrina et praxi ecclesiae (*Conc. flor.* decr. pro arm.; *Denz.* n. 696. *Conc. trid.* sess. 7 de bapt. can. 7 8 13 14; *Denz.* n. 863 sqq.).

*Soli baptizati* iurisdictioni ecclesiasticae subiciuntur, „cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismum ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit apostolus (1 Cor. 5, 12), de iis, qui foris sunt, iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus dominus lavaero baptismi sui corporis membra semel effecit“ (*Conc. trid.* sess. 14 de paenit. c. 2; *Denz.* n. 895). *Pius VI* ad episcopos Galliarum a. 1791 scribit: „Discrimen inspiciamus, quod intercedit inter homines, qui extra gremium ecclesiae semper fuerunt, quales sunt infideles et iudaei, atque inter illos, qui se ecclesiae ipsi per susceptum baptismi sacramentum subiecerunt. Primi enim constringi ad catholicam oboedientiam profitendam non debent, contra vero alteri sunt cogendi.“ — Habet tamen ecclesia mandatum Christi et proinde ius praedicandi evangelium infidelibus; consequenter defendere potest hoc ius contra infideles quoque, qui illud aggrediuntur. Ergo potest adhibito auxilio brachii saecularis etiam bello persequi infideles, qui praedicationem evangelii impediunt; sed haec defensio debet manere intra limites defensionis, i. e. non prius locum habere potest, quam aggressio facta est ex parte infidelium. Ecclesia directe non potest cogere iudaeos et paganos ad audiendam praedicationem, quamvis indirecte possit, si infideles sunt civiliter subditi auctoritati christiani principis aut volunt vivere in societate christiana, ut constat ex bullis *Gregorii XIII* „Sancta Mater“ 1584 et *Clementis XI* „Propagandae“ 1704. Nulla tamen ratione cogi possunt, ut suscipiant baptismum (*S. Thomas* 2, 2, q. 10, a. 8; *Suarez*, De fide disp. 18; *Lugo*, De fide disp. 19, sect. 2; *Phillips*, Kirchenrecht II 395 sqq. etc.). Immo ecclesia vi iurisdictionis directae ne potest quidem cogere non baptizatos, ut abstineant ab iis, quae sunt contra ius naturale, quamvis ex lege caritatis possit defendere innocentes contra iniurias infidelium et principibus christianis iniungere, ut nefandos ritus prohibeant, maxime inter suos subditos.

523. Ceterum *ne ipsis quidem subditis suis ecclesia vi solius iurisdictionis actus mere internos directe praecipere potest*, e. g. non potest praecipere, ut singuli fideles cotidie eliciant actum fidei internae; neque enim umquam ecclesia usa est vel significavit se posse uti tali potestate. Ratio est, quia de talibus actibus ecclesia non potest iudicare in foro externo nec coercitiva potestate circa eos uti. Cum autem proprie dicta iurdictio postulet potestatem iudicalem et coercitivam,

sequitur ecclesiam circa illos actus non habere proprie dictam iurisdictionem (cf. *S. Thomas* 1, 2, q. 91, a. 4; 2, 2, q. 104, a. 5; *Suarez*, De leg. 4, 12; De censur. disp. 4, sect. 2; *Wirceburg.*, De leg., ed. Paris., 130 sqq.; *Catech. Rom.* pars 3, c. 10, q. 5. Contradicunt tamen nonnulli, ut *Gury-Ballerini*, De leg. c. 3, a. 1). Potest vero ecclesia praecipere actus externos, ad quos ex lege divina positiva vel naturali necessarii sunt actus interni, ut administrationem et receptionem sacramentorum, et quidem dignam, immo actus internos, qui cum actibus externis per accidens coniunguntur, ut est determinata intentio promissa, quia secus actus ipsi externi secundum proprium suum valorem eius dispositioni subtraherentur. Potest etiam circa actus internos omne id, ad quod nulla requiritur potestas coercitiva, ut est dispensatio in votis. Ecclesia potest praecipere actus internos iis, qui se voluntarie subiciunt, e. g. per votum, vel per legem divinam subiecti sunt in foro interno. Denique potest authentice declarare legem divinam circa actus internos. Sed haec obiter notasse sufficiat (cf. *Straub*, De ecclesia Christi II, n. 674 sqq., qui vult ecclesiam posse etiam actus internos directe praecipere; sed haec est magis disputatio de modo loquendi).

## SECTIO V.

## DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

**Prop. XLVII.** Ecclesia est infallibilis in definienda doctrina revelata.

524. *Ecclesiae est depositum revelatum custodire*, non vero novas revelationes exspectare aut novas doctrinas excogitare (supra n. 436 463). Christus enim promiserat apostolis Spiritum Sanctum, qui eos introduceret in omnem veritatem, et iussit eos omnia, quae ipsis revelata erant, ubique terrarum annuntiare (Io. 15, 26 27; 17, 17 sqq. Matth. 28, 20). Quare apostolus Iudas (3) deprecatur fideles „super-certari semel traditae sanctis fidei“. Paulus vero ad galatas scribit: „Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium; quod non est aliud [verum evangelium], nisi sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit“ (Gal. 1, 6 sqq.). Hic igitur apostolus docet reiciendum esse omne id, quod est praeter doctrinam ab apostolis praedicatam. Iudaizantes volebant praeter revelationem, quam apostoli a Christo acceperant, secundum suam opinionem christianos ad alias observantias inducere, quasi apostoli non integram doctrinam tradidissent. Soli autem apostoli erant organa divinae revelationis accipiendae et tradendae. Aliis omnibus discendum erat ab apostolis

et permanendum in iis, quae didicerant. Quare idem apostolus ad romanos scribit: „Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offencula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis“ (Rom. 16, 17). Praeter apostolicam doctrinam etiam aliam ut a Deo revelatam introducere et ita, saltem indirecte, ipsos apostolos tamquam infideles magistros arguere, hoc est, quod apostolus dicit anathemate dignum. Ergo κήρυγμα apostolicum continet integram doctrinam revelatam, quae numquam neque abroganda neque augenda neque minuenda est. Ideo fideles debent confirmari in fide, quam didicerunt (Col. 2, 7), „superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum“ (Eph. 2, 20).

Idem semper inculcarunt sequentes scriptores ecclesiastici. *Barnabas*: „Via lucis haec est . . . Servabis, quae accepisti, nec addens nec demens“ (Ep. c. 19, n. 11). Eadem verba occurrunt in *Doctrina duodecim apostolorum* (4, 13). *Irenaei* dicta iam audivimus, item *Tertulliani et Vincentii Lirinensis* (supra n. 346 402 436). *Xystus III*: „Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adici convenit vetustati“ (Ep. 6, n. 7; *Constant* I 1261). *Coelestinus I* in epistula ad Nestorium: „Quis umquam non dignus est anathemate iudicatus vel adiciens vel retrahens fidei? Plene enim et manifeste tradita ab apostolis nobis, nec augmentum nec imminutionem requirit. Legimus (Apoc. 22, 18 sq.) libris nostris non addi debere, non retrahi. Magna quippe et addentem et retrahentem poena constringit“ (*Mansi*, Conc. collect. IV 1027 sq.). Cf. supra n. 436 et infra n. 576 sqq.; *Franzelin*, De trad. thes. 22, p. 266 sqq.; *Ottiger*, Theologia fundam. II 351 sqq.).

525. Itaque *definiri aliquam veritatem ab ecclesia ut dogma credendum nihil aliud est nisi authentice declarari hanc veritatem pertinere ad revelationem ab apostolis traditam*. Ita concilium trid. sess. 4 ait: „Sacrosancta oecumenica et generalis tridentina synodus . . . hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur: quod promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit, perspicuensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt . . .“ (*Denz.* n. 783). Itaque quidquid ab apostolis non est praedicatum, numquam potest evadere dogma ecclesiae, etiamsi a Deo revelatum est. Omnes enim posteriores revelationes privatis tantum hominibus ut privatis dantur neque ullo modo spectant ad augendum depositum fidei. Immo etiamsi ecclesia tales revelationes approbat, neminem tamen obligat ad ea credenda, sed solum declarat non esse superstitiosum eas admittere

neque quicquam in iis contineri, quod fidei et moribus adversetur. Quia vero quaelibet res a Deo revelata credi potest fide divina, latius patet fides divina quam fides catholica (cf. *conc. vatic. sess. 3, c. 3; Denz. n. 1792*).

Damnata est haec prop. (21) modernistarum: „Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum apostolis completa“ (Decret. „Lamentabili“, *Denz. n. 2021*).

526. Quamvis autem ecclesia nullam doctrinam simpliciter novam statuatur, tamen *per definitiones dogmaticas verus progressus fit in intellectu rerum revelatarum*. Neque enim statim ab initio omnes veritates dogmaticae in explicito intellectu magisterii ecclesiastici erant. Hoc patet ex multis factis. Ita temporibus Cypriani multi episcopi dubitabant de valore baptismi ab haereticis collati; ita concilio tridentino nondum videbatur tempus opportunum definiendi doctrinam de immaculata conceptione B. V. Mariae; ita usque ad concilium vaticanum a multis, etiam episcopis, in dubium vocabatur infallibilitas romani pontificis; ita similiter multa alia dogmata, quae aliquando impune negabantur, postea definita sunt. De qua re *Vincentius Lirinensis* ait: „O rerum mira conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consecratores vero haeretici iudicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet“ (Commonit. c. 6; *M 50, 646*. Cf. *S. August.*, De bapt. l. 2, n. 12 sqq.; *M 43, 133*). Sed idem explicans, quae *S. Paulus ad Timotheum* de recta doctrina conservanda scribit, ita loquitur: „Intellegatur [o Timothee] te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur“ (Commonit. c. 22; *M 50, 667*). „Fas est, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut detruncantur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem“ (c. 23; *M 50, 668 sq.*). „Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. . . . Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia“ (c. 23; *M 50, 667 sq.*). Haec ultima verba sua fecit concilium vaticanum sess. 3, c. 4 (*Denz. n. 1800*).

527. Consequenter hic progressus non est ita concipiendus, quasi ecclesia aliquid novi discat, quod antea prorsus ignoraverit, sed ea,

quae dogmatice definiuntur, antea saltem implicite in doctrina ecclesiastica continebantur. Ita in illa doctrina, quod Deus homo factus est, per multa implicite continentur de duabus naturis et una persona, de infinita sanctitate, de scientia Christi hominis et similibus, quae nequaquam ab initio omnia explicite cognoscebantur et sub definitis terminis proponebantur. Ecclesia igitur utens mediis naturalibus et supernaturalibus sub assistentia Spiritus Sancti illa implicita paulatim explicat, indefinita definit, indeterminate dicta fixis terminis circumscribit et ita ad ea, quae antea explicite credi necesse non erat, explicite credenda obligat. Nam cum non omnium veritatum revelatarum explicita fides ad salutem necessaria sit (1 Cor. 2, 2 6; 3, 1 2 10. 1 Thess. 3, 10. Hebr. 5, 11; 6, 1; 11, 6), finis revelationis non postulat, ut omnia semper explicite ad credendum proponantur. Immo hominum naturae magis convenit, ut eorum industria exerceatur ad veritatem magis explicandam et intellegendam, id quod non solum valet de singulis hominibus, sed etiam de tota ecclesia, cui, ut in hac industria non aberret, assistentia perpetua Spiritus Sancti promissa est. Itaque quamvis, quaecumque definiuntur, aliquo modo semper in doctrina tradita continerentur, tamen non eo modo continebantur, quo postea ab ecclesia definiuntur; et sic fit, ut postea non solum melior intellectus rei adsit quam antea, sed ut etiam plura explicite credantur quam antea. Ideo mirum non est, quod nunc claris verbis multa cum certitudine dicere possumus, quae antea ab ipsis gravissimis doctoribus verbis tantum ambiguis et incertis proposita sunt, et quod ad multa respondere possumus, quae illi decernere non audebant. Ita intellegitur, quomodo recte loqui possimus de historia dogmatum, quae, licet non sit historia mutationum, est tamen historia progressuum doctrinae (cf. *Franzelin, De trad. thes. 23*).

528. Ex altera parte haec evolutio male a quibusdam (*Günther, Huber*) ita descripta est, quasi ab initio vix quicquam in explicita fide ecclesiae fuisset praeter fundamentale dogma incarnationis et redemptionis, omnia vero alia capita doctrinae mediis humanis paulatim excolta essent. Censebant hi doctores ipsos apostolos multo minus intellexisse doctrinam christianam quam Patres ecclesiae, et hos minus quam posteriores theologos, maxime nostrae aetatis, qua tandem aliquando vera philosophia inventa esset, cuius ope omnia mysteria fidei rationi humanae accessu fierent et scientificè explicari et probari possent (cf. *Kleutgen, Theol. der Vorzeit V, n. 581 sqq.*; „Der Katholik“ 1860 I 83 sqq. 456 sqq.). Idem theologo putabant dogmaticas definitiones non esse nisi quoddam temporarium iudicium, quo ecclesia declararet, quae rationes intellegendi dogmata essent certis temporibus magis accommodatae; non vero esse immutabilem revelatae doctrinae explicationem.



*Contra hanc theoriam haec sunt notanda:* a) Longe plurima dogmata tam clare traduntur in S. Scriptura et a SS. Patribus, ut explicitis eorum testimoniis nullo negotio probentur. Hoc constat ex tota theologia positiva, in qua omnes fere theses disertis verbis S. Scripturae et SS. Patrum probantur. b) Plurima dogmata solo usu rationis ex veritatibus fundamentalibus deduci plane nequeunt. Quomodo e. g. ex voluntate Dei salvifica deduci possunt omnia media salutis, ut sacramenta et sacrificium missae? Similiter ex universalibus illis principiis, quae sola adversarii ab initio explicite nota fuisse volunt, deduci non possunt omnes illae veritates, quae partim ex positiva Dei institutione pendent, partim sunt mysteria stricte dicta. c) Quod vero ad apostolos attinet, ecclesiae semper persuasum fuit apostolos scientia infusa veritates omnes melius perspexisse quam ullum alium post eos, licet nondum habuerint posteriores terminos technicos. Ergo quod ad rem ipsam attinet, apostoli in rebus fidei et morum nihil discere potuerunt a Patribus ecclesiae et theologis (cf. *S. Ioan. Chrysost.*, Hom. 26 in 2 Cor., *M* 61, 575 sq.; *S. Ambros.*, In Ps. 118, serm. 5, n. 38, *M* 15, 1265; *S. August.*, In Io. tr. 18 36 97, *M* 35, 1535 1662 1877; *Suarez*, De fide disp. 2, sect. 6, n. 10; *de Lugo*, De fide disp. 3, sect. 5, n. 67 etc.; *Franzelin*, De trad. thes. 25, p. 304 sqq.).

529. Porro definitio dogmatica est immutabilis explicatio veritatis traditae, cum ecclesia res definitas fide divina credendas proponat et contrariam sententiam anathemate afficiat. Hoc autem fieri non posset, si progressu scientiae illae definitiones mutandae et aliae eorum loco substituendae essent. Nam quod divina fide credendum est, debet obiective verum esse, et quod obiective verum est, pro omni statu scientiae verum est. Item quod concilium vel summus pontifex definit, non est aliquod philosophicum placitum huius vel illius aetatis, sed est doctrina a Deo revelata et ab apostolis tradita. Nullatenus igitur infallibilitas definitionis pendet a systemate philosophico plus minusve bono, sed obiective a veritate revelata et subiective ab assistentia Spiritus Sancti.

Ceterum Güntheri doctrina damnata est a Pio IX (*Denz.* n. 1656 sqq.) et a concilio vaticano sess. 3 de fide et ratione can. 3: „Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intellegit ecclesia, anathema sit“ (*Denz.* n. 1818; cf. n. 1800).

Similis est error modernistarum, qui volunt Christum ipsum nulla dogmata tradidisse, sed solum docuisse viam se praeparandi ad regnum messianicum mox futurum; christianos vero videntes secundum Christi adventum non tam cito fieri, quam putaverant, ideas Christi ita vertisse, ut servire possent ad regnum aliquod spirituale (ecclesiam) in hac terra fundandum et conservandum. Hac ratione Christum auctorem

dici posse ecclesiae, quatenus initiator fuerit illius motus religiosi, qui sua sponte ecclesiam evolverit. Dogmata non esse nisi formulas, ab auctoritate ecclesiastica approbatas, quibus conscientia christiana experientias suas religiosas exprimat et aliis similium experientiarum et occasionem et normam praebeat. Mutato mentium statu mutari experientias religiosas, mutatis experientiis mutandas esse formulas, mori dogmata vetera, ut nova vivere incipiant, nullamque inter ea esse aliam unitatem et constantiam, nisi quae sit inter plantas, quarum altera moriendo alteram producat eiusdem speciei; non esse dogmatum invariabilitatem sed ipsarum mutationum unum principium unamque seriem non interruptam<sup>1</sup>. Haec copiosius exponit Pius X in encyclica „Pascendi“ (*Denz.* n. 2078 2079 2080 2093 2094 2095; cf. 2145 sqq.) et provocat contra hanc doctrinam ad principia iam a Pio IX clare statuta (*Denz.* n. 1636 1705).

Modernistarum opinione destruitur catholicus conceptus revelationis, negatur doctrina apostolica de deposito fidei fideliter servando, spernuntur normae a veteribus Patribus et conciliis propositae, omnia ad incertam hominum adinventiones reducuntur.

*Conc. constantinop. II* (oecum. V) ait: „Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et salvatore nostro Iesu Christo sanctis apostolis et ab illis in universo mundo praedicatam; quam et sancti Patres confessi sunt et explanaverunt et sanctis ecclesiis tradiderunt, et maxime qui in sanctis quattuor synodis convenerunt, quos per omnia et in omnibus sequimur et suscipimus. . . . Omnia vero, quae non consonant his, quae definita sunt ab iisdem quattuor sanctis conciliis pro recta fide . . . aliena pietatis iudicantes condemnamus et anathematizamus“ (*Denz.* n. 212). *Constantinop. IV* (oecum. VIII): „Per aequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus. . . . Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae tam a sanctis famosissimis apostolis quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus conciliis vel etiam a quolibet deoquo Patre ac magistro ecclesiae traditae sunt, servare et custodire profiteamur. . . . Tenere quippe traditiones, quas accepimus sive per sermonem sive per epistolam sanctorum, qui ante fulserunt; Paulus admonet aperte magnus apostolus“ (*Denz.* n. 336).

Hunc igitur catholicum sensum modernistae plane abiecerunt. Quare merito reprobatae sunt hae eorum propositiones decreto „Lamentabili“: Prop. 6: „In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens

<sup>1</sup> Cf. *Chr. Pesch*, Theologische Zeitfragen IV 41 sqq. 156 sqq.; in editione italica (*Fede, Dogmi et Fatti storici*) p. 41 sqq. 159 sqq. Alia apud *Carbone*, De modernistarum doctrinis 110 sqq. 123 sqq., et apud *Bessmer*, Philosophie und Theologie des Modernismus 255 sqq.

ecclesia, ut docenti ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinionationes sancire." Prop. 7: „Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur." Prop. 22: „Dogmata, quae ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit." Prop. 23: „Exsistere potest et re ipsa existit oppositio inter facta, quae in Sacra Scriptura narrantur, iisque innixa ecclesiae dogmata, ita ut criticus tamquam falsa reicere possit facta, quae ecclesia tamquam certissima credit." Prop. 24: „Reprobatus non est exegeta, qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget." Prop. 26: „Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, i. e. tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi" (Denz. n. 2006 2007 2022 2023 2024 2026).

*Ecclesiam esse infallibilem in definiendis iis, quae immediate revelata sunt*, post ea, quae hucusque vidimus, non indiget speciali probatione (cf. supra n. 265 sqq. 433 sqq. 438 441 sqq. 461 sqq. 507 sqq.). Nam cum ad hoc missa sit a Christo, ut cum absoluta auctoritate doceat homines veritatem revelatam, ecclesia saltem in hac ipsa veritate tradenda et conservanda infallibilis sit oportet. Sicut Christus ecclesiam misit ad omnem veritatem docendam, ita nulla veritas revelata est, quae non sit intra sphaeram infallibilitatis eius; nam si ecclesia in aliqua re posset errare, non omnem veritatem posset docere, nec Spiritus Sanctus omnia ei suggessisset. Immo tota infallibilitas destrueretur, quia ignoraremus, in qua re esset infallibilis, in qua non esset.

### 530. Schol. De divisione dogmatum.

*Potest esse aliquid dogma in se, quod non est dogma quoad nos*, quia potest aliquid eo modo in revelatione contineri, ut non ab omnibus certo cognoscatur. Eo ipso, quod dogma tam clare in S. Scriptura vel in aliis fontibus theologicis continetur, ut etiam sine definitione concilii de hac re dubitari non possit, dicitur *dogma fidei divinae*. Illud dogma, quod a concilio vel a summo pontifice omnibus credendum proponitur, dicitur *dogma fidei definitae*.

Quamvis ecclesia varia tenenda proponat, quae non sunt immediate seu in se revelata, et quamvis haec omnia propter auctoritativam ecclesiae propositionem dogmata dici possint, cum dogma nihil aliud sit nisi decretum definitivum: nihilominus ex usu loquendi *dogma dicitur sola veritas per se revelata*. Hic est usus loquendi ecclesiasticus; nam in S. Scriptura vox dogmatis leges tantum sive divinas sive humanas significat (Act. 16, 4; 17, 7. Luc. 2, 1. Eph. 2, 15. Col. 2, 14).

Dogmata dividuntur: a) in necessaria, quae non dependent e libera voluntate Dei, ut mysterium SS. Trinitatis, et libera, quae in liberis Dei decretis fundantur, ut constitutio ecclesiae; b) in theoretica, quae

credenda tantum proponunt, et practica, quae etiam facienda praescribunt, e. g. omnem hominem baptizandum esse, ut ad vitam aeternam pervenire possit; c) in dogmata materialia et formalia, quae divisio coincidit cum illa: dogmata in se et quoad nos (cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit I, n. 77 sqq.).

### Prop. XLVIII. Ecclesia est infallibilis in statuendis conclusionibus theologicis.

531. Quamvis omnia a Deo revelata sint vera ideoque indubitanter admittenda, potest tamen aliquid esse revelatum vario modo. Ita ratione finis *possunt revelata distingui in ea, quae sunt per se, et in ea, quae sunt per accidens revelata*. Per se revelata sunt quae ex natura sua serviunt ad iuvandum hominem, ut finem ultimum assequatur, qualia sunt mysteria credenda et leges observandae; per accidens revelata sunt, quae ideo narrantur, quia cum rebus per se revelatis accidentaliter cohaerent et ad earum convenientem propositionem iuvant, ut sunt facta historica ordinis naturalis (S. Thom. 2, 2, q. 2, a. 5). Nulla est inter has duas rerum series distinctio ratione credibilitatis, ubi primum constat eas esse a Deo revelatas. At aliter res se habet, quod attinet ad conservationem et traditionem harum revelationum. Nam divina providentia prospicit quidem, ut ea, quae ad salutem necessaria sunt, intacta conserventur, non vero ut etiam ea semper sine errore tradantur, quae ad salutem per se minime pertinent. In his enim potest permittere, ut veritas primitus revelata pereat. Exemplum huius rei sunt numeri annorum, quos certi homines vixerint vel regnaverint. Constat enim in computatione annorum, qui in S. Scriptura indicantur, tantam confusionem in variis codicibus, versionibus, editionibus existere, ut saepe vera computatio non iam inveniri possit. Quia ecclesia instituta est, ut dirigat homines in iis, quae pertinent ad vitam aeternam, infallibilitas eius extenditur solum ad res fidei et morum (cf. Denz. 786 1788). Cum vero dubitatio oriri possit, utrum res aliqua pertineat ad fidem et mores, an sit solum per accidens revelata, simplex haec regula statuenda est: Si ecclesia rem omnibus tenendam proponit, in hac re est infallibilis, quia ipsa scit, quousque infallibilitas sua extendatur; quamdiu vero diversas opiniones permittit, in his rebus scientificae inquisitioni integra libertas relinquenda est, ita tamen ut substantia historicae narrationis in dubium non vocetur.

532. Alio modo *distinguuntur revelata in ea, quae sunt immediate seu formaliter, et in ea, quae sunt mediate et virtualiter revelata*. Mediate revelatum dicitur, quod est revelatum in principiis, ex quibus per discursum deducitur. Intellegitur autem discursus proprie dictus; nam quod continetur ut pars in toto, ut particulare in universali, non per discursum rigorosum deducitur, sed per discursum explicativum, qui non praebet novum motivum assensus, sed solum applicat revelationem

ad determinatum obiectum. Ita quamvis nihil revelatum sit de hoc vel illo particulari homine ut tali, tamen ob revelationem divinam, quae docet in omnem hominem transiisse peccatum originale, omnino credendum est etiam hunc vel illum hominem conceptum esse in peccato originali. Porro ubi agitur de vero discursu, iterum videndum est, utrum propositio maior et propositio minor sint revelatae necne; si utraque est revelata, consequens quoque est immediate revelatum (licet non ratione formae, saltem ratione materiae) et credendum; sin maior sola est veritas revelata, minor autem veritas naturaliter certa, consequens est mediate tantum revelatum, i. e. cum veritate revelata ita conexum, ut negari non possit, quin ipsa veritas revelata negetur. Tales veritates vocantur *conclusiones theologicae*. Ita ex iis, quae de mysterio SS. Trinitatis revelata sunt, sequitur Filium procedere ex intellectu Patris, Spiritum Sanctum ex amore Filii et Patris; quae si negantur, ea, quae immediate revelata sunt, non iam possunt salva subsistere. Quare illae conclusiones de processione Filii et Spiritus Sancti sunt conclusiones theologicae. Vel si ea, quae Günther docuit de persona et natura, vera essent, destrueretur dogma hypostaticae unionis; ergo illae theoriae Güntheri falsae censendae sunt, non quia Deus hoc revelavit, sed quia logice pugnant cum iis, quae Deus revelavit.

533. *Ecclesiam esse infallibilem in diiudicandis conclusionibus theologis patet ex fine infallibilitatis, quia infallibilitatem ecclesia ideo accepit, ut incorruptum servaret depositum fidei. Atqui depositum fidei destrui potest per errores ordinis naturalis. Ergo ecclesia debet esse infallibilis in diiudicandis iis doctrinis ordinis naturalis, quae ipsas res revelatas afficiunt. Fac enim a philosopho affirmari naturalem potentiam intellectus ad investigandum omne verum cuiuslibet ordinis; consequenter negatur dogma revelatum de mysteriis stricte dictis. Vel suppone philosophum negare Dei existentiam posse certo cognosci; hac assertionem destruitur possibilitas fidei supernaturalis. Ergo ecclesia, nisi infallibiliter iudicare potest de veritate aut falsitate talium doctrinarum naturalium, impar est deposito fidei custodiendo et integro tradendo.*

534. *Ideo videmus ecclesiam saepe damnasse theses philosophicas, quae cum veritatibus revelatis conciliari non possunt. Exempla praebent traditionalismus, ontologismus, Güntheri doctrina multaque alia similia tum nostrorum tum priorum temporum; decretis autem suis contra haec falsa systemata latis ecclesia absolutam oboedientiam intellectualem postulavit. Ergo nisi velimus dicere ecclesiam in his rebus limites auctoritatis suae transgressam esse, debemus fateri infallibilitatem eius se ad haec obiecta extendere. Hoc concilium vaticanum sess. 3, c. 4 non obscure indicat: „Porro ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatam accepit fidei depositum custodiendi,*

ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimae scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem praese ferant, habere tenentur omnino“ (Denz. n. 1798). Si ecclesia habet ius et officium falsas doctrinas philosophicas revelationi contrarias proscribendi, et si fideles hac in re omnino oboedire tenentur, ecclesia in exercitio huius officii infallibilis est (cf. ep. Pii IX ad archiep. monach., Denz. n. 1674 sqq. 1684, et Leonis XIII encycl. „Sapientiae christianae“). Inter theologos de hac doctrina convenit, sed dissentiunt de censura, quam opposita opinio mereatur (cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit I, n. 90 sqq.).

535. *Conclusiones theologicae non sunt fide divina credendae. Fuerunt quidem theologi, qui docebant decreta ecclesiae de conclusionibus theologis esse dogmata proprie dicta et fide divina credenda, cum non ob naturales rationes sed ob assistentiam Spiritus Sancti ecclesia esset infallibilis in his decretis, et ideo ipsa auctoritas Dei nos moveret ad ea amplectenda. At hoc non videtur admittendum. Quamvis enim Spiritus Sanctus ecclesiam in his decretis formandis praeservet ab errore, hoc non fit per novam revelationem. Itaque cum Deus ab initio has conclusiones non proposuerit ut sua testimonia, et nunc ecclesia eas inveniat ope ratiocinii naturalis, non possunt hae doctrinae simpliciter accenseri verbo Dei revelato, sed sunt medium quid inter veritatem revelatam et veritatem naturalem, id quod exprimitur vocabulo „conclusionis theologicae“. Quod enim „conclusiones“ nominantur, indicat eas non esse immediata testimonia divina; quod vero „theologicae“ sunt, indicat eas versari circa obiecta non pure naturalia, et eorum authenticam propositionem per ecclesiam fieri sub supernaturali Dei assistentia.*

Assensus vero, qui versatur circa conclusiones theologicas, ob easdem rationes non est quidem assensus fidei divinae, at neque pure naturalis sed *assensus theologicus*, non solum ratione obiecti, sed etiam ratione principii subiectivi, quia procedit a ratione fide illustrata. Ceterum patet hunc quoque assensum esse alium, si quis assentitur, quia ipse conclusiones deduxit; alium, si assentitur, quia ecclesia has conclusiones auctoritative proposuit. In hoc enim altero casu habetur assensus, qui simul est oboedientia intellectualis erga auctoritatem ecclesiasticam, eamque infallibilem. Nihilominus hic actus non evehitur ad dignitatem fidei divinae; nam ad actum fidei divinae non determinatur per infallibilem propositionem ecclesiae, sed per revelationem talis obiecti. In conclusionibus autem theologis obiectum non est revelatum, sed cum alia re revelata cohaeret. Ergo quamvis etiam

in his rebus Spiritus Sanctus ecclesiam infallibilem reddat, haec tamen assistentia non efficit, ut obiectum sit revelatum, sed ut ecclesia etiam circa obiecta non revelata sine errore versetur. Itaque distinguendum est inter „credere“ et „tenere“, quia teneo quidem, quaecumque ecclesiastica auctoritas tenenda proponit, at non haec omnia fide divina credo (cf. VIII, n. 258 sqq.).

Cum in *concilio vaticano* proposita esset formula de infallibilitate romani pontificis, in qua occurrebant haec verba: „Docemus . . . romanum pontificem . . . vi assistentiae divinae ipsi promissae errare non posse, cum definit, quid in rebus fidei et morum ab universa ecclesia fide tenendum vel tamquam fidei contrarium reiiciendum sit“ (Collect. Lac. VII 273), postea haec verba mutata sunt ita: „Docemus . . . romanum pontificem . . . cum doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit . . . infallibilitate pollere“ (l. c. 431). Quae formula in definitione habetur (l. c. 487). Ratio mutationis erat, ne infallibilitas pontificia ad ea sola restricta videretur, quae fide divina credenda sunt. De qua re episcopus *Gasser* in congregatione generali inter alia haec dixit: „Continetur in definitione obiectum infallibilitatis. Infallibilitas promissa est ad custodiendum et evolvendum integrum depositum fidei. . . . In ipso verbo Dei . . . continetur indubitanter hanc infallibilitatem extendi saltem ad ea, quae per se depositum fidei constituunt, ad dogmata nimirum fidei definienda, et, quod eodem redit, ad haereses condemnandas. . . . At cum dogmatibus revelatis veritates aliae magis vel minus stricte cohaerent, quae, licet in se revelatae non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum. . . . Hinc omnes catholici theologi consentiunt ecclesiam in huiusmodi veritatum authentica propositione ac definitione esse infallibilem, ita ut hanc infallibilitatem negare gravissimus esset error. Sed opinionum diversitas versatur unice circa gradum certitudinis, utrum scilicet infallibilitas in hisce veritatibus proponendis ac proinde in erroribus per censuras, nota haereseos inferiores, proscribendis debeat censeri dogma fidei, ut hanc infallibilitatem ecclesiae negans esset haereticus, an solum sit veritas in se non revelata, sed ex revelato dogmate deducta ac proinde solum theologice certa. . . . Cum autem Patribus deputationis unanimi consensione visum sit hanc quaestionem nunc saltem non definiendam sed relinquendam esse in eo statu, in quo est, necessario consequitur ex eorundem deputatorum sententia decretum fidei de infallibilitate romani pontificis ita esse concipiendum, ut definiatur de obiecto infallibilitatis in definitionibus romani pontificis omnino idem credendum esse, quod creditur de obiecto infallibilitatis in definitionibus ecclesiae. . . . In illis, in quibus theologice quidem certum, non tamen hactenus certum de fide est, ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas pontificis hoc decreto sacri concilii non definitur tamquam de fide credenda“ (Collect. Lac. VII 414 sqq.).

### Prop. XLIX. Ecclesia est infallibilis in diiudicandis factis dogmaticis.

**536.** *Factum dogmaticum generatim est quodlibet factum cum dogmate conexum* per modum condicionis, qua stante dogma nobis stat, qua vero remota dogma quoad nos cognoscibilitate privatur. Tale factum dogmaticum est e. g. legitimitas concilii oecumenici vel authentia sacrorum librorum. Itaque factum dogmaticum est plus quam factum mere historicum, etsi ecclesiasticum, quod ipsum dogma non afficiat. Neque tamen est factum divinum, i. e. factum, quod a Deo revelatum et divina fide credendum est, sed potius referendum est inter conclusiones theologicas.

**537.** *Strictiore sensu factum dogmaticum est factum doctrinale seu factum in eo consistens, quod in certo libro (non inspirato) certa doctrina orthodoxa vel heterodoxa continetur.* Itaque iudicium ecclesiae de facto dogmatico circa duas quaestiones versatur: a) num doctrina, de qua agitur, in libro vel textu contineatur (sensus quis seu quaestio facti); b) utrum haec doctrina sit rectae fidei conformis necne (sensus qualis seu quaestio iuris). Ecclesia non iudicat de sensu pure subiectivo, quem auctor libri forte habuit in mente, sed de sensu obvio, qui verbis exprimitur; ergo de sensu auctoris eatenus tantum fit iudicium, quatenus intentio in executione apparet; seu iudicium fit de sensu obiectivo, quem auctor intendere debuit, si prudens et sciens locutus est. De hoc facto dogmatico quaeritur in propositione. Sensus igitur nostrae propositionis est ecclesiam posse infallibile iudicium ferre, quem sensum verba alicuius libri prae se ferant, et utrum hic sensus sit orthodoxus an heterodoxus.

**538.** *Quaestio haec maxime agitata est a iansenistis, qui negando infallibilitatem ecclesiae in factis dogmaticis studebant a se avertere condemnationem pontificiam* (cf. tom. V, n. 116 sqq.). Nam cum *Innocentius X* constitutione „Cum occasione“ (1653) quinque propositiones e libro Iansenii, qui inscribitur „Augustinus“, damnasset (*Denz.* n. 1092 sqq.), iansenistae dixerunt eas propositiones merito damnatas esse, at non inveniri in Iansenii libro, vel saltem sensum damnatum non esse sensum a Iansenio intentum. Ita *A. Arnauld* in libro „Lettre à un duc et pair“ (1656), *Pascal*, *Lettres provinciales* (16 et 18), *Quesnel*, alii. At *Alexander VII* in constitutione „Cum ad S. Petri sedem“ (1656) declaravit: „Quinque illas propositiones . . . in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse definimus et declaramus“ (*Denz.* n. 1098); in constitutione vero „Regiminis apostolici“ (1664) hanc formulam subscribendam proposuit: „Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X, datae die 31 maii 1653, et constitutioni Alexandri VII, datae die 16 octobris 1656, summorum pontificum, me subicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen Augustinus,

excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes apostolica damnavit, sincero animo reicio ac damno, et ita iuro" (*Denz.* n. 1099). Tunc iansenistae dixerunt se utique vi harum constitutionum obligatos esse ad „obsequiosum silentium“, non vero ad internum assensum. Quod effugium destruxit *Clemens XI* constitutione „Vineam Domini“ (1705) declarando: „oboedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio nequaquam satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus christifidelibus ut haereticum non ore solum, sed et corde reici ac damnari debere, nec alia mente, animo aut credulitate supra-dictae formulae subscribi licite posse“ (*Denz.* n. 1350). Itaque in hoc speciali casu suprema auctoritas ecclesiastica definivit ecclesiam posse de sensu libri ab auctore intento ita iudicare, ut omnes fideles obligentur ad internum assensum praestandum. Censuit igitur ecclesia se in hac re esse infallibilem; ergo infallibilis est.

539. *Tota traditio ostendit ecclesiam semper ita de sua infallibilitate sensisse.* Nam concilium nicaenum damnavit librum Arii, qui „Thalia“ inscribatur; concilium ephesinum scripta Cyrilli approbavit, Nestorii damnavit; constantinopolitanum II tria capitula damnavit; concilium constantiense praescripsit, ut quilibet suspectus errorum Wicliff et Hus interrogaretur: „utrum credat, quod condemnationes Ioannis Wicliff, Ioannis Hus et Hieronymi de Praga, factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale constantiense concilium, fuerint rite et iuste factae et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae“ (*Denz.* n. 659). Ita ex omni fere aetate afferri possunt iudicia ecclesiastica, quibus et libri et auctores propter libros vel approbantur vel condemnantur, et ita quidem, ut haec iudicia censeantur valida pro universa ecclesia et obligantia ad internum assensum. Atqui ecclesia in hac praxi tam firma et constanti errare non potuit.

540. *Ceterum idem suadent rationes internae.* Ecclesia enim constituta est ad depositum fidei integrum servandum et fideles ab erroribus tuendos. Atqui hoc officio efficaciter fungi ecclesia nequit, si quilibet potest impune contrarias doctrinas spargere et iudicium ecclesiae effugere eo, quod auctoritas ecclesiastica non recte intellexerit sensum libri sui. Neque enim possunt homines doceri nisi signis externis et maxime verbis. Unde si ecclesia in verborum sensu diiudicando non est infallibilis, non potest cavere, ne fideles falsas doctrinas pro veris addiscant et teneant. Itaque practice inutilis esset infallibilitas in quaestione iuris, nisi ecclesia etiam esset infallibilis in quaestione facti, utrum scilicet haec vel illa verba a scriptore adhibita catholicam doctrinam rite exprimerent necne. Iansenistae bene intellexerant hanc distinctionem inter infallibilitatem ecclesiae circa quae-

stionem iuris et fallibilitatem circa quaestionem facti, si admitteretur, inexpugnabile praesidium haeresi suae praebere, sed hac ipsa sua astutia id effecerunt, ut veritas clarius ab omnibus perspiceretur. Cf. quae scribit S. Paulus ad Timotheum 1 Tim. 6, 20; 2 Tim. 1, 13; 2, 16, et quae habet S. Thomas 2, 2, q. 11, a. 2 ad 2.

Interdum quidem apud SS. Patres dicta occurrunt, quibus negant ecclesiam posse iudicare de interna sententia hominum; sed dicendi sunt loqui de sensu pure interno, non de obvio sensu verborum, quamvis concedendum sit nostram sententiam non semper eodem deserto modo et iisdem terminis quibus hodie propositam esse.

**Prop. L. Ecclesia est infallibilis in decretis disciplinariis et in approbatione ordinum religiosorum.**

541. *Pars I.* Decreta disciplinaria intelleguntur *leges ecclesiasticae*, quibus homines diriguntur ad Deum recte colendum et ad vitam bene instituendam. Sunt igitur leges humanae, non divinae, quia leges divinae pertinent ad doctrinam revelatam, de qua iam diximus. Possunt decreta disciplinaria edi aut pro universa ecclesia aut pro particulari casu vel pro particulari ecclesia. De solis prioribus decretis loquimur, i. e. decretis, quae a summo pontifice aut a concilio oecumenico omnibus fidelibus praescribuntur. Ecclesiam habere potestatem ferendi leges iam probavimus. Itaque quod hic volumus, nihil aliud est nisi *ecclesiam per assistentiam Spiritus Sancti adiuvari, ne unquam statuatur leges rectae fidei vel bonis moribus oppositas*; eatenus enim haec decreta disciplinaria sunt obiecta infallibilitatis ecclesiasticae, quatenus cum fide et moribus cohaerent. Neque igitur affirmamus leges ecclesiasticas esse semper omnium, quae excogitari possint, prudentissimas. Nulli enim rectoribus ecclesiae summus gradus prudentiae in rebus agendis promissus est, sed saltem talis, qualis sufficit ad fidem et mores intacta servanda. Neque dicimus leges ecclesiasticas esse immutabiles, cum eadem auctoritas, quae leges statuit, eas abrogare possit, et cum mutatio legum propter mutatas circumstantias saepe necessaria sit. Sed quomodocumque mutantur, ecclesia nihil unquam contra fidem et bonos mores praecipere potest.

542. *His praemissis propositio ex natura rei videtur evidens.* Nam si ecclesia pro suprema sua auctoritate omnibus fidelibus aliquid praeciperet contra fidem et bonos mores, iam tota ecclesia practice errorem profiteretur, cum doceret Deum velle, ut omnes agerent id, quod reapse Deus vetat, aut ut ommitterent id, quod reapse Deus praecipit. Error practicus non minus est error quam theoreticus, et per constantem agendi modum homines non minus efficaciter sententiam suam manifestant quam per verba. Ergo error practicus contra fidem et mores supponeret errorem theoreticum et esset efficacissima professio

eius. Itaque si in tali re errasset, ecclesia succubisset potestati diaboli, et omnes promissiones Christi ecclesiae factae effectu frustratae essent.

543. Revera videmus iam *apostolos* in statuendis primis legibus ecclesiasticis provocantes ad assistentiam Spiritus Sancti: „Visum est Spiritui Sancto et nobis“ (Act. 15, 28). *Concilium constantiense* de consuetudine recipiendi eucharistiam sub una tantum specie ait: „Dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censi debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arceri sunt et graviter puniendi“ (Denz. n. 626). *Concilium tridentinum* sess. 7, c. 13 de sacram.: „S. q. d. receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus, in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, A. S.“ (Denz. n. 856). Sess. 22, c. 7: „S. q. d. caerimonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, A. S.“ (Denz. n. 954). Ex censura *Pii VI* doctrina pistoriensium (prop. 78), „quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiciat etiam disciplinam ab ecclesia constitutam et probatam, quasi ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patitur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: falsa, temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea“ (Denz. n. 1578).

Quod ecclesia obligat sacerdotes ad recitandas in breviario *lectiones secundi nocturni*, quae interdum veritati historicae non respondent, non est contra fidem et bonos mores, cum ecclesia numquam iudicaverit se infallibilem testem esse in factis privatis et particularibus, de quibus ibi agitur, sed saepius quaestionibus historicis melius discussis illas lectiones mutaverit. Nihilominus inde non efficitur lectiones illas leviter esse tractandas, cum pleraeque veteri traditioni inmittantur; sed rationes contrariae, si quae occurrunt, modeste sunt proponendae et iudicium de opportunitate mutationum auctoritati ecclesiasticae relinquendum (cf. *Benedict. XIV*, De servorum Dei beatificatione et canonizatione l. 4, p. 2, c. 13, n. 78).

544. *Pars II.* Ad res disciplinares revocari potest *approbatio ordinum religiosorum*, quia haec approbatio versatur circa leges humanas. Ordo enim religiosus est societas hominum, qui per tria vota perpetua paupertatis, castitatis, oboedientiae secundum certam regulam studio perfectionis christianae incumbunt. Quamvis essentia status religiosi consistat in tribus illis votis, non potest tamen fieri, ut homines societatem religiosam ineant, quin certis quibusdam legibus tum vita communis tum modus specialis servandi vota tum alii fines, quos sibi

forte proponunt, et media apta ad hos fines determinentur. Vota tria perpetua omnibus veri nominis ordinibus communia sunt, sed certa regula seu determinata institutorum forma ordo ab ordine differt. Approbatio ecclesiae, quatenus est iudicium theoreticum de honestate talis instituti, non versatur circa honestatem trium votorum, quia haec ab ipso Christo Domino approbata sunt, sed circa honestatem regulae seu specialium institutorum et circa opportunitatem novi ordinis. Quaestio, quam hic tractamus, est haec: possitne ecclesia unquam approbare instituta alicuius ordinis, quae sint contraria fidei vel bonis moribus vel inutilia ad perfectionem assequendam. Ad quam quaestionem omnes theologi unanimiter negative respondent et docent ecclesiam quoad hoc iudicium doctrinale esse infallibilem (cf. *Suarez*, De statu relig. 2, 17, 17 sqq.; *Bellarmino*, De monach. 4; *Tanner*, De fide disp. 1, q. 4, dub. 7). *Duplex genus approbationis* distingui potest, alterum, quo solum declaratur tale institutum esse laudabile et fideles in illud tuto ingredi posse, alterum, quo formaliter et definitive institutum fit ordo proprie dictus. De hac sollemni approbatione loquimur.

545. *Summos pontifices censuisse se esse infallibiles in huiusmodi approbationibus* patet ex formula bullis approbationis inseri solita, qua omnibus fidelibus interdicitur, ne audeant approbationem impugnare. Formula communis haec est: „Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.“ Interdum etiam poena excommunicationis adicitur, ut e. g. in bulla *Gregorii XIII* „Ascendente Domino“, qua confirmatur institutum Societatis Iesu: „Praecipimus in virtute sanctae oboedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae necnon inhabilitatis ad quaevis officia et beneficia saecularia et quorumvis ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ne quis, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae existat, dictae societatis institutum, constitutiones, vel etiam praesentes aut quemvis eorum vel supradictorum omnium articulum vel aliud quid supradicta concernens, quovis disputandi vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte impugnare vel iis contradicere audeat.“ Atqui admitti nequit summum pontificem posse tali modo pro suprema sua auctoritate tueri res fidei et bonis moribus contrarias. Ergo approbationes sollemnes ordinum religiosorum sunt obiectum infallibilitatis.

546. Ceterum *idem ratio a priori suadet*. Pontifex enim, quando ordinem approbat, toti ecclesiae hoc vitae institutum proponit ut viam tutam non virtutis tantum sed etiam perfectionis acquirendae. Atqui Spiritus Sanctus permittit nequit, ut res mala et peccaminosa pro virtute et perfectione universae ecclesiae a summo pontifice auctoritative

proponatur. Ergo in his approbationibus pontifex est infallibilis. Dirigitur enim approbatio ad totam ecclesiam, ita ut nulli iam liceat tale institutum habere pro non sancto et perfectioni contrario. Fieri quidem potest, ut membra alicuius ordinis paulatim a sanctitate deficient, vel ut speciale institutum religiosum per decursum temporum et propter mutatas condiciones fiat inopportunum et ideo merito supprimatur; at numquam fieri potest, ut ecclesia auctoritative approbet, quod non sit in se sanctum et perfectioni congruum. Quae de hac re scripsit *Canus* (De loc. theol. 5, 5), sunt imprudenter et irreverenter dicta et a reliquis theologis reiciuntur. De religiosis cf. *Codex iur. can.*, can. 487 sqq.

### Prop. LI. Ecclesia est infallibilis in canonizatione sanctorum.

547. *Canonizatio est ultima et definitiva sententia summi pontificis, qua servus Dei in ecclesiam triumphantem receptus esse declaratur et omnibus fidelibus colendus proponitur.* Distinguitur a *beatificatione*, quae est iudicium praeivium, quo permittitur tantum cultus alicuius servi Dei aut saltem non universaliter praecipitur. Praeceptum non intellegitur, quo universa ecclesia obligetur ad officium et missam de sancto dicendam, quia non omnes sancti canonizati habent officium praescriptum pro universa ecclesia, sed praeceptum in eo est, quod omnes fideles obligantur ad illum indubitanter pro sancto habendum, i. e. pro tali, qui publico cultu dignus sit (*Benedict. XIV*, De serv. Dei beatif. 1, 38, n. 14 15). „Ideo ultima differentia inter beatificationem et canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus vel in eius coartatione ad personas aut locos particulares, quae in beatificatione habeatur secus ac in canonizatione, sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia, cultum aliis sanctis debitum in universa ecclesia per canonizationem, nequaquam vero per beatificationem praecipiente“ (*Benedict. XIV* l. c. 1, 39, n. 14).

548. Prima formalis et sollemnis canonizatio fuit S. Udalrici per Ioannem XV a. 993 facta (cf. *Bollandist.*, Propyl. maii dissert. 20 [ed. Antverp. 1685], 121 sqq.; *Denz.* n. 342). Antea potius in usu erat *canonizatio aequipollens*, quae in eo consistit, quod quis sine formali canonizatione in universa ecclesia ut sanctus colitur. Neque tamen putandum est ab initio licuisse fidelibus, quemcumque tali honore dignum iudicaverint, pro sancto colere. Sancti, qui primi colebantur in ecclesia, erant martyres. At his cultus non impendebatur, priusquam eorum acta ab episcopo examinata et approbata essent. Haec dicebatur *vindicatio martyrum*. Quia vero nomina et acta martyrum ab una ecclesia ad aliam et potissimum ad romanam mittebantur, cultus martyrum insigniorum probantibus episcopis et romano pontifice paulatim per totam ecclesiam extendebatur, et sic orta est canonizatio aequipollens. Cuius canonizationis etiamnunc species quaedam existit, quando romanus pontifex „cultum immemoriam“ alicuius sancti

approbat omissis ordinariis formalitatibus processus. Saltem inde a fine saeculi IV etiam confessores, i. e. viri eximia sanctitate conspicui, coli coepti sunt, ut e. g. S. Ephraem in ecclesia orientali et S. Martinus Turonensis in ecclesia occidentali; hoc tamen non fiebat sine consensu episcoporum. Quae approbatio episcoporum a nonnullis vocatur canonizatio particularis, sed rectius dicitur beatificatio, quia canonizatio proprie dicta est res spectans ad totam ecclesiam ideoque sine consensu summi pontificis numquam fieri potuit. Ab Alexandro III ipsum quoque ius beatificationis (non canonizationis tantum) soli romano pontifici reservatum est, de qua re cf. *Benedict. XIV*, De serv. Dei beatif. 1, 10, n. 3 sqq., qui historiam beatificationis et canonizationis late exponit 1, 2 sqq. Itaque totum negotium hodie unice ad summum pontificem (aut concilium oecumenicum) pertinet.

549. Inter effectus canonizationis, quos enumerat *Benedictus XIV* (l. c. 1, 38, n. 1), etiam is est, quod *nomina sanctorum in martyrologio inscribuntur*; at idem notat hanc inscriptionem per se non esse canonizationem neque formalem neque aequipollentem, cum nomina eorum quoque ibi inveniantur, qui numquam proprie canonizati sunt, et cum variae correctiones suis temporibus factae sint (l. c. 1, 43, n. 14). Nos hic loquimur de canonizatione proprie dicta et proxime quidem de formali, quamvis argumenta facile extendi possint ad canonizationem aequipollentem. Quid censendum sit de iudicio romani pontificis in beatificatione, cf. *Benedict. XIV* l. c. 1, 42.

550. Solutio quaestionis de infallibilitate summi pontificis in canonizando praecipue inde petenda est, *quid ipsi summi pontifices de hoc actu censuerint*. Ecclesiastica enim auctoritas scire debet, quibus in actibus ipsa sit infallibilis. Iam vero secundum communem regulam pontifices tum ut infallibiles doctores agunt, cum pro suprema sua auctoritate universam ecclesiam ad aliquid tenendum obligant. Atqui hoc fit in canonizatione. Formula enim, qua in actu canonizationis summus pontifex utitur, haec est: „Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate D. N. Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in urbe existentium consilio, Beatum N. sanctum esse decernimus et definimus ac sanctorum catalogo adscribimus, statuentes ab ecclesia universali illius memoriam quolibet anno die eius natali . . . pia devotione recolere. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen“ (*Benedict. XIV* l. c. 1, 36, n. 21). Quae verba solent repeti in bulla canonizationis, in cuius fine adduntur haec: „Praedicta omnia ad universalis ecclesiae notitiam deduci praesentesque litteras ad perpetuam rei memoriam dare vo-

luimus. . . . Nulli ergo liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac ss. apostolorum Petri et Pauli se noverit incursum." Quae verba significant supremam auctoritatem, diriguntur ad universam ecclesiam, praescribunt aliquid absolute tenendum. Ergo omnia in iis inveniuntur, quibus ecclesia significat exercitium suae infallibilitatis. Varias formulas, quae in actis canonizationum occurrunt, vide in Zeitschrift für kathol. Theologie, Innsbruck 1900, 606 sq.

Idem confirmatur oratione, quam habuit *Sixtus V* in ultimo consistorio pro canonizatione S. Didaci, de qua oratione haec in actis leguntur: „Tum pontifex . . . e solio contionem habuit . . . qua in contione a rei, quae agebatur, magnitudine exorsus, primo de potestate pontificis auctoritateque ecclesiae, quae a Deo tradita est, illuminate divineque dixit. Tum demonstravit et sacris litteris et rationibus ex intima theologia depromptis omnique argumentorum genere romanum pontificem, verum successorem B. Petri, apostolorum principis, pro quo oravit Christus Dominus, ne eius fides deficeret, eundemque verum caput ecclesiae, quae est firmamentum et columna veritatis, quaeque a Spiritu Sancto regitur et gubernatur, in sanctorum canonizatione errare et falli non posse. Idque non modo pie sed necessario et certissima fide credendum affirmavit" (*Benedict. XIV* l. c. 1, 43, n. 2). Quae quidem verba non sunt definitio ex cathedra: attamen ostendunt, qua mente Sixtus V canonizationes peregerit. *Benedictus XIV* in libro, quem quidem ante pontificatum scripsit, sed pontifex factus comprobavit et edendum curavit, suam sententiam ita exprimit: „Si non haereticum, temerarium tamen, scandalum toti ecclesiae afferentem, in sanctos iniuriosum, faventem haereticis negantibus auctoritatem ecclesiae in canonizatione sanctorum, sapientem haeresim, utpote viam sternentem infidelibus ad irridendum fideles, assertorem erroneae propositionis et gravissimis poenis obnoxium dicemus eum, qui auderet asserere pontificem in hac aut illa canonizatione errasse, huncque aut illum sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliae colendum" (l. c. 1, 45, n. 28)<sup>1</sup>.

551. *Obicit Launoy* in epistula ad Ioannem Gerbasium olim romanos pontifices hanc formulam actui canonizationis praemisisse: „Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos praesentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem aut catholicam ecclesiam sive honorem Dei." Unde *Launoy* concludit: „Sic pontifex cum formidine erroris docet et pronuntiat e cathedra, in quam prius ascenderat" (Ep. l. 3,

<sup>1</sup> Itaque iudica, quam verum sit, quod dicunt *Döllinger* et *Reusch*: „Ausführlich handelt über die Frage [Unfehlbarkeit des Papstes bei Heiligsprechungen] *Benedikt XIV*, De serv. Dei beatif. 1, 42—45. Er läßt sie unentschieden" (Die Selbstbiographie des Kardinals Bellarmin [Bonn 1887] 300, nota).

ep. 1, n. 19; Opera omnia V, Coloniae Allobrogum 1731, 1, 268). Haec et alia dicteria, quae ibi adiungit, sunt *Launoy* plane digna, ut qui esset homo eruditus quidem sed zelo impugnandi auctoritatem romani pontificis obcaecatus. *Benedictus XIV* hanc difficultatem nullo negotio expedit: „Non apparet, quomodo ex hoc actu inferri possit summos pontifices admisisse se in actu canonizationis esse posse errori obnoxios. Non enim summi ipsi pontifices solum emittebant dictam protestationem, verum etiam ad ulteriora progrediebantur; hoc est, adhibitis licet omnibus humanis diligentibus, indictis precibus, emissis quoque per semet ipsos ad Deum obsecrationibus, ut quemcumque dignaretur avertere ab actu errorem, suam quidem adhuc per actum publicum humanam patefaciebant imbecillitatem, et se tamquam homines privatasque personas citra Spiritus Sancti praesentiam falli posse publice protestabantur, ut sic videlicet per humilitatis viam ad praerogativam infallibilitatis a Deo sibi in actu universam ecclesiam respiciente promissae ascendere mererentur, utpote non in semet ipsis sed in praesentia Spiritus Sancti memoratam constituentem infallibilitatem. Sed et exclusa subinde quacumque formidine sententiam porro proferebant non condicionalem, verum absolutam atque ad universam ecclesiam pertinentem; declarabant quippe, statuebant, definiebant firmiter tenendum beatos, qui a se canonizabantur, esse reponendos in sanctorum catalogo et esse in universa ecclesia colendos, imposita quoque refragatoribus anathematis poena, ut colligitur ex formulis canonizationum" (*Benedict. XIV*, De serv. Dei beatif. 1, 44, n. 21). Ibidem recte notat etiam ante concilia universalia a Patribus praemitti orationem, qua Deum rogant, ne permittat se in sinistram trahi ignorantia sua; non quia timent, ne concilium errare possit, sed quia sciunt se ut homines errare posse et sola assistentia Spiritus Sancti fieri infallibiles (cf. Zeitschrift für kathol. Theol., Innsbruck 1890, 599 sq.).

552. *Alia argumenta*, quae pro nostra propositione afferri solent, ad hoc primum fere reducenda sunt, ut firmam vim habeant. Dicunt enim maculari cultum, si quis, qui esset damnatus, pro sancto coleretur, et proponi in hoc casu medium sanctificationis obiective falsum, et alia similia, quae admittenda non sint. Quibus alii opponunt haec nihil probare, cum etiam quaevis hostia adoranda sit, quam cum sufficienti certitudine morali, licet nequaquam infallibiliter, constet esse consecratam. At neganda est paritas, cum numquam summus pontifex universam ecclesiam obliget ad aliquam particularem hostiam pro consecrata tenendam, sicut obligat ad aliquem pro sancto habendum. Itaque ad bonitatem moralem actionis saepe sufficit, ut de obiecto eius materiali habeatur practica quaedam certitudo; at non ita in re nostra, cum „ecclesia profiteatur tamquam speculative verum sanctum ipsum esse in aeterna gloria" (*Benedict. XIV* l. c. 1, 43, n. 12). Varia argumenta confirmantia vide apud *Canum*, De loc. theol. 5, 4. Notandum



est praeterea ecclesiam in canonizatione sanctorum niti quidem testimoniis humanis, at ultimam rationem infallibilitatis esse assistentiam Spiritus Sancti, qui potest per vias in se fallibiles ducere ad infallibile iudicium.

553. Quod ad *certitudinem thesis* attinet, diversae sunt theologorum opiniones. *S. Thomas* ait: „Quia honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium ecclesiae errare possit“ (Quodl. 9, a. 16). *Suarez*: „Non licet fidelibus dubitare de gloria sancti canonizati; id enim sub praecisa obligatione praecipunt pontifices in ipsa canonizatione; ergo oportet, ut illi praecepto non possit subesse error, alias deficeret Deus in re maxime necessaria ecclesiae, quod est contra providentiam et promissiones eius, et ideo, quamvis haec illatio non sit de fide, censeo esse satis certam et contrariam esse impiam et temerariam“ (De fide disp. 5, sect. 8, n. 8). *Arriaga*: „Igitur ex his omnibus modis loquendi tot pontificum colligo papam in canonizationibus non solum errare non posse, sed id esse de fide“ (De fide disp. 9, sect. 5, n. 27. Multos alios citat *Benedict. XIV* l. c. 1, 45). Longe communior sententia est nostram propositionem esse theologice certam; id enim saltem sequitur ex argumentis; fide divina credenda non est, quia non est immediate revelata; fide ecclesiastica tenenda non est, quia nondum est definita<sup>1</sup>.

Sanctum vero canonizatum esse in caelo videtur fide ecclesiastica, i. e. cum assensu absoluto et certo, tenendum, quia ex una parte id ecclesia definit in canonizatione, neque ex altera parte apparet, cur ad alium religiosum assensum inferioris dignitatis recurrendum sit in re, quae a suprema auctoritate universae ecclesiae sollemnissimo modo tenenda proponitur. Neque tamen dicendum est hoc fide divina debere credi (quamvis hoc nonnulli censere videantur), cum Deus nihil de hoc vel illo sancto revelaverit.

554. *Schol.* De valore dogmatico propositionum et de censuris doctrinalibus.

Distinguendi sunt varii gradus assensus fidei. Assensu super omnia firmissimo seu *assensu fidei divinae* credimus ea, quae a Deo revelata sunt, et quia revelata sunt.

Assensu absolute certo absque ulla formidine erroris propter auctoritatem ecclesiae tenemus ea, quae ecclesia omnibus tenenda proponit, non quia a Deo revelata sunt, sed quia cum veritatibus revelatis logice ita cohaerent, ut ipsa revelatio salva esse non possit, si haec doctrinae negantur. Hoc assensu subicimus intellectum nostrum non

<sup>1</sup> Ex diversis iudiciis theologorum formatur obiectio in *Études CIII* (Paris 1905) 243 sqq., qua nihil aliud probatur nisi in hac quoque parte progressum theologiae factum esse, ut ibidem 267 exponitur.

directe Deo ipsi, sed auctoritati ecclesiasticae, quatenus haec etiam in diiudicandis veritatibus non revelatis per assistentiam Spiritus Sancti infallibilis est. Motivum formale huius assensus est ecclesia infallibiliter docens, dum in assensu fidei divinae doctrina ecclesiae non est motivum sed condicio praevia. Ideo hic assensus est *fides ecclesiastica*, quae praesupponit fidem divinam et ad eam reducitur. Distinguitur igitur fides ecclesiastica a fide divina non ultimo motivo, quod excludit errorem, quod in utroque casu est auctoritas Dei revelantis, sed proximo motivo, quod directe impellit ad assensum, quod in fide divina est revelatio Dei, in fide ecclesiastica doctrina ecclesiae. Essentialis igitur distinctio est in formalissima illa ratione, sub qua ultimum motivum assensus in intellectum nostrum influit (cf. VIII, n. 256).

*Assensu religioso*, qui per se non excludit omnem formidinem erroris, tenemus ea, quae ab auctoritate ecclesiastica non infallibili tenenda proponuntur, vel a suprema quidem sed non pro supremo gradu auctoritatis.

555. Ea, quae fide divina credenda sunt, dicuntur *dogmata*. Illa dogmata, quae sunt primaria et alia quodammodo virtute continent, dicuntur *articuli fidei*. „Ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hac fidei confessione [in symbolo], quidquid distincte et separatim ab alio nobis credendum est, recte et apposite articulum dicimus“ (*Catech. Rom.* pars 1, c. 1, n. 4).

Si res est quidem certo revelata, at neque ab ecclesia definita neque in fontibus revelationis tam clare proposita, ut ab omnibus cognoscatur, dicitur *propositio de fide*. Propositio, quae a plurimis theologis communiter revelata habetur, dicitur *fidei proxima*.

Propositio, quae non est in se revelata, sed ex revelatis certo deducitur, sive ab ecclesia definita est sive non est, dicitur *theologica certa*. Propositiones, quae ex revelatis probabiliter tantum deducuntur, interdum vocantur *conclusiones scholasticae*.

556. His suppositis facile intellegitur vis censurarum doctrinalium. *Censura* est qualificatio, qua propositio notatur ut fidei vel bonis moribus aliquo modo opposita. Si censura a magisterio ecclesiastico procedit, est iudicialis: si a privatis tantum theologis, est pure doctrinalis. Ceterum privatis theologis non licet censuram inurere iis propositionibus, quae etiam nunc libere inter catholicos controvertuntur (*Denz.* n. 1216). Itaque censuras ferre inferioris gradus est singulorum episcoporum, conciliorum particularium, congregationum romanarum, supremi gradus romani pontificis et concilii oecumenici.

Quod supra dictum est de magisterio ecclesiastico non supremo, scilicet eius decisiones interno mentis assensu recipiendas esse, idem valet de omni iudicio ecclesiastico, quo inuritur alicui doctrinae nota haeresi inferior. Itaque propositiones tali modo notatae interno mentis assensu eo sensu reiiciendae sunt, quo notantur; ut declarant

*Martinus V* (Denz. n. 658); *Clemens XI* in bulla „Unigenitus“: „Mandamus omnibus . . . ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in nostra constitutione continetur“; *Pius IX* (Denz. n. 1698) etc. Inde etiam patet has *censuras pontificias esse irrevocabiles*, quia pronuntiantur ut perpetuo valiturae pro tota ecclesia neque umquam revocantur; et consequenter, quia non licet propositiones censuratas umquam ut veras defendere, concludendum est eas esse obiective falsas, etsi hoc verbis censurae non diserte exprimatur, quia supponi nequit ecclesiam posse universaliter et in perpetuum prohibere, ne doctrina obiective vera umquam proponatur ut vera. Excipiuntur eae propositiones, quae non ob rem, quam enuntiant, censurantur sed solum ob modum loquendi, quia modus loquendi varius esse potest variis temporibus (censura oeconomica).

Interdum censurae ita feruntur, ut singulis propositionibus sua censura appendatur; interdum multae propositiones in *globo* damnantur, quo in casu singulis propositionibus una ex censuris convenit, quae vero in particulari, videndum est ex subiecta materia; interdum uni propositioni multae censurae appenduntur, quae non habendae sunt ut synonymae, sed significant illas propositiones multiplici modo contra sanam doctrinam peccare (censura categorica aut cumulativa).

557. *Sensus singularum censurarum hic est:*

Propositio *haeretica* est, quae directe adversatur veritati revelatae et ab ecclesia propositae. Dicitur notorie haeretica, si ex ipsis terminis evidenter pugnat cum dogmate definito. Ut propositio sit obiective haeretica, non requiritur, ut is, qui eam protulit, sit subiective haeticus, i. e. pertinax in errore.

*Haeresi proxima* dicitur propositio, quae opponitur doctrinae nondum ab ecclesia definitae sed unanimi fere consensu habitae pro revelata.

*Haeresim sapiens* dicitur propositio, quae, quamvis absolute possit habere verum sensum, tamen potius sensum haeticum prae se fert, maxime consideratis circumstantiis personarum et temporum, ut si lutheranus dicit: Fides iustificat. Si indicium minus grave est, dicitur propositio de haeresi suspecta.

*Erronea in fide* dicitur propositio, quae adversatur vel propositioni revelatae sed neque ab ecclesia definitae neque tam evidenti, ut communi consensu ut revelata recepta sit; vel conclusioni theologicae unanimiter receptae. Si quis repugnat veritati, quam ipse revelatam cognovit, sed quae ab ecclesia non diserte credenda proponitur, ideo non est stricte haeticus, quia non facit haeresim, i. e. separationem a communi fide ecclesiae. Propositio *errori proxima* aut *errorem sapiens* est ea, quae opponitur vel merito censetur opponi doctrinae probabilissime revelatae vel conclusioni theologice certae.

*Male sonans* dicitur propositio, quae verbis incongruis sensum verum enuntiat et propter verba incongrua facile male intellegi pot-

est, id quod multum pendet ex indole linguae. Ita inter latinos male sonat dicere: Pater est causa Filii; inter graecos non male sonat, quia αἰτία habet latiore sensum et idem fere est ac latine „principium“. Et contra *propositio captiosa* est, quae verbis recte sonantibus sensum falsum ingerere conatur, ut multae propositiones quesnellianae (Denz. n. 1351 sqq.).

Propositio *temeraria*, stricte ut censura ecclesiastica, est ea, quae sine sufficienti fundamento recedit a communi sententia Patrum et theologorum. Intellegitur obiective deesse fundamentum et hinc propositionem esse falsam. Nam si quis propositionem novam quidem sed veram sine sufficienti fundamento adstruit, interim propositio talis est negative temeraria; sed haec non est censura ecclesiastica, ut quae notet propositiones pro quavis condicione fundamento carentes.

*Scandalosa* est propositio, quae occasionem praebet ruinae spiritualis, ut si quis diceret ex frequenti usu sacramentorum sequi plura incommoda quam utilitates.

*Piarum aurium offensiva* est propositio, quae per modum loquendi reverentiam rebus sanctis debitam laedit.

Quid sit propositio blasphema, schismatica, seditiosa, iniuriosa, satis per se patet. Omni fere genere censurarum notatae sunt propositiones pistoriensium (Denz. n. 1501 sqq.).

558. A censuris distinguendae sunt *prohibitiones propositionum*, quae interdum ob rationes prudentiae fiunt, ut scilicet dissidia vitentur et paci consulatur et scandalum arceatur, quales prohibitiones e. g. factae sunt suis temporibus quoad disputationes de gratia et de immaculata conceptione B. Virginis. Hae non sunt censurae sed leges disciplinares, quae mutatis circumstantiis mutari possunt.

559. *Ut inveniantur verae doctrinae censuratis opinionibus oppositae*, attendendum est, utrum propositio reiecta sit absolute an modaliter; utrum sit propositio universalis an particularis, utrum damnatio facta sit in sensu complexo an in sensu distributivo, utrum doctrina an verba tantum notata sint. Non raro ope solius artis logicae opposita sententia certo erui nequit; quod si fit, recurrendum est ad documenta, quae pertinent ad illustrandas istas censuras (cf. Syllab. et Allocutiones Pii IX) et ad analogiam fidei (cf. *Franzelin*, De trad. 157 sqq.; *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit I, n. 81 sqq.; *S. Schiffini*, De virtutibus infusis n. 193 sqq.).

Sed haec interim sufficiant, quia per decursum theologiae singula magis patefient. Postquam enim invenimus magisterium infallibile a Christo institutum et eius modum procedendi et loquendi cognovimus, iam via strata est ad ipsam theologiam dogmaticam addiscendam, id quod nobis in hoc tractatu erat propositum.

PARS TERTIA.  
DE LOCIS THEOLOGICIS.

PRAENOTANDA QUaedam DE LOCIS THEOLOGICIS IN GENERE.

560. Hucusque probatum est Christum instituisse vivum magisterium ad doctrinam revelatam propagandam, conservandam, explicandam. Hoc magisterium vivum, i. e. episcopi hoc tempore viventes sub summo pontifice, soli sunt, qui possunt auctoritative proponere doctrinam revelatam. Neque enim pontifices et episcopi, qui aliquando fuerunt et mortui sunt, ullam amplius iurisdictionem in ecclesiam habent. Ideo *unica regula immediata fidei est hoc vivum magisterium apostolicum*, quia Christus hanc unicum regulam omnibus sequendam praescripsit.

561. At, ut vidimus, *magisterium ecclesiasticum notitiam doctrinae Christi non accipit novis revelationibus, sed sub assistentia Spiritus Sancti ex variis fontibus eam haurit*. Inter quos fontes praecipuus est perennis illa praedicatio evangelii, quae semper vivit et viget in ecclesia, et per quam doctrina revelata ut hereditas sancta ab aetate ad aetatem quasi per manus traditur. Hac ratione, etsi nulla littera scripta exsisteret, maneret tamen indefectibile et infallibile illud medium conservandae doctrinae revelatae, quod Christus instituit. „Euntes docete . . . usque ad consummationem saeculi.“

Nihilominus natura rerum fert, ut *illi, qui in ecclesia ad docendum constituti sunt, saepe contenti non sint sola orali praedicatione, sed doctrinam a se praedicatam litteris consignent*. Unde permagna exstat copia documentorum et monumentorum, ex quibus nunc discere licet, quid maiores nostri olim crediderint et tenuerint. *Haec scripta maiorum mediatam regulam fidei constituunt*, quatenus manifestant, quid magisterium a Christo constitutum olim docuerit et nunc doceat; nam doctrina revelata immutabiliter eadem semper praedicatur in ecclesia. Ad hos fontes scriptos ipsum magisterium ecclesiasticum recurrit, ut fidem prioris ecclesiae inde eruat; ad hos fontes theologis quoque recurrendum est, tum ut ostendant fidem, quam ecclesia hodie praedicat, non esse aliam atque eam, quam ecclesia praeteritis saeculis praedicavit; tum ut in rebus, quas magisterium ecclesiasticum nondum definivit, ex illis fontibus argumenta depromant ad quaestiones theologicas dirimendas (cf. *Franzelin*, De trad. 96 sqq. 164 sqq.).

562. Praeterea non soli homines suo consilio doctrinam revelatam litteris consignarunt, sed *etiam Deus per homines libros scribendos curavit doctrinam revelatam continentes*, et hos libros magisterio ecclesiastico tradidit, ut ex iis doctrinam revelatam hauriret et populo explicaret. Neque igitur hi libri, quos Sacram Scripturam vocamus, a Deo singulis fidelibus immediate dati sunt regula fidei, ut eos normam credendi et agendi sibi assumerent, sed magisterium ecclesiasticum proxime accepit hos libros, ut secundum eos fideles instrueret et dirigeret. A magisterio ecclesiastico theologi quoque accipiunt tum documenta humana tum Scripturam Sacram, ut ex iis doctrinam revelatam eruant, explicent, probent, defendant. Theologi enim, in quantum habent facultatem docendi, sunt adiutores eorum, qui ex innato iure in ecclesia docendi munus habent, et ab his missionem suam receperunt. Quod magisterium auctoritative proponit, hoc scientifice excolere theologorum est.

563. Itaque iam manifestum est, *quid et quot sint loci theologici*. „Loci“ enim dicuntur sedes argumentorum seu instrumenta quaelibet, quae argumenta rerum continent. „Theologici“ dicuntur, quia sunt ea instrumenta, quae theologo argumenta praebent. Haec instrumenta, quamvis contineant ea, quae ad revelationem divinam pertinent, possunt tamen non a solo Deo esse confecta, sed etiam ab hominibus. A Deo confecta est *Sacra Scriptura*; quae vero ab hominibus confecta sunt, comprehenduntur generali nomine *traditionis*. Ergo duo sunt loci theologici secundum amplissimam divisionem: Scriptura et traditio, ubi traditio intellegitur non tam doctrina tradita quam instrumenta doctrinam tradentia, quamvis haec duo inter se separari nequeant. At quia protestantes hunc alterum fontem theologicum negant, notio traditionis paulo latius explicanda et eius existentia probanda est.

SECTIO I.  
DE SACRA TRADITIONE.

ART. I.  
DE SACRA TRADITIONE IN GENERE.

Prop. LII. Praeter S. Scripturam admittendus est alius fons theologicus: traditio sacra.

564. *Quid intellegatur sacra traditio*. Traditio saepe sumitur *sensu passivo* et idem est atque veritates per praedicationem ecclesiasticam traditae. Traditio ita accepta dividitur in traditiones divinas et traditiones ecclesiasticas. *Traditiones divinae* sunt res a Deo revelatae; *traditiones ecclesiasticae* sunt res ab ecclesia institutae, ut leges, festa,

ieiunia, officia, caerimoniae. Si eiusmodi res disciplinares ab apostolis descendunt, vocantur *traditiones apostolicae*.

Traditio *sensu activo* spectata est medium quodlibet, quo doctrina sacra ad posteritatem traducitur. Huc pertinent acta conciliorum, scripta pontificum, episcoporum aliorumque, qui scientia fidei eminebant. Dicitur haec traditio *oralis*, non quod careat adiumento verbi scripti, sed quod constituitur serie testium vivorum, qui doctrinam Christi tradiderunt. Qua ratione opponitur S. Scripturae, in qua unice habetur littera scripta, quae neque se ipsam explicat neque malum intellectum in legentibus cavere potest. Contra vero in traditione praevallet ratio vivi magisterii, quod doctrinam non solum proponit, sed etiam explicat, dubia solvit, errores corrigit. Ad hanc igitur rationem vivi magisterii efferendam dicitur oralis traditio in oppositione ad mortuam litteram libri inspirati<sup>1</sup>.

565. *Protestantes traditionem oralem reiciunt et S. Scripturam unicum fontem addiscendae veritatis revelatae esse volunt.* E. g. Formula Concordiae n. 1: „Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti. . . . Reliqua vero sive Patrum sive neotericorum scripta, quocumque veniant nomine, sacris litteris nequaquam sunt aequiparanda“ (J. T. Müller, *Die symb. Bücher*, ed. 11, Gütersloh 1912, 517; paginarum numeri sunt iidem atque in prioribus editionibus). Alia apud Winer, *Komparative Darstellung des Lehrbegr.*, ed. 4, Leipzig 1882, 41 sqq., et apud Möhler, *Symbolik* § 44. Contra hanc igitur doctrinam ostendendum est *primarium fontem veritatis revelatae esse traditionem*, Sacram vero Scripturam nequaquam constituendam esse unicam regulam fidei (cf. J. V. Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, Paris. 1905).

566. *Argumentum primum et principale ex institutione Christi iam propositum est in tractatu de ecclesia, ubi probavimus Christum non misisse homines pro addiscenda veritate a se revelata ad librum scriptum, sed iussisse eos audire magisterium apostolicum a se institutum.* Non dixit apostolis: „Sedentes scribite“, sed: „Euntes praedicate“; neque aliis hominibus dixit: „Qui non legerit et intellexerit, condemnabitur“, sed: „Qui apostolis praedicantibus non crediderit, condemnabitur.“

<sup>1</sup> Saepe quidem traditio simul cum S. Scriptura dicitur regula fidei inanimata et remota et opponitur magisterio ecclesiastico ut regulae vivae et proximae. At qui ita loquuntur, traditionem intellegunt res traditas; hic vero traditionem intellegimus organum, quo res revelatae traduntur, quod organum est ipsum ecclesiasticum magisterium, cuius activitas manifestatur in documentis et monumentis antiquitatis ecclesiasticae.

*Apostoli ipsi hac ratione mandatum Christi intellexerunt et exsecuti sunt.* Omnes praedicaverunt, plurimi nihil scripserunt, alii perpauca; scripta apostolica orta sunt data aliqua speciali occasione vel necessitate, diriguntur partim ad particulares ecclesias vel personas, loquuntur de specialibus difficultatibus tunc existentibus, continent instructiones et salutationes ad particulares personas pertinentes, multa omittunt, quae christianis scitu necessaria vel utilia sunt. Ergo evidens est apostolos neutiquam voluisse conscribere integram summam doctrinae christianae. Neque ad libros a se conscriptos in posterum fideles remittunt, sed episcopos instituunt, quibus munus fideles docendi doctrinam revelatam incumbat, et ad oralem praedicationem et traditionem acceptam fideles delegant (Rom. 10, 14 sqq.; 16, 17. 1 Cor. 7, 17; 11, 23; 14, 33. 2 Cor. 1, 18. Gal. 1, 8. Col. 2, 6 7. 2 Thess. 2, 14. 2 Tim. 1, 13 14; 2, 2 etc.). Ecclesia igitur, sicut ante Scripturam Novi Testamenti aedificata iam erat per apostolicam praedicationem, ita post hanc Scripturam aedificata manet super vivum et apostolicum magisterium (cf. Euseb., H. E. 3, 24; M 20, 263 sq.).

567. *Argumentum secundum ex contradictionibus et absurditatibus, in quas adversarii incidunt.*

*Protestantes de S. Scriptura tria docent:* a) libros omnes et solos in canone suo contentos esse verbum Dei inspiratum; b) nihil fide divina credendum esse, quod ex his libris non hauriatur; c) singulos fideles esse authenticos interpretes Scripturae. *Atqui horum nihil docetur in S. Scriptura.* Ergo protestantes sibi contradicunt.

Praeterea *multa alia admittunt, quae in S. Scriptura non inveniuntur*, ut: parvulos esse baptizandos, baptismum haereticorum esse validum, non sabbatum esse colendum sed diem dominicam, licere certis condicionibus iurare (cf. Matth. 5, 33 sqq.), licere comedere suffocatum et sanguinem (cf. Act. 15, 28 29). Haec autem non habent ex S. Scriptura sed ex traditione.

Porro *saepissime eventu probatum est, quam falsum sit illud principium:* S. Scripturam esse unicam et sufficientem normam fidei. Cum enim S. Scriptura se ipsam non explicet, neque Deus det singulis hominibus revelationes ad Scripturam recte interpretandam, necessario privatum singulorum iudicium fit norma fidei, secundum quam iidem Scripturae textus ab aliis alio modo eoque plane contradictorio exponantur. Cogita, quomodo lutherani, calvinistae alique sectarii explicaverint verba Christi: „Hoc est corpus meum.“ (Cf. VI, n. 592.) Ex hac ipsa radice pullularunt tot sectae protestantes, quae omnes inter se vehementer pugnant et singulae sibi veram Scripturae interpretationem vindicant. Vix excogitari possunt absurditates, quas hac via stabilire homines conati non sint. Recordare de facinoribus anabaptistarum monasteriensium et aliorum asseclarum „puri verbi divini“.

*Verba Scripturae non semper esse perspicua et interprete indigere ipsa Scriptura diserte testatur (2 Petr. 3, 16) et est factum notissimum, cum tot viri docti et pii per multa saecula omnem operam impenderint ad Scripturam elucidandam neque tamen hucusque omnes tenebras remove potuerint. Quomodo igitur communibus hominibus poterit Scriptura esse unica norma credendi, quibus praesto non est scientia philologica, historica, theologica, vel ipsum otium ad Scripturae studium necessarium?*

Tandem *primitivae Scripturae iam inde a multis saeculis perierunt; ergo fidendum est apographis. Plurimi non intellegunt linguas originales sacrorum librorum; ergo fidere debent versionibus non inspiratis. Immo multi ne legere quidem possunt; ergo fidere debent aliis legentibus. Consequenter ii, qui reiciunt traditionem sacram et infallibilem, praeter Scripturam necessario admittunt alias normas humanas et fallibiles.*

Has contradictiones satis manifestas cum perspexerint, *nostra aetate protestantes suum principium fundamentale saltem practice, saepe quoque theoretice reliquerunt. Rationalistae negant Scripturam posse esse immutabilem normam fidei, sed eam potius exigendam esse volunt ad normam sanae rationis, cum sola naturalis ratio possit esse ultima norma religionis. Pietistae, methodistae alique recurrunt ad pios animi motus singulis a Spiritu Sancto infundendos, quibus infallibilis salutis certitudo praebeatur. Illi protestantes, qui se orthodoxos vocant, admittunt auctoritatem librorum symbolicorum praeter Scripturam, et praeterea saepe postulant magisterium ecclesiasticum, quod cum auctoritate doceat et eos, qui suis doctrinalibus definitionibus se subicere nolunt, excommunicare possit. Ita loco magisterii, quod Christus instituit, humanum inventum substituunt (cf. Franzelin, De trad. 49 sqq.).*

**568.** Confirmatur eadem veritas ex constanti doctrina SS. Patrum, qui, quamvis Scripturae dignitatem valde praedicent, principaliter insistunt traditioni (ut vidimus in tractatu de ecclesia) et negant Scripturam per se solam posse sufficere. Ita *S. Ignat. M.* (supra n. 90 349), ita *S. Irenaeus* (supra n. 346 351 402 436); ita *S. Hilarius*: „Memento tamen neminem haereticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphematur, mentiatur. . . . Omnes Scripturas sine Scripturae sensu loquuntur et fidem sine fide praetendunt. Scripturae enim non in legendo sunt, sed in intellegendo“ (Ad Constantium 2, 9; *M* 10, 569). „Aliter namque“, inquit *Vincentius Lirin.*, „illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus. . . . Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur“ (Common. c. 2; *M* 50, 640).

Immo *S. Augustinus*: „Ego vero“, inquit, „evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas“ (Contra ep. Manich. c. 5; *M* 42, 176). Plura apud *Franzelin*, De trad. 93 sqq. Quod SS. Patres interdum dicunt omnia in Scriptura contineri, hoc intellegunt de principalibus veritatibus fidei, inter quas ipsa auctoritas magisterii apostolici insignem locum obtinet. Praeterea illis verbis reiciunt alia scripta apocrypha, praesertim cum Scriptura pugnancia. Tantum autem abest ut traditionem reiciant, ut eam quam maxime inculcent (cf. *Franzelin* l. c. 231 sqq.; *Chr. Pesch*, De Inspir. S. Script. 570 sqq.).

**569.** Itaque cum certum sit proximam normam fidei a Christo institutam esse magisterium apostolicum, cuius doctrina deposita est in traditione, sequitur *traditionem esse normam interpretandae Scripturae*, et hoc quidem dupliciter: a) quod generatim ad expositionem Scripturae attinet, nulla interpretatio potest esse vera, quae cum doctrina traditionis pugnat; e contra analogia fidei per traditionem propositae multum iuvat ad textus obscuros Scripturae facilius intellegendos; b) quod ad singulos textus attinet, ecclesia vel sollemni iudicio vel cotidiana praedicatione saepe infallibiliter declaravit, quis esset aut non esset genuinus Scripturae sensus (e. g. *Denz.* n. 874 894).

De qua re *concilium tridentinum* (sess. 4) „decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat“ (*Denz.* n. 786). *Concilium vaticanum* (sess. 3, c. 2) hoc decretum ita explicat, ut „is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari“ (*Denz.* n. 1788). Itaque non solum non licet ita interpretari Scripturam, ut dogma aliquod ecclesiae negetur, sed neque ita, ut recedatur a sensu, quem ecclesia alicui textui subesse sanxit (cf. *Granderath*, Constit. dogm. conc. vatic. explicatae 53 sq.)<sup>1</sup>.

**570. Schol. 1.** Post ea, quae de insufficientia S. Scripturae dicta sunt, fortasse dubitatio oriatur, *quomodo res se habuerit in Vetere Testamento*. Nam populus israeliticus habebat quidem praeter libros sacros etiam magisterium aaroniticum; at hoc magisterium non erat eo modo infallibilitate donatum quo magisterium ecclesiae Christi. Cum enim debuisset populum ad Christum adducere, publico et sollemni iudicio declaravit Christum esse blasphemum et morte dignum.

<sup>1</sup> Plura de hac re vide apud *Cornely*, Introd. I 592 sqq. *Pesch*, Praelectiones dogmaticae. I. Ed. 67.

Ad hoc *respondendum est* synagogam multiplici modo fuisse inferiorem ecclesia Christi et maxime ratione magisterii. Institutum quidem erat magisterium aaroniticum, ut fidem paucarum rerum, quae iudaeis necessario credendae erant, et imprimis futuri redemptoris, conservaret; sed quia hoc magisterium non erat infallibile, poterat officio suo deesse, immo populum a recta via abducere. Quod si fiebat, Deus mittebat prophetas, qui populum et sacerdotes corrigerent et ad rectam viam reducerent. Sic per magisterium ordinarium simul cum pastoribus extraordinariis et in suo munere infallibilibus sufficienter provisum erat ecclesiae illi praeparatoriae, donec veniret is, qui omnia ad perfectionem adduceret et ipse perenniter in ecclesia sua permanens magisterium perpetuum suo adiutorio infallibilitatis praerogativa donaret (cf. Franzelin, De eccl. 26 sqq.).

571. *Schol. 2.* Cum nomine sacrae traditionis comprehendatur quodlibet instrumentum ad inveniendam doctrinam magisterii ecclesiastici, patet nomine traditionis tot diversos fontes indicari, quot sunt viae, quibus sensus ecclesiae circa aliquam veritatem manifestari potest. Principales ex his fontibus sunt acta conciliorum, scripta summorum pontificum, Patrum, theologorum, quibus accedunt historia sacra, inscriptiones, monumenta, picturae, ritus, consuetudines, brevi ea omnia, quibus ecclesia vel populus christianus fidem suam profiteri solet. Adiumenta vero externa sunt philosophia et variae disciplinae profanae.

De auctoritate autem romani pontificis et episcoporum iam diximus in tractatu de ecclesia. Restat igitur, ut agamus de auctoritate Patrum et theologorum. De aliis fontibus aut alibi agitur aut pauca tantum hic addenda sunt.

Hoc nobis praestandum est in sequentibus, ut ostendamus varios hos fontes theologicos ita nexos esse cum magisterio apostolico a Christo instituto, ut non alia nisi huius magisterii apostolici doctrina ex his fontibus hauriatur. Nam magisterium apostolicum est fons primarius et per se infallibilis; alii fontes sunt secundarii, qui non immediate ex sese sed ex nexu cum magisterio infallibili sunt certa veritatis norma.

## ART. II.

## DE SS. PATRIBUS.

572. *Qui sint SS. Patres.* SS. Patres vocantur viri sanctitate conspicui, quos Deus primis saeculis ecclesiae providit ad eius quodammodo infantilem aetatem fovendam et educandam; seu sunt *scriptores ecclesiastici a) doctrina orthodoxa, b) sanctitate vitae conspicui, qui c) primis saeculis floruerunt* (cf. n. 33 sqq.). De orthodoxia constat ex sollemni iudicio vel simplici consensu ecclesiae. Unus alterve error materialis non impedit orthodoxiam, dummodo ille, de quo agitur, habuerit mentem catholicam et in plurimis catholicam doctrinam recte expresserit. Item penes ecclesiam est iudicium de sanctitate.

573. Sunt autem nonnulli scriptores primorum saeculorum, qui ob antiquitatem et eruditionem magni momenti sunt in re theologica, sed vel aliquando in haeresim lapsi vel de haeresi suspecti sunt vel non sunt indubitatae sanctitatis. Hi vocantur *scriptores ecclesiastici*. Eiusmodi sunt Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius Caesariensis, Theodoretus Cyrensis, Rufinus, alii. Horum scriptorum dogmatica auctoritas comparari nullo modo potest cum auctoritate SS. Patrum, sed saepe maximi momenti est eorum testimonium historicum de antiquitate alicuius doctrinae vel instituti.

574. Quod ad *antiquitatem* attinet, Patres ecclesiae dicendi non sunt nisi qui ecclesiam in infantia eius coluerunt. Unde Gregorius M. († 604) et S. Ioannes Damascenus († circa med. saec. VIII) certe ultimos limites constituunt. Si interdum Patres etiam recentiores vocantur, qui usque ad saeculum XII vixerunt, haec appellatio est minus apta, quia tunc potuit quidem haec vel illa ecclesia particularis esse in statu infantili sed non ecclesia universalis. Titulus autem Patris respectu ecclesiae universalis datus est, et ideo illis non iam conceditur, qui nunc inter gentes fundant novas ecclesias.

575. Alius est *titulus doctoris ecclesiae*, qui titulus variis saeculis (incipiendo a saec. XIII) a suprema auctoritate ecclesiastica datus est pro universa ecclesia occidentali quibusdam viris sanctitate et scientia theologica praestantibus, sive antiquiores sive recentiores sunt. Numerus eorum, qui hoc honore ornati sunt, est 24:

- 1—4. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius M. 20 sept. 1295 decreto Bonifatii VIII.
5. Thomas Aquinas 11 april. 1567 decreto Pii V.
- 6—9. Athanasius, Basilius, Gregorius Naz., Ioannes Chrysost. a. 1568 Breviario Pii V.
10. Bonaventura 14 mart. 1588 decreto Sixti V.
11. Anselmus Cant. 3 febr. 1720 decreto congregationis ss. rituum.
12. Isidorus Hispal. 25 april. 1722 decreto congregationis ss. rituum.
13. Petrus Chrysol. 10 febr. 1729 decreto Benedicti XIII.
14. Leo M. 15 oct. 1754 decreto Benedicti XIV.
15. Petrus Damiani 27 sept. 1828 decreto congregationis ss. rituum.
16. Bernardus Clarav. 20 aug. 1830 decreto Pii VIII.
17. Hilarius Pict. 13 maii 1851 decreto Pii IX.
18. Alfonsus de Liguori 7 iul. 1871 decreto Pii IX.
19. Franciscus Sal. 16 nov. 1877 decreto Pii IX.
- 20 et 21. Cyrillus Alex. et Cyrillus Hieros. 28 iul. 1882 decreto congregationis ss. rituum.
22. Ioannes Damasc. 19 aug. 1890 decreto congregationis ss. rituum.

23. Beda Ven. 13 nov. 1899 decreto congregationis ss. rituum.

24. Ephraem Edess. 5 oct. 1920 decreto Benedicti XV.

Plura de hac re vide apud C. A. Kneller, Zeitschrift für kathol. Theologie 1916, 1 sqq.

Itaque hi 24 doctores vi tituli iis collati specialem auctoritatem habent in re theologica, non tamen omnes eodem gradu neque quoad easdem res. Id accuratius explicari solet illis documentis ecclesiasticis, quibus hic titulus confertur. Ita e. g. S. Alphonsus de Liguori praecipue commendatur ut dux in theologia morali, S. Franciscus Sal. propter praestantiam doctrinae asceticae, S. Hieronymus ut doctor biblicus (cf. encycl. „Spiritus Paraclitus“ Benedicti XV, 15 sept. 1920), S. Thomas et S. Bonaventura propter eminentiam in doctrina scholastica.

Neque vero idcirco doctoribus ecclesiae ulla infallibilitas doctrinalis adscribitur, neque eorum sententiae omnes et singulae necessario sequendae dicuntur; sed ceteris paribus eorum doctrina theologica, maxime in principalibus rebus, oppositae doctrinae praeferenda est, nisi solidae rationes in quibusdam quaestionibus contrarium suadent. Cf. *Benedictus XIV*, De serv. Dei beatif. l. 4, part. 2, c. 11; *Bardenheuer*, Gesch. der altkirchl. Lit. I<sup>2</sup> 37 sqq.; „Stimmen aus Maria-Laach“ XVIII 485 sqq.

**Prop. LIII.** Unanimis consensus SS. Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

**576. Argumentum 1.** Inde a concilio nicaeno I omnia oecumenica concilia id cordi habuerunt, ut in rebus fidei et morum religiose servarent doctrinam a Patribus (i. e. a prioribus episcopis) traditam. Ita de concilio nicaeno S. Athanasius testatur: „Episcopi non sibimet ipsis adinvenientes verba sed habentes ea a Patribus testimonia conscripserunt.“ Sermo est de verbo *ὁμοούσιος*, quod in S. Scriptura non occurrit (Ep. ad afros n. 6; *M* 26, 1039). De concilio constantinopolitano I a. 381 scribit *Socrates* in illo interrogatos esse macedonianos, „utrum vellent necne stare iudicio Patrum, qui floruerunt, antequam nascerentur illae haereses, de quibus agebatur“ (H. E. ad a. 381; *M* 67, 586). Concilium ephesinum in actione I statuit: „Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuerit antiquitas“ (*Mansi* IV 1183). Concilium constantinopolitanum II: „Confitemur nos fidem tenere et praedicare . . . , quam SS. Patres confessi sunt et explanarunt“ (*Denz.* n. 212). Concilium constantinopolitanum IV act. 10, can. 1: „Per aequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampadas semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, SS. Patrum definitiones et sensus retinere debemus“ (*Denz.* n. 336; cf. n. 302 304). Eodem modo loquuntur concilia occidentalis ecclesiae. Ita concilium lateranense (a. 649) can. 17: „Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita

sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei ecclesiae . . . , condemnatus sit“ (*Denz.* n. 269; cf. n. 271—273). Concilium valentinum (a. 855): „Indubitanter autem doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis ipsisque Sacrae Scripturae lucidissimis expositoribus, i. e. Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino ceterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum et obtemperanter intellectum submittimus et pro viribus, quae ad salutem nostram scripserunt, amplectimur“ (*Denz.* n. 320). Ex tridentino iam nonnulla in praecedenti propositione allata sunt (cf. *Denz.* n. 787).

**577. Argumentum 2.** Hunc esse sensum ecclesiae de auctoritate SS. Patrum constat etiam ex unanimi testimonio scriptorum catholicorum. Nam statim post primum saeculum religionis christianae usque ad nostra tempora, si quae disputatio oriebatur, vel si catholica veritas demonstranda erat, viri catholici semper consuluerunt opera SS. Patrum et horum auctoritate quaestiones omnino decidi posse pro certo habebant. Id manifestum est de theologis scholasticis. Id apparet ex ipso titulo illorum operum, quae vocabantur „Sententiae“ vel „Libri sententiarum“, quae exhibebant brevem collectionem sententiarum SS. Patrum ad usum scholasticum accommodatam, quae sententiae in omnibus speculativis disputationibus a scholasticis veteribus supponuntur. Idem non minus manifestum est ex scriptoribus illis, qui post Gregorium M. floruerunt, ut Isidoro, Beda, aliis, qui in operibus theologicis solent verbis fere SS. Patrum loqui. Eadem fuit sententia posteriorum Patrum de prioribus.

Sufficiat hic in memoriam revocare quae S. Augustinus scribit contra Iulianum Eclanensem: Patres sunt, „quorum te movere debeat tanta consensio. . . . In ecclesia catholica doctrinae sanae studiis claruerunt; spiritualibus armis muniti et accincti strenua contra haereticos bella gesserunt; perfuncti fideliter suae dispensationis laboribus in pacis gremio dormierunt. . . . Ecce quo te introduxi; conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solum filii sed et patres ecclesiae sunt. . . . Ex qua filii generati sunt, ut haec discerent, eius patres facti sunt, ut docerent“ (Contra Iul. 1, 7, n. 30 31; *M* 44, 661 sq.). „Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bona iudici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. . . . Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnis-

que ministraverunt, quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime et fortissime defenderunt. Talibus post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. . . . Si, quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia et est magna stultitia, perduraveris, non tu iudices quaesiturus es, ubi causam tuam purges, sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritatis accuses: Irenaeum, Cyprianum . . . ceterosque socios et participes eorum, insuper et universam ecclesiam Christi, cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes ingenti in Domino gloria claruerunt" (ib. 2, 10, n. 37; *M* 44, 700 sqq.). Ego vero, inquit, „quod credunt [Patres], credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod praedicant, praedico" (ib. 1, 5, n. 20; *M* 44, 654).

*S. Cyrillus Alexandrinus* ait: „Facile quis se corriget [ab erroribus], si sanctorum Patrum labores scrutatus fuerit, qui ab omnibus ob rectitudinem et certitudinem dogmatum celebrantur omniumque approbationem meruerunt; tunc sollerter suam fidem explorabit. Omnibus enim, quibus integra mens est, propositus est hic scopus, ut illorum opiniones sequantur, quoniam et ipsi, apostolica et evangelica traditione cum mentem impressent suam ac fidei doctrinam recte ac citra labem et errorem admodum tractassent, luminaria in mundo fuerunt, verbum vitae continentes" (Apol. pro 12 capp. in Anathem. VIII; *M* 76, 350). Cf. *S. Basil.*, Ep. 140, n. 2; *M* 32, 588; *Gregor. Naz.*, Orat. 33, n. 15; *M* 36, 233; *Vincent. Lirin.*, Common. c. 3 sqq. 29; *M* 50, 640 sqq. 677; *Walenburch*, De contro. tract. 5, sect. 15 16; *Canus*, De loc. theol. 7, 3. (Haec tria opera habentur apud *Migne* in *Curs. theol.* tom. I.)

578. Itaque si SS. Patrum unanimis consensus non esset certum argumentum theologicum, sed posset etiam in errorem inducere, ecclesia errasset admittendo et praedicando Patrum testimonium ut certam et firmam regulam veritatis. Atqui in re tali, quae intime cohaeret cum rebus fidei et morum, ecclesia errare non potest. Ergo consensus unanimis SS. Patrum est certum argumentum theologicum. Ideo *Pius IX* in *Güntheri* doctrina hoc inter alia vituperat, quod „neque satis intellexit, quantopere deferendum sit venerandae sanctissimorum Patrum auctoritati, et quo studio cavendum, ne profanae novitatis amore tuta illorum vestigia deserantur, et gravissimi diffundantur errores" (*Denz.*, ed. 9, n. 1515; cf. n. 1511).

579. **Argumentum 3.** Eandem conclusionem facile ratio probat ex duplici relatione Patrum ad infallibile magisterium ecclesiasticum. Pro sua enim aetate SS. Patres erant doctores authentici seu quodammodo erant os, per quod loquebatur magisterium ecclesiasticum. Plurimi eorum erant episcopi, qui pro officio suo doctrinam revelatam tradebant

et explicabant. Omnes optime versati erant in rebus fidei et a ceteris habebantur ut magistri, qui consulebantur in dubiis et summa reverentia ab omnibus excipiebantur ut optimi fidei interpretes. Unde si hi, qui erant suis temporibus principales doctores, unanimiter errorem docuissent non solum tacentibus sed etiam consentientibus reliquis episcopis, qui eos ut duces sequebantur, signum esset tunc totam ecclesiam illo errore fuisse deceptam, id quod repugnat.

Alio modo Patres considerari possunt ut *testes traditionis*, ex quorum scriptis postea magisterium ecclesiasticum tamquam ex proprio fonte hausit doctrinam revelatam, quam fidelibus proponit. Quia igitur posterioribus saeculis ecclesia ea credenda vel tenenda praecepit, quae prius a SS. Patribus erant tradita, error unanimis SS. Patrum necessario factus esset postea error totius ecclesiae.

Itaque sub utroque hoc respectu unanimis consensus SS. Patrum est certum argumentum theologicum. Quod nonnulli dicunt Patres ut testes praebere certum argumentum, ut doctores vero mereri quidem magnam venerationem, sed non frui ineluctabili auctoritate (*Perrone*, De loc. theol. n. 452), hoc verum est, si singuli Patres ut privati doctores considerantur, non vero si considerantur simul sumpti ut ii, quibus officium incumbat sua aetate authentice docendi fideles. Itaque si Patres unanimiter, constanter, asseveranter declarant sensum dogmatum vel explicant Scripturam, non minoris auctoritatis sunt quam in testificando (*Franzelin*, De tradit. 179 sq.). Ergo quando constat de unanimi consensu SS. Patrum, non est inquirendum, utrum ut testes an ut doctores locuti sint.

580. Ceterum etiamsi Patrum auctoritas mere naturaliter consideretur, facile intellegitur, quanti sit facienda. Nam si secundum commune adagium cuilibet in sua arte credendum est, quomodo possint non maximae auctoritatis esse in re theologica viri illi plerique ingenio insignes, virtute praestantes, toto animo in studium doctrinae revelatae incumbentes, amore veri flagrant, qui pro doctrina, quam defendebant, non raro gravissimas molestias et interdum mortem ipsam pertulerunt? Itaque cum hi viri in variis vitae condicionibus, locis disitis, diversis temporibus, inter varias nationes viventes, omnes in eandem sententiam conspirant, iam secundum principia philosophica gravissima praesumptio stat pro veritate talis doctrinae. Porro hic amor et fervor plane insignis, qui apparet in SS. Patribus, indagandae, explicandae, propagandae, defendendae veritatis, per se indicium est non sine speciali providentia divina hos viros datos esse nascenti ecclesiae, ut eam ad perfectam aetatem adducerent. Quare iam ipsi posteriores Patres et concilia non raro innunt SS. Patres specialiter a Deo esse missos et inspiratos (non inspiratione stricta, quemadmodum fuerunt apostoli et evangelistae, ut patet). *S. Augustinus* loquens de SS. Patribus: „Fideles“, inquit, „et multis excellentiores paucos dispensatores



suos Deus per diversas aetates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat" (Contra Iul. 2, 10, n. 37; *M* 44, 700). *Leontius Byzantinus*: „Post apostolos et prophetas Deus in ecclesia doctores posuit secundum providentiam Spiritus Sancti incomprehensam in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi" (Contra Nestor. et Eutyech. 1, 35; *M* 86 a, 1310).

581. *Schol.* Restat ut paulo magis explicentur *condiciones quae requiruntur, ut ex Patrum auctoritate firmum efficiatur argumentum.*

Ut Patrum auctoritas sit irrefragabilis, *requiritur unanimes consensus.* Nam cum neque singuli SS. Patres neque particulares ecclesiae per se sint infallibiles, possunt errare non unus tantum alterve S. Pater sed etiam plurimi vel absolute omnes episcopi alicuius particularis regionis vel provinciae ecclesiasticae. Exemplo sunt illi episcopi africani, qui cum S. Cypriano errarunt in causa rebaptizandorum haereticorum. Ergo tum tantum argumentum certum habetur, cum moraliter omnes SS. Patres diversarum regionum et diversorum temporum consentiunt, vel etiam cum consentiunt omnes Patres unius tantum aetatis, dummodo condiciones tales sint, ut hi Patres vere censi possint repraesentare sententiam universae ecclesiae illius aetatis. Ratio est, quia nulla aetate ecclesia universa in rebus fidei et morum errare potest.

Intellegitur autem *consensus omnium moraliter sumptus.* Neque enim ad unum omnes SS. Patres audiri debent, priusquam possimus cum certitudine dicere, quae fuerit illa aetate sententia universae ecclesiae; sed si ii, qui inter omnes maxime eminebant et ceteris duces erant, evidenter consentiunt, de reliquorum consensu rationabiliter dubitari non potest. Ex quo fit, ut *in quibusdam fundamentalibus quaestionibus vel paucorum eminentissimorum Patrum testimonium plane sufficiat.* Hoc *Vincentius Lirinensis* illustrat exemplo concilii ephesini (431), in quo contra Nestorium allata sunt testimonia S. Petri Alexandrini, S. Athanasii, S. Iulii papae, S. Felicis martyris, S. Theophili Alexandrini, S. Cypriani, S. Ambrosii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Basilii, S. Gregorii Nysseni (praeterea Attici et Amphiloerii, quos omittit Vincentius; cf. *Hardouin* I 147). „Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacro decalogi numero magistri, consilarii, testes iudicesque producti, quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, oboediens iudicio, absque taedio, praesumptione et gratia de fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit; sed necesse non fuit, quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, et decem illos non aliud vere sensit quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat" (Commonit. c. 30; *M* 50, 682). Maxima igitur auctoritas tribuenda est iis Patribus, qui ut duces cum applausu totius ecclesiae praecipua dogmata fidei contra haereticos propugnarunt, ut e. g. Athanasius, Basilius, Chrysostomus, duo Gregorii, alii pugnantes

contra Arianos; Cyrillus Alexandrinus, Leo M., Agatho, Sophronius contra nestorianos et monophysitas. Constat enim horum Patrum doctrinam in re, quam ex professo contra haereticos defendebant (non vero in omnibus incidentibus quaestionibus), nihil aliud esse nisi enuntiationem fidei totius ecclesiae.

582. Ut autem consensus SS. Patrum sit indubitatae auctoritatis, eorum *testimonia pertinere debent ad res fidei et morum.* Itaque in rebus mere naturalibus, licet sint per accidens revelatae, non maior est eorum auctoritas quam cuiuslibet alius viri in his quaestionibus bene versati, et tantum fere valet, quantum rationes allatae. Ratio patet, quia, cum ipsa infallibilis auctoritas ecclesiae non extendatur ad res pure philosophicas et per accidens revelatas, SS. Patres non possunt in his rebus infallibilem ecclesiae doctrinam proponere. Ceterum vix ac ne vix quidem accidit, ut circa eiusmodi res SS. Patres consentientes doceant eas omnibus admittendas esse.

Aliud vero est *de illis conclusionibus philosophicis, quae cum veritatibus revelatis tam arte cohaerent, ut ex illarum admissione aut negatione ipsum dogma revelatum in periculum vocetur.* Quae dicta sunt de infallibilitate ecclesiae circa „conclusiones theologicas" (n. 531 sqq.), applicanda sunt ad auctoritatem SS. Patrum in proponendis his conclusionibus. Sicut autem ecclesiae est iudicare, utrum res aliqua pertineat ad fidem necne, ita Patrum quoque consensus omnino certitudinem facit, quando docent hanc vel illam rem pertinere ad fidem.

Admittenda igitur non sunt quae *Canus* hoc modo proponit: „Illud demum, et quidem diligentissime, est advertendum: inter auctores etiam ecclesiasticos duo esse disputationum genera, alterum earum rerum, quae vere ad fidem spectant doctrinamque catholicam, alterum earum, quae citra iacturam pietatis ignorari non ab imperitis modo verum a doctis etiam possunt, quod nec fidei dogmata sunt neque ex illis derivantur." Dein *Canus*, quamvis concedat difficile esse huius rei certam definitionem praescribere, tamen varia exempla enumerat (De loc. theol. 7, 2). In sequenti vero capite tangens controversiam illa aetate vigentem de immaculata conceptione B. Virginis Mariae, ait: „Omnium etiam Sanctorum auctoritas in eo genere quaestionum, quas ad fidem diximus minime pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit. Quam ego conclusionem postremo illo argumento (Erasmi, desumpto ex doctrina plurium Sanctorum negantium immaculatam conceptionem B. Virginis [ib. c. 1]) abunde probatam existimo. Quod enim ea controversia non sit ex earum numero, quae catholicam fidem aut promovere aut emovere possint, vel ex eo perspicuum est, quod B. Virginem a peccato originali fuisse penitus liberam e libris sacris iuxta germanum litterae sensum nusquam habetur . . ." (ib. c. 3, n. 4). At hoc ipsum exemplum docet, quam fallax sit illa regula *Canisani*. Nunc enim constat immaculatam conceptionem pertinere

ad depositum fidei et ex traditione cum certitudine probari posse. Itaque *non a priori statuendum est, quae quaestiones ad fidem pertineant, sed hoc ipsum ex traditione discendum est.* Nam cum eiusmodi res persaepe non possint ex principiis philosophicis diiudicari, non alia nisi positiva argumenta afferri possunt ad dirimendam quaestionem, utrum aliquid sit de fide necne. Quare illa regula, quam Canus vult diligentissime advertendam esse, potius plane omittenda est et alia statuenda ex ipso modo loquendi, quo SS. Patres utuntur.

583. *Ut ex consensu SS. Patrum cum certitudine argumentum colligatur, notandae sunt formulae loquendi, quibus utuntur.* Si docent doctrinam aliquam divinitus revelatam esse, citra fidei iacturam non posse negari vel in dubium vocari, contrariam opinionem esse haereticam: indubitanter talis doctrina acceptanda est. Ecclesia enim scire debet, quid in deposito fidei contineatur, et in quibus rebus ipsa sit infallibilis; esset autem error maxime fundamentalis, si tali modo fidelibus proponerentur doctrinae, quae non essent revelatae, immo fortasse falsae. Talibus formulis loquendi utuntur SS. Patres tum in controversiis cum haereticis (cf. e. g. quomodo S. Athanasius loquatur contra arianos et S. Augustinus contra pelagianos) tum in instructionibus, quas habent ad catechumenos vel ad fideles de mysteriis fidei (cf. e. g. catecheses S. Cyrilli Hieros.).

At sicut ecclesia ipsa, ita SS. Patres non alligantur certis formulis, ut, ubi hae non inveniantur, eorum auctoritas neglegi possit. Saepissime SS. Patres aliquam doctrinam simpliciter statuunt, nihil addentes, utrum necessario sit tenenda necne. Quod si fit, ex ipsa verborum constructione non statim erui potest, utrum velint suam privatam sententiam proponere an doctrinam catholicam exponere. Ut igitur in hoc quoque casu argumentum formari possit, videndum est, utrum SS. Patres fortasse indirecte significant se plane nolle tolerare oppositam sententiam, an potius defendant quidem suam doctrinam rationibus allatis, ita tamen, ut contrariam opinionem non censeant a recta fide alienam. Sin distingui nequit, utrum velint sententiam ut obligatoriam proponere an ut suam privatam tantum opinionem, eorum dicta non praebent certum argumentum.

584. Exemplo sit *doctrina plurium antiquorum Patrum, qui defendebant chiliasmum*, ut Papias, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius, alii; quam opinionem posteriores Patres communiter reiecerunt. Cur igitur auctoritas priorum Patrum non praebebat certum argumentum? Imprimis eorum, qui inter SS. Patres stricte dictos hanc sententiam defenderunt, minor est numerus, quam ut de unanimi consensu sermo esse possit, cum totum fundamentum huius opinionis sit auctoritas Papias, a quo eam acceperunt Iustinus et Irenaeus; alii enim defensores huius opinionis non sunt magnae auctoritatis in re dog-

matica. Dein vero, quod hic maioris momenti est, ipsi illi Patres satis indicant intacta fide oppositam sententiam permitti posse. Ita enim loquitur Iustinus in Dialogo cum Tryphone Iudaeo (c. 80; *M* 6, 664): „Tibi et antea confessus sum me quidem et multos alios ita sentire, sicut etiam [vos iudaei] omnino nostis hoc futurum esse: multos vero etiam christianorum, qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere tibi significavi.“ Similiter Irenaeus bene noverat ea, quae in Apocalypsi (c. 20) de mille annis dicuntur, a quibusdam „allegorizari“, et studet quidem omni modo probare ea esse sensu litterali intellegenda, sed adversarios nullibi incusat haeresis (*Adv. haer.* 5, 35, 1; *M* 7, 1218). Iam vero hic ipse modus argumentandi ostendit Irenaeum simpliciter humanis mediis studere invenire verum sensum aliquorum dictorum, de quorum explicatione inter ipsos catholicos disputabatur. Ita autem argumentari non est testem fidei agere sed suam privatam opinionem proponere (cf. De novissimis IX, n. 695 sqq.). Ceterum in „Demonstratione praedicationis evangelicae“ (*Texte und Untersuchungen* 31) n. 61 ipse Irenaeus concordiam inter bestias in regno Christi futuram explicat symbolice, ut significet homines „in nomine Christi cum pace et concordia unanimes esse conventuros. . . . Et haec iam nunc evenerunt. . . .“

585. Maxime modus loquendi notandus est, *quando SS. Patres S. Scripturam interpretantur.* Interdum enim aliquam expositionem ut plane intolerabilem reiciunt vel aliam ut unice catholicam proponunt (cogita, quomodo explicent narrationem evangelistarum de institutione eucharistiae), interdum vero plures expositiones proponunt et student mediis hermeneuticis verum sensum invenire, interdum simpliciter dant aliquam explicationem, non indicantes, utrum haec sit unice possibilis, an etiam alia admitti possit. In primo casu expositio est necessario admittenda, in secundo casu expositio manet libera, in tertio casu respondendum est ad quaestionem: Si haec vel illa diversa expositio S. Patri proponeretur, numquid illam toleraturus esset ut catholicam annon? Saepe haec quaestio solvitur ex ipsa ratione, qua SS. Patres tentando, argumentando, dubitando verum sensum textus invenire student. Saepe autem ad hanc quaestionem vix alio modo responderi potest nisi recurrendo ad posteriores expositores catholicos. Nam si certa expositio etiam apud posteriores Patres et scriptores catholicos constanter et exclusive proponitur ut vera, signum est expositionem a prioribus Patribus traditam consideratam fuisse ut unice catholicam; sin posteriores expositores catholici non obstante contraria exegesi priorum Patrum aliam explicationem admittunt, sequitur priorem expositionem habitam non esse obligatoriam.

586. *Exemplum huius rei habemus in commentariis SS. Patrum in Hebr. 6, 4—6.* Omnes enim fere, quotquot de his verbis loquuntur,

dicunt S. Paulum ibi negare possibilitatem secundi baptismatis; „impossibile est rursus renovari ad paenitentiam“ = impossibile est rursus baptizari. Ita Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius, Theodoretus, Chrysostomus, Oecumenius, Ambrosius, alii<sup>1</sup>. Nihilominus *Salmeron* (In Hebr. 6, disp. 14), qui omnes illos Patres citat, duas alias explicationes affert et ita concludit: „Ecce tibi, prudens lector, tres proposui sensus veros et catholicos. Et prior quidem [SS. Patrum] in multis ceteris praecellit. . . . Reliqui vero duo sensus veri sunt et ad rem faciunt.“ Recentiores exegetae catholici communiter expositionem Patrum non sequuntur, sed illud „impossibile est renovari ad paenitentiam“ explicant ita: Perquam difficile est post tam enormia peccata paenitentiam agere. Ecclesiastica vero auctoritas numquam hanc interpretationem interdixit aut vituperavit. Ergo illa alia expositio SS. Patrum non potest censi necessario sequenda. Et si quis diligenter consideraverit, quomodo SS. Patres illum textum tractent, huius rei rationem facile intellet. Ubi cumque enim de illo textu loquuntur, statim quaestio incidit cum novatianis, qui ex verbis Pauli deducebant gravia peccata post baptismum commissa remitti non posse. Unde contra hos haereticos arguunt hunc sensum verbis apostoli nullo modo subesse: dein vero, quia apostolus utitur vocabulis *φωτισθέντας* et *ἀνακαινίζειν*, quibus posterioribus temporibus saepe significatur baptismus, textum interpretantur de non repetendo baptismo, et quidem nulla habita ratione contextus. Itaque cum ex altera parte sit veritas revelata eum, qui est in statu peccati contra Spiritum Sanctum, difficulter converti, certe SS. Patres non contradixissent, si quis iis ostendisset ex contextu censendum esse apostolum loqui de hac veritate.

587. Simile quid valet de alio textu, scilicet *Is. 53, 8*: „Generationem eius quis enarrabit?“ ubi Patres (*Patrizi*, In Act. 8, 33, enumerat sexaginta tres) vocabulum generationis interpretantur de nativitate Christi. Quia tamen inter se non consentiunt, utrum sermo sit de nativitate aeterna an de temporali, patet neutram explicationem tradi ut pertinentem ad fidem catholicam. Quare posteriores exegetae catholici sat multi utramque reliquerunt et aliam, quam hebraicum vocabulum „dor“ (= aetas, homines illius aetatis) postulat, posuerunt (cf. *Knabenbauer* in h. l. et *Cornely*, Introd. I, ed. 2, 614). Recte enim iam *S. Gregorius M.* animadvertit: „Venerabiles Patres, si seriatim cuncta exponerent, quae ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent“ (Prooem. in libr. Reg. n. 5; *M* 79, 21). Hoc etiam valet de iis, quae a SS. Patribus

<sup>1</sup> Solus *Hieronymus*, Contra Iovinianum l. 2 (*M* 23, 286), aliter textum explicare videtur. Dicit enim apostolum ideo tantum tam fortibus verbis uti, ut terreat iudaeos, sed statim addere illam mitigationem: „Confidimus autem de vobis meliora.“ Fortasse huc referri possunt obscura verba Origenis et Theognosti apud Athanasium (Ep. 4 ad Serap. n. 9 sqq.; *M* 26, 649 sqq.).

obiter dicta nec per se intenta sunt, de interpretationibus allegoricis et translatis, de rhetoricis amplificationibus et exaggerationibus. Ceterum in eiusmodi rebus vix umquam consensus SS. Patrum existit, sed potius pro suo quisque ingenio alias et alias interpretationes morales et allegoricas proponunt.

**Prop. LIV. SS. Patribus etiam ut doctoribus privatis magna auctoritas convenit in quaestionibus theologicis.**

588. Vidimus SS. Patrum dicta certis positis condicionibus ideo esse infallibilia, quia communis eorum consensus ita cum ecclesiae traditione cohaeret, ut consensus Patrum contra veram fidei doctrinam non possit existere nisi supposita corruptione doctrinae ipsius ecclesiae in rebus fidei et morum. Nemo enim potest inter SS. Patres recenseri, quem ecclesia ut testem fide dignum non approbavit; et consequenter si SS. Patres in re theologica unanimiter errarent, ecclesia ipsa errorem approbasse censenda esset.

Iam vero *ex approbatione ecclesiae etiam singulis Patribus magna auctoritas accrescit*, et quidem varia pro vario gradu approbationis. Interdum ecclesia quaedam doctrinae capita a sancto aliquo Patre proposita *specialissimo modo* approbavit et omnibus ut regulam sequendam praescrispsit. Tali approbatione definitiva e. g. concilium ephesinum confirmavit anathematismos Cyrilli (*Denz.* n. 113 sqq.). Interdum ecclesia opera alicuius S. Patris in certa aliqua materia *speciali modo* approbavit ut prae ceteris excellentia in tuta et solida expositione doctrinae catholicae. Hoc modo in materia gratiae approbata est doctrina S. Augustini quantum ad principia fundamentalia, non quantum ad omnes particulares conclusiones (*Denz.* n. 128; cf. tamen n. 142 et n. 1320). *Approbatio vero generalis* (sive expressa, e. g. decreto pontificis, sive tacita ex usu et practica agnitione alicuius S. Patris) in eo est, quod doctrina in universum sumpta, non in omnibus et singulis quaestionibus, orthodoxa agnoscitur et fidelibus commendatur. Approbatio ecclesiae est praecipua ratio theologica, quae SS. Patribus auctoritatem conciliat; haec enim approbatio nos certos reddit de sanctitate vitae et de orthodoxia doctrinae eorum, quamvis etiam abstrahendo ab hac approbatione saepe satis manifestum sit, quanti illi viri fuerint et quam bene dispositi ad recte iudicandum de rebus theologicis. Patet autem, per specialissimam approbationem, capita doctrinae, de quibus agitur, esse definita et simpliciter admittenda. Per specialem approbationem id efficitur, ut S. Pater in certis quaestionibus maiore auctoritate fruatur quam alii ideoque prae ceteris respiciendus et sequendus sit. Remanet igitur quaestio, quae auctoritas SS. Patribus tribuenda sit, ubi non adest tam specialis approbatio.

589. *Singuli Patres extra consensum spectati non sunt infallibiles testes et doctores*; nam Christus infallibilitatem collegio tantum apostolico

seu episcopatu universo et Petri successoribus, i. e. romanis pontificibus, promisit. Distinctionem inter consensum Patrum et privatam Patrum auctoritatem iam *S. Augustinus* clare indicavit. Citatis enim contra pelagianos aliquot Patrum testimoniis, „haec“, inquit, „non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat ab initio usque ad praesens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud ecclesiae fidem tanta constantia custoditum . . .“ (De pecc. mer. et rem. 3, 7, n. 14; *M* 44, 194). Itaque de Patribus singillatim sumptis intellegendum est, quod Augustinus dicit: „Alios [praeter scriptores inspiratos] ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt“ (Ep. 82, n. 3 ad Hieronymum. Cf. Ep. 93, n. 35; ep. 98, n. 15; *M* 33, 277 338 628 sq. Contra Faust. 11, 5; *M* 42, 248). Ad quae verba provocans *S. Thomas* scribit: Sacra doctrina „auctoritatibus canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate argumentando, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter“ (1, q. 1, a. 8 ad 2).

590. *Alicuius S. Patris testimonium in rebus fidei et morum argumentum probabile facit, et quidem eo magis probabile, quo maior est auctoritas Patris. Ratio patet, quia SS. Patres inter peritissimos et prudentissimos rerum theologicarum existimatores recensentur et ut tales ab ecclesia agniti et commendati sunt. Iam vero peritissimis in sua arte iudicantibus assensus, licet non absolute firmus, praestandus est, quamdiu sufficiens ratio non obstat. Augetur autem vis testimonii, si plures Patres consentiunt, et eo magis augetur probabilitas argumenti, quo magis crescit numerus consentientium testimoniorum, donec probabilitas transeat in certitudinem, quamvis limites exacti assignari non possint, quando id fiat. Hoc tamen certum est etiam multorum consensum non sufficere ad certitudinem parandam, si alii, licet multo pauciores, aliter doceant, dummodo horum doctrina ne sit formaliter ab ecclesia reiecta aut tacite relicta. Nam cum Patres inter se dissentiant, eorum auctoritas per se sola non sufficit, quia non exhibet consensum totius ecclesiae. In hoc igitur casu praeter singulorum auctoritatem ponderanda sunt argumenta, quae proferunt, et comparanda doctrina posteriorum aetatum. Est autem notandum silentium non idem esse atque dissensum. Unde si omnes, qui de aliqua re loquuntur, consentiunt, reliqui autem tacent, distinguendum est, utrum de quaestione fundamentali vel saltem magni momenti agatur an de re minus principali. Quodsi illud prius, consensus reliquorum tuto praesumi potest, quia non tacuissent, si in re magni momenti ab aliis erratum esset. At idem non valet, quando sermo est de quaestione, quae est minoris momenti, vel quae saltem iis*

temporibus non valde conspicua erat, sed magis neglegebatur. Quod si fit, testimonia unius vel plurium Patrum vix umquam limites probabilitatis excedunt.

591. *Ceterum in rebus maioris momenti dissensus inter SS. Patres non est facile admittendus, etsi verba eorum videantur contradictoria. Saepe enim accidit, ut iidem termini aliis temporibus et apud alios scriptores alium sensum habeant. Exemplo esse possunt dicta Patrum antenicaenorum de mysterio SS. Trinitatis, inter quos Dionysius Alexandrinus, accusatus, quod Filium ποιμα Patris dixisset, respondit, etiamsi forte obiter hoc dixisset, fuisse hoc in bonum sensum explicandum, cum apud Graecos ποιητής aliquis dicatur non rerum tantum ad extra productarum, sed etiam cognitionum suarum (Athanas., De sent. Dionys. n. 21; *M* 25, 510). Simili modo S. Basilius explicat inusitatas quasdam locutiones Gregorii Thaumaturgi (Ep. 210, al. 64, n. 5; *M* 32, 774), S. Augustinus dictum Hilarii (De Trin. 6, 10, n. 11; *M* 42, 931) etc. Maxime hic modus explicandi sequendus est, si unus alterve Pater videtur loqui contra doctrinam ea aetate iam communiter notam et receptam, quia admitti nequit virum tam insignem, quam secundum iudicium ecclesiae est quilibet S. Pater, doctrinam communem suae aetatis vel ignorasse vel impugnasse. „Verbum si offenderit“, inquit S. Ambrosius, „virtutem professionis interrogato . . . etiam sermonem dubium mens non dubia obumbrat et defendit a lapsu“ (Ep. 48, n. 4 ad Sabin.; *M* 16, 1152).*

592. *In aliis autem quaestionibus, quae aetate Patrum nondum ad explicitam fidem ecclesiae pertinebant, revera nonnulli Patres errarunt, et ita inter eorum dicta et consensum subsequentium temporum verus dissensus existit, ut in quaestionibus de spiritualitate angelorum, de rebaptizandis haereticis etc. Ergo si dissensus manifestus est, non est recurrendum ad artificiosas explicationes, ut tollatur, sed factum simpliciter admittendum et rationes erroris exponendae sunt. Quid enim mirum, quod ii, qui non sunt infallibiles, interdum errarunt? At etiam ubi errasse dicendi sunt, semper cum reverentia et honore tractari debent. Exemplo sit modus, quo S. Augustinus loquitur de errore Cypriani in causa rebaptizandorum: Concordi ecclesiae auctoritati „et ipse [Cyprianus] sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur. . . . Profecto et uni verum dicenti et demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata; et fortasse factum est, sed nescimus“ (De bapt. 2, 4; cf. 1, 1; 2, 14; 5, 25; 6, 3; *M* 43, 129 109 138 194 199). „Cyprianus aut non sensit omnino, quod [vos donatistae] eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem ecclesiae toto orbe crescentis*

et copiosissime defendit et perseverantissime tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: „Caritas cooperit multitudinem peccatorum.“ Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis“ (Ep. 93, n. 40; *M* 33, 340). Cf. *Canus*, De loc. theol. 6, 3; *Franzelin*, De trad. thes. 15; *Schrader*, De theologico testium fonte 305 sqq.

593. *Schol.* Praecepta de modo utendi auctoritate SS. Patrum.

De usu SS. Patrum in argumentis theologicis praeter ea, quae per se evidentia sunt (ut adhibenda non esse nisi scripta genuina et editiones critice bonas), maxime haec notanda sunt: Exceptis iis casibus, ubi SS. Patres disertis et minime ambiguis verbis enuntiant aliquid credendum aut contra aliquid ut haeresim reiiciendum esse, plerumque satis non est allegare sententias e contextu avulsas, quae forte per se certum aliquem sensum habere possunt, sed nequaquam necessario habent. Maxime in quaestionibus disputatis, ubi alii aliter docere videntur, *diligenter considerandus est non modo proximus contextus, sed etiam totus modus ratiocinandi et loquendi, quo utitur S. Pater, immo modus loquendi toti illi aetati proprius.* Nam non solum suum quisque scriptor habet peculiare ingenium, sed etiam plus minusve indoli suorum temporum servit. Itaque quia certi termini nostra aetate facti sunt technici et determinatum sensum habent, non idem sensus statim supponendus est iisdem vocabulis, quando primis saeculis occurrunt (cogita de vocabulis sacramenti, hypostasis etc.). Item bene attendendum est, quem errorem S. Pater impugnet, cum in impugnanda aliqua doctrina rationes ei oppositae ita efferri soleant, ut altera pars veri fere neglegatur, immo forte interdum negari videatur. Quam differenter e. g. loquitur S. Augustinus contra manichaeos defendens libertatem humanam, et contra pelagianos defendens gratiam divinam! Non raro SS. Patribus sententiae erroneae vel saltem fallaces suppositae sunt, quia non satis prae oculis habitum est, quod unam partem doctrinae contra negantes cum emphasi efferre non idem est atque alteram partem negare. Ideo, quantum fieri potest, comparanda sunt omnia, quae aliquis S. Pater de una eademque re variis temporibus et variis occasionibus scripsit.

594. *Multo liberius loqui poterant catholici doctores ante ortas haereses, quam postquam haeretici certis formulis loquendi abusi sunt ad errores suos stabiliendos.* Quare e. g. multa, quae ante arianismum sine periculo dici poterant, post ortum arianismum repetere non licebat. Generatim regulae sanae hermeneuticae cum diligentia adhibendae sunt in usu SS. Patrum; propter harum enim regularum neglectum non minus ex SS. Patribus quam ex Scriptura haeretici errores confinxerunt. Ita e. g. Iansenius magnam partem ex verbis S. Augustini composuit librum („Augustinus“) erroribus refertum; id quod hoc modo effecit, ut verba

quidem Augustini servaret, sed contextum sermonis et intentionem scriptoris saepe plane neglegeret.

Nihil melius praeparat mentem ad scripta Patrum cum utilitate legenda et explicanda quam studium theologiae scholasticae, cum theologia scholastica nihil aliud sit nisi theologia patristica in systema redacta et ad facilem et planam intellegentiam accommodata (cf. *Wirceburg.* I, n. 218 sqq.).

## ART. III.

## DE THEOLOGIS.

**Prop. LV.** Unanimis theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

595. *Quid sit theologia scholastica,* quae fuerit eius origo, supra (n. 44 sqq.) breviter explicatum est. Potest autem theologia scholastica considerari, aut ut distinguitur a theologia patristica, aut ut distinguitur a theologia positiva, aut ut distinguitur a theologia quorundam recentiorum, qui relictis principiis philosophicis in omnibus scholis catholicis per multa saecula vigentibus, novorum philosophematum placita ad theologiam applicarunt, quemadmodum e. g. Günther et Hermes. Hoc loco theologiam scholasticam hac ultima ratione consideramus et inquirimus, quae auctoritas conveniat iis theologis, qui inde a saeculo XII secuti sunt principia S. Thomae, S. Bonaventurae, Scoti aliorumque principum scholarum catholicarum. Ad quam quaestionem respondemus eorum unanimem consensum esse certum argumentum theologicum, omni exceptione maius. Hoc autem probamus ex ea quae his theologis est cum authentico magisterio ecclesiastico necessitudine.

596. *Auctoritas scholarum catholicarum fundatur in intimo earum nexu cum magisterio ecclesiastico.* Nam a saeculo XII usque ad saeculum XVIII scholae theologicae erant non de iure tantum sed etiam de facto sub providenti regimine auctoritatis ecclesiasticae. Unde si qui doctores ad doctrinas falsas vel periculosas declinare videbantur, primum ab ipsis academiis praepositis, dein ab episcopis, tum ab ipsis summis pontificibus efficaciter coerebantur. Cuius rei exempla historia sat multa affert. Itaque si omnes scholastici unanimiter falsam doctrinam proposuissent, ipsi ecclesiae rectores officio suo gravissime defuissent et integritatem veritatis revelatae miserrime foedari passi essent. At non solum tacendo sed etiam positive cooperando errorem fovissent.

597. *Doctrinam enim communem scholasticorum semper maximi faciabant et sequebantur tum summi pontifices tum concilia oecumenica.* Patet hoc e. g. ex decreto concilii viennensis, quod doctrinam aliquam ideo eligendam duxit, quia erat magis consona dictis sanctorum et

doctorum modernorum theologiae (*Denz.* n. 483). Patet idem ex historia concilii tridentini, in quo Patres una cum divina Scriptura Summam S. Thomae super altari patere voluerunt, ut ad hanc quasi amussim canonum statuta exigent.

Praeterea ex scholis illis ecclesiasticis prodibant sacerdotes, confessarii, praedicatores, episcopi, summi pontifices, qui omnes principiis scholasticis imbuti erant. Fieri igitur non potuit, ut in omnibus scholis error doceretur et doctores et rectores ecclesiae ab errore immunes manerent, nisi forte per magnum aliquod miraculum, quod supponendum non est. Porro certum est rectores ecclesiae reapse non aliam fidelibus proposuisse doctrinam, nisi quae communiter a theologis tradebatur. Ergo errantibus universis theologis tota ecclesia errasset.

Porro ecclesiae rectores non solum practice secuti sunt doctrinam scholasticorum, sed summis quoque laudibus eam ornavunt. Afferamus pauca ex multis. *Sixtus V* in bulla, qua S. Bonaventuram doctorem ecclesiae creavit: „Haereticorum“, inquit, „insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos summopere admonent, ut eandem theologiam, qua nihil ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. . . . Quanto igitur magis hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et hereditatem patrum nostrorum conservare et tueri et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.“ *Pius IX* in litteris ad archiepiscopum monachiensem die 21 dec. 1863 datis: „Neque ignorabamus in Germania falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur ecclesia. Qua falsa opinione ipsius ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologiam eorum doctrinam extulit illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit“ (*Denz.* n. 1680; cf. 1683 sq.). Similia habet *Leo XIII* in encyclica „Aeterni Patris“. Impugnatores theologiae scholasticae ecclesia saepius damnavit (cf. *Denz.* n. 609 1576 1579 1620 1652 1657).

*Pius X* in encyclica „Pascendi“ de modernistis ait: „Philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contempnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius, quod quis mo-

dernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum.“ Dein pontifex haec statuit: „Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus, ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. . . . Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt, ut scholasticam theologiam despiciere videantur“ (ed. *Herder* 90 sq. 98 sq.). Itaque manifestum est ecclesiam doctrinam a scholasticis unanimiter receptam suam fecisse (cf. *Carbone*, De modernistarum doctrinis 6 sqq.).

598. Contra vero *haeretici theologiam scholasticam summo odio persecuti sunt*. Ita *Lutherus* scribit: „Ego simpliciter credo, quod impossibile sit ecclesiam reformari, nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, ut nunc habentur, eradicentur et alia studia instituantur“ (*L. de Wette*, *Luthers Briefe* I 108). *Melanchthon*: „Theologia scholastica nihil est nisi vana, ficta, ementita, damnata, diabolica cavillatio et monachorum somnium“ (*Der Bapstesel*, *Wittenberg* 1523, fol. A 3). Alia apud *Canum* (*De loc. theol.* 8, 1), *Döllinger* (*Die Reformation* I 437 sqq.), *Kleutgen* (*Theol. der Vorzeit* II, ed. 2, n. 15). Ergo sicut cum ecclesia sentit, qui scholasticorum doctrinam sequitur, ita cum haereticis sentit, qui eorum doctrinam impugnat.

Ceterum facile patet, quam improbable a priori sit tot viros sanctissimos, ingenio praestantissimos, qui reiectis curis saecularibus toto animo studio theologiae se dederunt, adhibitis omnibus adiumentis naturalibus et supernaturalibus, hos, inquam, viros omnes in errores theologicos incidisse et hos errores unanimiter per tot saecula pro doctrina revelata proposuisse. Si hoc admitti posset, non solum desperandum esset de aptitudine intellectus humani ad inveniendum verum sed etiam de ipsa providentia divina.

599. Ex iis, quae dicta sunt hactenus, eadem conclusiones deducendae sunt circa consensum scholasticorum atque supra de consensu SS. Patrum: a) Ubi cumque unanimis et constans scholasticorum consensus doctrinam proponit ut fide credendam, hanc doctrinam negare haeticum est, quia hic consensus mediate manifestat doctrinam magisterii infallibilis. Consensus autem saepe probatur ex paucorum testimoniis, qui hac in re ceteris duces fuerunt. Si e. g. Magister, Bonaventura, Thomas, Scotus unanimiter et asseveranter rem proponunt ut dogma credendum, rationabili dubitationi locus non relinquitur, quia eo ipso constat eorum discipulos idem docuisse. b) Ubi doctrina theologica a scholasticis unanimiter proponitur, non quidem ut divinitus revelata, sed ut necessario fluens ex doctrina revelata, haec doctrina est theologice certa, et eam negare est error in theologia. c) Si doctores scholastici

quaedam admittunt ut vera, non tamen ut conclusiones theologicas necessarias, sed ut speculationes ad fidem non necessario pertinentes, accedit quidem tali opinioni pondus gravissimum, at tamdiu solum, quamdiu argumenta certa vel saltem vere probabilia contra eam non pugnant. Idem valet, si doctrinam proponunt ut probabilem tantum vel ut probabiliorem vel ad modum opinantium; idem de argumentis et de modo probandi. d) Si qua de re scholastici dissentiunt, ex eorum auctoritate per se sumpta nihil probari potest. Ergo neque unius scholae placita neque generatim multorum etiam insignium theologorum sententia est necessario admittenda, si aliae scholae vel alii solidi doctores contradicunt, nisi forte postea res in unam vel alteram partem determinata est, sive per decretum concilii vel pontificis sive per consensum ecclesiae dispersae. „Non repugnat“, inquit cardinalis *de Lugo*, „aliquamdiu maiorem scholasticorum partem opinionem aliquam ut probabiliorem [immo ut certam] amplecti, quae re ipsa falsa est“ (De fide disp. 20, sect. 3, n. 128). Et *Canus*: „Theologorum scholasticorum, etiam multorum, testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas comprobavit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet, sed si paucos viros, modo graves, secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere. . . . Nec enim, si quid scoticis aut thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illico est“ (De loc. theol. 8, 4). Itaque recte *Wirceburgenses*: „Cavendum, ne unanimis doctorum consensus nimis confidenter aut temere asseratur, nisi saltem inspectio praecipuorum aut magis celebrium auctorum id contestantium fidem fecerit; sicut nec curandum, si unus aut alter obscurioris nominis [vel notae singularitatis] auctor absque efficacibus rationibus et responsis, contra torrentem nitatur et extra communem chorum saltet“ (I, n. 237). Notandum autem est modum loquendi, qui non raro occurrit apud posteriores theologos scholasticos, scilicet doctrinam aliquam esse communem, nihil aliud significare nisi doctrinam esse a multis bonis doctoribus receptam; ergo opposita potest simul esse communis, immo magis communis.

**600.** *Obiectiones quidem plurimae factae sunt contra theologiam scholasticam, sed multae ex iis huc non pertinent, ut linguam eorum esse barbaram, methodum aridam, philosophiam nimis abstractam et subtilem, alia, de quibus cf. Petavius (ed. rom. I, prolog. c. 4, n. 1) et Kleutgen, Theol. der Vorzeit II, ed. 2, n. 312 sqq.; IV, n. 15 sqq. Hic id tantum respiciendum est, quod dicunt scholasticos unanimiter varias doctrinas proposuisse, quae postea a theologis reiectae sint. Exempli causa afferri potest, quod negarunt episcopatum esse ordinem distinctum a presbyteratu, cum hodie ab omnibus fere theologis id affirmetur. De qua re Perrone scribit: „Cardinalis Capisucchius affert octoginta auctores,*

quos ipse profiteretur fere omnes vidisse, qui negant episcopatum esse ordinem, et singulorum loca distincte apponit“ (De ord. c. 2, schol. 1, n. 78 in nota). Hanc difficultatem multum exaggerat *Phillips* (Kirchenrecht I 309 sqq.). Nihilominus solutio est valde facilis; imprimis quia non adest consensus universalis theologorum. Quamvis enim plurimi scholastici negarent episcopatum esse ordinem, tamen semper aderant, qui contrariam sententiam defenderent. Ita *Guilelmus Altissiodorensis* (l. 4, tract. 8, q. 1), *Durandus*, *Ioannes Maior*, *Paludanus*, recentiores theologi paene omnes, item canonistae vix non omnes (canonistis autem in quaestionibus ad ius canonicum pertinentibus eadem auctoritas convenit atque theologis in suis). Cf. *Hallier*, De sacris electionibus et ordinibus pars 2, sect. 2, c. 1, art. 2, § 2. Praeterea theologi, quamvis sententiam negantem ut veram defenderent, numquam oppositam damnarunt ut haeticam vel erroneam in fide, sed solis argumentis rationis studebant rem conficere. Ita *Guilelmus Parisiensis* (initio saec. XIII), De sacramento ordinis c. 13 in fine, ait: „Si quis dicere voluerit episcopatum esse ordinem alium a sacerdotio minori, non opponimus nos.“ Quae autem sic proponuntur, non habent rationem sententiae certae et obligatoriae. Immo illa quaestio magna ex parte fuit de nomine tantum (cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 40, a. 5, et in 4, dist. 24, q. 1, a. 2, sol. 2). De quibusdam similibus quaestionibus cf. *Franzelin*, De trad. 210 sqq.

#### 601. Schol. 1. De S. Thoma.

Inter theologos scholasticos prae ceteris magnae auctoritatis est S. Thomas, quia eius doctrina modo singulari saepe ab ecclesiastica auctoritate commendata est. *Ioannes XXII*: „S. Thomas plus illuminavit ecclesiam quam omnes alii doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae“ (*Bollandist.*, Mart. I 682). *Urbanus V* professores universitatis tolosanae ita alloquitur: „Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut B. Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini eamque studeatis totis viribus ampliare“ (Bulla ad archiep., universit. et omnes fidel. tolos. 12 aug. 1368). *Benedictus XIII*: „Aequum erat, ut angelica doctrina tanti doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quae solis instar mundum universum illustrans uberrima christianae ecclesiae bona peperit paritque in dies singulos multiplici fructu, supremo apostolicae sedis magisterio adversus quoscumque veteres ac recentes errores, quos revincit, fidelissime famulans“ (Bulla „Pretiosus“ a. 1727). *Leo XIII*: „S. Thomas divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum doctrinae splendore complevit. . . . Ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges neque apta partium dispositio neque optima procedendi ratio neque principiorum firmitas aut argumentorum robur neque dicendi perspicuitas aut proprietates neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur. . . . Illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus

debellarit et ad profligandos, qui perpetua vice imposterum exoritur sunt, arma invictissima suppeditarit. Ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta iam fere nequit sublimius assurgere, neque fides a ratione fere potest plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae est per Thomam consecuta" (Encycl. „Aeterni Patris“ a. 1879). Multa alia vide apud *Kleutgen*, *Theol. der Vorzeit* IV, n. 54 sqq. Post haec quid mirum, quod non solum innumerabiles viri doctissimi se discipulos S. Thomae esse gloriati sunt, sed quod etiam integrae universitates et familiae religiosae eius doctrinam receperunt et suis professoribus sequendam praescripserunt.

Quae cum ita sint, facile unusquisque probabit verba *Francisci de Victoria*, theologi nobilissimi, de quo *Canus* refert: „Memini de praeceptore meo ipso audire, cum nobis secundam secundae partem coepisset exponere, tanti divi Thomae sententiam esse faciendam, ut, si potior alia ratio non succurreret, sanctissimi et doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursus non oportere sancti doctoris verba sine delectu et examine accipere; immo vero si quid aut durius aut improbabilius dixerit, imituros nos eiusdem in simili re modestiam et industriam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat nec in sententiam eorum, ratione in contrarium vocante, transit. Quod ego praeceptum diligentissime tenui. Non enim ullam, non divi Thomae dico, sed ne magistri mei opinionem quidem revocavi ad arbitrium meum; nec cordi tamen fuit iurare in verba magistri. Nam et vir ille erat natura moderatus; at cum divo etiam Thoma aliquando dissensit maioremque meo iudicio laudem dissentiendo quam consentiendo assequeretur; tanta erat in dissentiendo reverentia“ (De loc. theol., proem. in l. 12).

Est autem notandum praeter duas quaestiones De sollemnitate votorum et De immaculata conceptione B. V. M., in quibus necessario a S. Thoma recedimus, perpaucas esse alias, in quibus theologi communiter non admittunt doctrinam S. Thomae, e. g. utrum idem ab eodem sciri et credi possit, utrum mundus possit esse ab aeterno, utrum ordines minores sint sacramenta, utrum episcopatus sit ordo sacramentalis, quomodo maneant species eucharisticae, postquam realis praesentia Christi cessavit, etc.

Die 27 iulii 1914 s. studiorum congregatio declaravit 24 theses, ad metaphysicam spectantes, continere S. Thomae principia et pronuntiata maiora (Acta apost. sed. 1914, 383 sqq.). Anno vero 1916 eadem s. congregatio ad quaestionem, utrum illae theses omnibus scholis ut necessario tenendae imponendae sint, respondit: „Propo- nantur velut tutae normae directivae“ (ib. 1916, 157). Summus vero pontifex *Benedictus XV* in epistula die 19 martii 1917 ad praepositum generalem societatis Iesu data declaravit de illis 24 thesibus, satis adhaerere angelico doctori „qui universas de Thomae doctrina theses perinde proponendas esse censeant ac tutas ad dirigendum normas,

nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio“ (cf. *Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck 1918, 206 sqq.). Eo quod aliqua doctrina est tuta, non efficitur oppositam doctrinam non esse tutam; nam in quaestionibus controversis utraque potest esse probabilis et tuta; immo fieri potest, ut ea, quae prius praeferebatur, postea a multis vel omnibus relinqueretur.

Patet igitur nullam doctrinam esse ideo praecise absolute certam, quia S. Thomas eam proposuit. Ipse S. Thomas neque suam neque ullius doctoris sententiam tam caeco modo accipi voluit (1, q. 1, a. 8 ad 2), sed saepius sententias a se prius propositas postea vel tacitus correxit (e. g. In 2, dist. 1, q. 1, a. 3, coll. 1, q. 45, a. 5) vel diserte retractavit (e. g. In 3, dist. 14, q. 3, a. 3, sol. 5, coll. 3, q. 9, a. 4). Ex altera vero parte, quamdiu nulla solida ratio obstat, auctoritas S. Thomae nobis sufficere debet, ut aliquam sententiam eius oppositis opinionibus praeferebamur amplectamur. Ceterum eo ipso, quod sequimur doctrinam S. Thomae, certi sumus nos in universum sequi doctrinam communissime in ecclesia receptam. Paucae quaestiones, in quibus hoc non valet, omnibus notae sunt. Quia igitur saepe impossibile est adire tot theologos, ut ex eorum comparatione possimus invenire, cui doctrinae auctoritas scholae magis faveat, iuvat habere unum, quem plurimi alii ducem et principem suum agnoscunt. Talis autem est S. Thomas; ergo, quamdiu eius doctrinam secuti fuerimus, numquam incidemus in opiniones alienas a sensu catholico, multo minus in absurdas aut haereticas.

*Codex iur. can.* can. 1366, § 2 haec statuit: „Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad angelici doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.“

## 602. Schol. 2. De consensu ecclesiae discentis.

Theologi ut tales non pertinent ad ecclesiam docentem, cui per Christum donum infallibilitatis in proponenda et explicanda veritate revelata promissum est. Unde *Canus* immerito ad eos applicat verba Christi: „Qui vos audit, me audit“ (De loc. theol. 8, 4); haec enim dicta sunt ad solos episcopos. Nihilominus theologi ex missione canonica et sub praesidio rectorum ecclesiae docentes intimum nexum habent cum magisterio ecclesiastico, ut hoc per illos docere recte dicatur. Ideo auctoritatem theologorum derivavimus ex auctoritate episcoporum et pontificum approbantium doctrinam scholasticorum.

At etiam *consensus ecclesiae discentis ut talis est certum criterium veritatis theologicae*. Christus enim magistris ecclesiasticis infallibilitatem contulit non in eorum tantum utilitatem, sed ut sine periculo erroris custodire possent gregem sibi creditum (Io. 17, 20 21. Rom. 1, 5. 1 Cor. 3, 22. Eph. 4, 11 sqq.). Itaque sicut per Spiritum Sanctum infallibilis servatur testificatio docentium, ita fides quoque credentium.



Ideo iam SS. Patres saepe ex consensu fidelium argumentantur contra haereticos. Ita *S. Basilus* contra Eunomium: „Quod quidem non putet oportere in simplici ac nuda multorum fide permanere, sed artificiosis quibusdam captiosisque rationibus veritatem rursus ad id, quod sibi videtur, detrudere, satis ex iis, quae protulit, verbis ostendit. Nam multorum opinione contempta, qua Spiritum Sanctum glorificant, simulat se sanctorum tenere doctrinam“ (Adv. Eunom. 3, 1; *M* 29, 654). *S. Augustinus* contra Iulianum: „Non tibi, sicut calumniaris, „solum populi murmur opponimus“, quamquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi, docti et indocti, mares et feminae norunt, quid cuique aetati in baptisate remittatur. . . . Quasi parva sit istius veritatis assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepet multitudo“ (Contra Iul. 1, 7, 31; *M* 44, 662; cf. De duabus anim. contra Manich. c. 11; *M* 42, 105; Contra Faust. 11, 2; *M* 42, 245; alibi passim). Haec verba indicant, quibus in rebus populi consensus invocari possit, scilicet non in quaestionibus subtilibus et pure scholasticis, sed in rebus quae etiam communi populo perviae sunt, quia vel ad doctrinam vel ad praxim cotidianam pertinent. Quantum in his rebus valeat sensus et consensus fidelium, efficitur ex historia quaestionis de immaculata conceptione B. V. (cf. *Franzelin*, De trad. 103 sqq.; *Schrader*, De theol. testium fonte 323 sqq.).

Quia autem fides populi christiani, maxime primorum saeculorum, apparet in *picturis, monumentis, inscriptionibus* etc., haec quoque adhiberi possunt ad argumenta theologica. Quaedam exempla affert *Franzelin*, De trad. 159 sqq. Sed haec res, quia multas inquisitiones postulant, antequam possunt certum fundamentum argumentationis praebere, in speciali disciplina tractantur, quae sacra archaeologia vocatur. Ea autem, quae in hac disciplina certo stabilita sunt, utilissima sunt theologiae dogmaticae. Idem dicendum est de historia ecclesiastica, de qua alibi agitur.

### 603. Schol. 3. De usu rationis humanae in theologia.

„Utitur sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem, sed ad manifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis subsequitur caritati“ (*S. Thom.* 1, q. 1, a. 8 ad 2).

Sumitur autem vocabulum rationis dupliciter, prout significat aut ipsam facultatem ratiocinandi aut principia naturaliter cognita. Rationem complete sumptam indicat *Augustinus*: „Absit, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non pos-

simus, nisi rationales animas haberemus“ (Ep. 120 ad Consent. n. 3; *M* 33, 453). Cum per se pateat sine ratione subiective intellecta omnem theologiam esse impossibilem, intellegitur ratio complete sumpta, quando sermo est de usu rationis in theologia. Ratio autem sic intellecta dupliciter servit theologiae: 1. stabiliendo praeambula fidei, quae ante theologiam sciri oportet; et hic usus locum habet in apologetica et propaedeutica theologia, ubi ratio et historia fontes proprios argumentandi constituunt; 2. in theologia ipsa ratio adhibetur ut fons extraneus, et hoc dupliciter: a) ad formandas conclusiones theologicas ex maiori revelata et minori philosophice cognita; b) ad confirmanda dogmata fidei, et hoc vel ostendendo ea, quae fides doceat, consentire cum veritatibus philosophicis; vel, si de mysteriis agitur, afferendo analogias et ostendendo, quomodo illae doctrinae, quas ratio per se non potest invenire, nihilominus, postquam revelatae sunt, ei valde satisfaciant, et negative defendendo veritates revelatas ab objectionibus adversariorum. Manet autem semper ratio in his rebus ancilla, non domina, et curandum est, ut sit vera in principiis, sana in doctrinis, cauta in delectu opinionum, sobria in usu (*Wirceburg.* I, n. 242). Cf. *conc. vatic.* sess. 3, c. 4 (*Denz.* n. 1795 sqq.). De abusu philosophiae cf. *Gregorii IX* Ep. ad theologos parisienses (*Denz.* n. 442) et *Pii IX* Ep. ad archiep. monach. (*Denz.* n. 1669 sqq.).

Hinc patet posse etiam philosophorum auctoritatem, intra certos limites, invocari in theologia. Et quia inter cetera systemata philosophica excellit aristotelicum, praesertim prout emendatum est a scholasticis, mirum non est, quod veteres theologi toties dicta Aristotelis allegant. At de auctoritate philosophorum in genere et Aristotelis in specie in philosophia dictum est, et ideo, quae ibi dicta sunt, hoc loco in mentem revocasse sufficiat (cf. *Canus*, De loc. theol. l. 9 et l. 10).

## SECTIO II.

### DE SACRA SCRIPTURA.

604. Quid sit S. Scriptura, quid sit canon, qui libri pertineant ad canonem, quomodo probetur genuinitas librorum sacrorum, quid censendum sit de variis textibus et versionibus, quae regulae sequendae in exponenda Scriptura, haec omnia explicantur in introductione in S. Scripturam (cf. *Cornely*, Introd. I). Unica quaestio hic tractanda est de *inspiratione*, i. e. de illa indole, qua S. Scriptura est liber Dei seu verbum Dei scriptum<sup>1</sup>.

Notionem inspirationis partim ex ipsa Scriptura, partim ex traditione haurimus. Argumentum scripturisticum supponit utique ge-

<sup>1</sup> Cum „De inspiratione Sacrae Scripturae“ ediderim speciale opus (Friburgi Br. 1906), eos, qui copiosorem discussionem desiderant, delegabo ad istud opus, indicando numeros marginales hoc modo: De Inspir. n. 1 12 etc.

nunitatem librorum, ex quibus argumentamur. At quia haec genuinitas logice non supponit inspirationem, nullus in eo est circulus vitiosus, quod ex libris ipsis aliquid de natura horum librorum discere studemus. Quamvis autem plenus conceptus inspirationis non habeatur nisi ex traditione, nihilominus ordine chronologico prius Scripturam, dein Patrum dicta et conciliorum definitiones examinabimus.

## ART. I.

## DE EXSISTENTIA ET NOTIONE INSPIRATIONIS.

**Prop. LVI.** Secundum testimonia S. Scripturae existunt libri, qui Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent.

**605.** Quid S. Scriptura doceat de inspiratione.

In libris Veteris Testamenti non pauca testimonia occurrunt, quae indicant homines a Deo fuisse motos ad certas res litteris consignandas: „Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro“ (Exod. 17, 14). „Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus“ (Exod. 34, 27). „Dixitque Dominus ad Moysen: . . . Nunc itaque scribite vobis canticum istud et docete filios Israel . . .“ (Deut. 31, 19).

Similiter apud prophetas: „Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis . . .“ (Is. 8, 1). „Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud“ (Is. 30, 8). Unde Isaias librum suum vocat „librum Domini“ (Is. 34, 16). „Haec dicit Dominus Deus Israel dicens: Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te, in libro“ (Ier. 30, 2). „Factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino dicens: Tolle volumen libri et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi . . .“ (Ier. 36, 1 2; cf. 4, 17 18 28). „Et respondit mihi Dominus et dixit: Scribe visum et explana eum super tabulas“ (Hab. 2, 2).

Haec testimonia referuntur ad determinata quaedam scripta et solum testantur mandatum divinum scribendi. Nullum occurrit testimonium in Vetere Testamento, ex quo constet integram aliquam collectionem librorum tali modo Deo imperante esse confectam, nisi quod interdum sermo est de sacris libris (Dan. 9, 2. Eccli. Prol. 1 Mach. 12, 9 10).

Inter scriptores sacrorum librorum quidam per excellentiam vocantur *prophetas*, ut Isaias, Ieremias, Ezechiel. Sed Moyses quoque, cui lex adscribitur, vocatur propheta, immo maximus prophetarum (Deut. 34, 10. Num. 12, 6 sqq.). David vero, qui prae ceteris psalmista habetur, de se ipso dicit: „Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam“ (2 Reg. 23, 2). Ergo principales partes Scripturae in Vetere Testamento prophetis adscribuntur.

Prophetas autem sunt quasi os Dei, per quod Deus loquitur ad homines (Exod. 4, 15 16; 7, 1. Ier. 15, 19). Ipsi aguntur a Spiritu

Sancto (cf. 1 Reg. 10, 10; 19, 20; 2 Par. 20, 14; 24 20; Ez. 3, 12). Unde nomine Dei loquuntur et constanter repetunt: „Haec dicit Dominus“ (cf. Ez. 3, 2 10). Itaque inter israelitas erant libri sacri, scripti a prophetis ex iussione et motione divina (De Inspir. n. 377 sqq.).

Consonant haec cum verbis *Flavii Iosephi* scribentis: Apud nos non cuivis licet historiam scribere, sed „prophetis tantum, qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione didicerunt. Non multa milia apud nos sunt librorum discordantium et pugnantium, sed duo tantum supra viginti libri, totius temporis descriptionem continent, quibus merito fidem habemus. Et horum quinque sunt Moysis. . . . Ab obitu Moysi usque ad Artaxerxem . . . prophetae Moysi succedentes suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserunt. Reliqui quattuor libri hymnos ad Deum et vitae praecepta, hominibus data, continent. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram aetatem omnia quidem scripta sunt, neque vero eadem fide digna habentur atque priora, quia minus manifesta fuit successio prophetarum“ (Contra Apionem 1, 8). Alia de sententia veterum iudaeorum vide De Inspir. n. 10 sqq.

**606.** In libris Novi Testamenti saepe sermo est de collectione librorum, qui vocantur: ἡ γραφή, αἱ γραφαί, γραφαὶ ἄγια, ἱερὰ γράμματα (Io. 7, 38; 17, 12; 19, 24 sqq. Matth. 22, 29. Rom. 1, 2; 4, 3. 2 Tim. 3, 15 16 etc.). His libris tanta auctoritas tribuitur, ut hac formula: „Scriptura dicit“, „scriptum est“ etc., argumentum ineluctabilis efficacitatis inducatur (Matth. 4, 4 sqq.; 21, 42. Io. 5, 39; 10, 34. Act. 23, 5. Rom. 1, 17; 3, 10. 1 Petri 2, 6 etc.). Similes formulae circiter centies quinquagies occurrunt.

Quae autem sit haec Scriptura, patet ex ipsis citationibus, quae desumptae sunt ex variis libris Veteris Testamenti. Vocantur Scriptura tum singuli textus (cf. Io. 19, 36 37; Luc. 24, 27) tum tota collectio librorum sacrorum. Hi libri dividuntur in legem, prophetas, psalmos (Luc. 24, 44) vel in legem et prophetas (Matth. 5, 17), vel vocantur lex simpliciter (Matth. 5, 18; Io. 10, 34; 1 Cor. 14, 21). Inde igitur, quod hi libri indiscriminatim allegantur ut argumenta prorsus firma, quae nullam oblocutionem patiantur, efficitur et singulos textus et totam illam collectionem librorum habita esse ut eiusdem naturae et auctoritatis. Ideo non singuli tantum textus ut certa argumenta afferuntur, sed tota Scripturae absoluta infallibilitas tribuitur. „Non potest solvi Scriptura“ (Io. 10, 34). „Oportet impleri Scripturam“ (Act. 1, 16). „Donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant“ (Matth. 5, 18). „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me“ (Luc. 24, 44). Cf. Act. 3, 21; 17, 2 3 etc.

Itaque Scriptura ut Scriptura in omnibus suis partibus secundum doctrinam Christi et apostolorum habet prorsus infallibilem auctoritatem. Quae autem est ratio huius infallibilitatis? Non alia, nisi

quia *Scriptura est verbum Dei*, quia per Scripturam ipse Deus loquitur, seu quia scriptores sacri ut prophetae loquuntur in Spiritu Sancto.

Hoc modo ipse *Christus Dominus* allegat verba psalmi 109: „Congregatis Pharisaeis interrogavit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo . . .?“ (Matth. 22, 41 sqq.) In hoc textu notanda est forma temporis praesentis: „Quomodo vocat“, quae solum referri potest ad scriptum librum. Similiter Christus iudaeis dicit: „Non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham . . .?“ (Matth. 22, 31.) Haec autem iudaeis dicta non sunt, nisi quatenus scripta sunt: nam ut non scripta ad Moysen tantum dicta erant (cf. Exod. 3, 6 et Marc. 12, 26). Quia igitur Deus loquitur per sacros scriptores, Christus ait: „Facilius est caelum et terram praeterire quam de lege unum apicem cadere“ (Luc. 16, 17).

*Apostoli* eandem rationem loquendi sequuntur. Ita S. Petrus ait: „Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David“ (Act. 1, 16; cf. 2, 30). Fideles ad Deum orant: „Domine, tu es, qui fecisti caelum et terram, mare et omnia, quae in iis sunt, qui Spiritu Sancto per os patris nostri David dixisti: Quare fremuerunt gentes . . .?“ (Act. 4, 24 sq.). S. Paulus in epistula ad hebraeos saepe exhibet Deum loquentem per Scripturas. Ita Hebr. 1, 6: „Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit [Deus]: Et adorent eum omnes angeli“, quae sunt verba Ps. 96, 7. „Dixit enim Deus in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima“ (Hebr. 4, 3; cf. Gen. 2, 2). „Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos . . .“ (Hebr. 10, 15; cf. Ier. 31, 33). Immo Gal. 3, 8 loco Dei loquentis simpliciter ponitur Scriptura loquens: „Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes“ (cf. Gen. 12, 3).

Itaque secundum doctrinam Christi et apostolorum omnia et singula dicta Scripturae Sacrae ideo infallibiliter vera sunt, quia sunt Scriptura, i. e. verbum Dei scriptum, seu quia a Deo inspirata sunt.

**607.** *Sacram Scripturam a Deo esse inspiratam disertis verbis docet S. Paulus scribens ad Timotheum:* „Ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας . . . πᾶσα γραφή θεόπνευστος (2 Tim. 3, 15 16). Ergo illa Sacra Scriptura, quam Timotheus, filius matris iudaeae, ab infantia legit, divinitus inspirata est. Hoc vocabulum θεόπνευστος hoc tantum loco in libris sacris occurrit et admodum raro invenitur apud profanos scriptores. Ita apud Plutarchum: τὸς ὄνειρους τὸς θεοπνεύστους (De plac. phil. 5, 2); apud Pseudo-Phokylidem (121): τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος. Ibi igitur habemus somnia a Deo inspirata, hic sapientiam a Deo inspiratam. Vi etymologiae haec vox significat id, quod est

a Deo afflatum vel inspiratum. Itaque quod Paulus S. Scripturam vocat θεόπνευστον, tum ex voce ipsa tum ex usu *potest* significare Scripturam a Deo inspiratam. Si comparamus verba Pauli cum aliis textibus iam allatis, et si addimus unanimem expositionem Patrum graecorum, plane certum est S. Paulum nihil aliud voluisse dicere quam Scripturam esse verbum a Deo dictum seu Deum esse auctorem principem S. Scripturae. Hoc modo inspiratam esse dicit πᾶσαν γραφήν, omnem Scripturam, i. e. quodvis scriptum, cui iudaei vel christiani nomen S. Scripturae tribuebant.

**608.** Hunc esse verum sensum horum verborum efficitur ex iis quoque, quae S. Petrus scribit. Dicit enim se quidem fuisse testem oculatum gloriae Christi, nihilominus etiam firmiter argumentum quam ipsum testimonium sensuum esse prophetias in Scriptura contentas. Ratio autem, cur Scriptura tam firmum argumentum praebeat, haec est: ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἄγιοι [al. ἀπὸ] θεοῦ ἄνθρωποι (2 Petri 1, 20 21). Prophetia, de qua hic est sermo, est Scriptura ut prophetica. Ad Scripturam enim, quam habebant, christianos remittit et huic eos attendere iubet ut firmissimo fidei testimonio. Non est putandum eum loqui de solis libris propheticiis stricte dictis, cum prophetiae ad Christum spectantes in aliis quoque libris occurrant (cf. Luc. 24, 27 44). Ratio autem absolutae infallibilitatis Scripturae est, quia eius scriptores non ex humana voluntate vaticinia illa scripserunt, sed ex instinctu Spiritus Sancti. Ideo prophetae in S. Scriptura saepe vocantur „os Dei“ (Ier. 15, 19; 5, 14 etc.; cf. Exod. 4, 16; 2 Reg. 23, 1 sqq.). Verba praecedentia: ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται ab aliis referuntur ad ipsam Scripturae originem, quae inventionem hominum orta non sit; et hoc modo v. 20 idem habet quod sequens. Ab aliis verba referuntur ad interpretationem Scripturae, quae in se sit obscura neque se ipsam explicet neque explicari debeat secundum humana beneplacita sed secundum eundem Spiritum, qui eam inspiravit. Utraque interpretatio ad nostrum finem est indifferens, quia v. 21 clare docetur Scripturam a Spiritu Sancto esse inspiratam. Eodem igitur sensu S. Paulus censendus est vocasse Scripturam θεόπνευστον.

Itaque ex testimoniis Christi et apostolorum manifestum est S. Scripturam Veteris Testamenti esse a Deo inspiratam, et per hanc inspirationem Deum esse auctorem Scripturae et per Scripturam ad nos loqui.

**609.** *De inspiratione librorum Novi Testamenti pauca tantum innuuntur in scriptis apostolorum.* S. Ioannes in Apocalypsi saepius testatur se accepisse a Deo mandatum scribendi (Apoc. 1, 10 11 19; 19, 9 10). S. Paulus nomine Scripturae videtur allegare verba quaedam ex evangelio Lucae (1 Tim. 5, 18; cf. Luc. 10, 7). S. Petrus ad fideles scribit:

„Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistulis, loquens in iis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam perditionem“ (2 Petri 3, 14 sqq.). Quibus verbis S. Petrus epistulas S. Pauli recenset inter „Scripturas“, quas male intellegere ideo est tam periculosum, quod habentur regula fidei, et ex earum malo intellectu fides ipsa corrumpitur. Quia vero ex his verbis S. Petri concludi nequit, quas epistulas Pauli ob oculos habuerit, testimonium manet indeterminatum. Nihil igitur invenitur in libris Novi Testamenti, unde probari possit totam S. Scripturam Novi Testamenti, prout in nostro canone habetur, esse inspiratam. Itaque ad traditionem recurrendum est, ut omnium librorum S. Scripturae origo divina et inspiratio extra dubium ponatur (cf. De Inspir. n. 34 sqq. 382 sqq.).

#### Prop. LVII. Inspiratio S. Scripturae probatur ex traditione.

610. Quod ad testimonia traditionis attinet, notandum est nos non simpliciter ex eo argumentari, quod SS. Patres et concilia dicant S. Scripturam esse a Deo inspiratam vel etiam dictatam. Alii enim theologi haec et similia vocabula nimis presserunt et studuerunt ex iis probare verbalem inspirationem; alii e contra censuerunt SS. Patres laxiore modo intellexisse inspirationem, cum *Tertullianus* dicat „omnem Scripturam aedificationi habilem divinitus inspirari“ (De cultu fem. 1, 3; M 1, 1308), cum *Augustinus* dicat Hieronymum scripsisse „non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu“ (Ep. 82, 2; M 33, 276), cum etiam decreta conciliorum divinitus inspirata esse dicantur (*Leo M.*, Ep. 145, n. 1; M 54, 1114). Sed si attenderimus ad modum, quo SS. Patres suam de inspiratione S. Scripturae doctrinam theoretice explicarunt et practice applicarunt, facile videbimus ex consensu Patrum omnes et solos libros S. Scripturae esse sensu stricto inspiratos.

611. Ex usu practico Patrum et fidelium primorum saeculorum evidenter innotescit iis firmissime persuasum fuisse de divina origine sacrorum librorum. Hi libri in publica liturgia legebantur, ut iam testantur *S. Iustinus M.* (Apol. 1, n. 67; M 6, 430) et *Tertullianus* (Apol. c. 39; M 1, 468 sq.), et populo exponebantur, ut constat ex tot homiliis sanctorum Patrum. Singula Scripturae dicta habentur pro argumento ineluctabili, cui contradicere nulli fas sit; sacros scriptores erroris accusare impium et blasphemum censent. Diligenter distinguunt libros inspiratos ab aliis libris quantumvis bonis et piis. „Solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam . . . alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia

ita senserunt“ (*S. Augustin.*, Ep. ad Hieronym. 82, n. 3; M 33, 277). Hinc magnum illud studium in discernendis Scripturis veris ab incertis vel apocryphis, quod videre est e. g. in decretis *Innocentii I* et *Gelasiano* quod dicitur (*Hardouin* I 1005; M 59, 163; *Denz.* n. 96 166). Fideles S. Scripturam semper in summa veneratione habebant, eam diligentissime servabant, in pectore gestabant (cf. *S. Io. Chrysost.*, In Matth. hom. 72, n. 2; M 58, 669), non legebant nisi cum externis devotionis signis, genuflectentes vel erecto corpore stantes, praeferebant tormenta et mortem subire quam sacros libros manibus gentilium tradere. Haec et alia, quae nota sunt ex historia ecclesiastica, luculenter ostendunt divinam originem et inspirationem Scripturae communiter cognitam et creditam fuisse primis illis temporibus christianis (De Inspir. n. 389 sqq. Cf. *St. Beissel*, Geschichte der Evangelienbücher, Freiburg 1906, 1 sqq.).

612. Theoretica testimonia de hac re permulta exstant, sed pauca adduxisse sufficiat.

*S. Clemens Romanus*: „Scripturas diligenter inspiciate, quae Spiritus Sancti vera sunt oracula. Attendite in illis nihil iniustum neque perversum scriptum esse“ (1 Cor. 45, 2). Loquitur ibi de variis factis historicis, quae in Vetere Testamento narrantur (cf. 8, 1; 13, 1; 16, 2; 47, 1 sqq.).

*S. Iustinus M.* (vel alius anonymus) dicit scriptores Veteris Testamenti „nihil proprio Marte excogitatum nos docuisse. . . Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed eo, quod tunc in sanctos homines descendebat dono [nomine δωρεάς significat Spiritum Sanctum]; quibus quidem nec verborum artificio opus fuit nec pugnaciter quicquam et rixandi studio dicere, sed puros se ipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud e caelo delapsum plectrum velut quodam cytharae aut lyrae instrumento ita iustis hominibus utens, divinarum nobis et caelestium rerum cognitionem recluderet“ (Cohort. ad graec. c. 8; M 6, 257). Cf. Apol. 1, n. 13 31 sqq. 36 61; Dial. cum Tryphone 7 33 36 38 sq. 65.

*S. Theophilus Antiochenus* vocat scriptores sacros ὄργανα θεοῦ, et de Moyse ait: Μωϋσῆς δέ, μάλλον δὲ ὁ λόγος ὁ τοῦ θεοῦ ὡς δι' ὄργανου δι' αὐτοῦ φησιν (Ad Autol. l. 2, n. 10; M 6, 1066). S. Scriptura in omnibus sibi consentiens est διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἐνὶ πνεύματι θεοῦ λελαληκέναι (ib. l. 3, n. 12; M 6, 1137).

Similiter antiquissimus quidam scriptor apud *Eusebium* disputans contra haeresim Artemonis ait: „Sacras quidem Scripturas audacter adulteraverunt. . . Quantae porro audaciae sit eiusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare credibile est. Aut enim S. Scripturas a Sancto Spiritu dictatas esse non credunt, et proinde infideles sunt; aut semet ipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimabant, et proinde quid aliud sunt quam daemoniaci?“ (H. E. 5, 28; M 20, 510 sq.)

*S. Irenaeus* docet „Moysi litteras verba esse Christi“ (Adv. haer. 4, 2, 3; *M* 7, 977). „Quomodo testabantur de eo [Christo] Scripturae, nisi ab uno et eodem essent Patre, praeinstruentes homines de adventu Filii eius?“ (L. c. 4, 10, 1; *M* 7, 1000.) „Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae“ (2, 28, 2; *M* 7, 804).

*Clemens Alexandrinus*: „Possum tibi Scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus“ (Coh. ad gent. 9; *M* 8, 191).

*Origenes* docet „non hominum scripta esse sacros libros, sed ex inspiratione Spiritus Sancti voluntate Patris omnium per Iesum Christum esse eos scriptos et ad nos pervenisse“ (De princ. 4, 1, n. 9; *M* 11, 359).

Secundum *S. Ioannem Chrysostomum* Scripturas ut quasdam „litteras dedit Deus, attulit autem Moyses. . . . Igitur obsecro, ita auscultemus, quasi haec non iam a Moyse, sed per linguam Moysis ab ipso universorum Deo audiamus“ (In Gen. hom. 1. 2, n. 2; *M* 53, 28).

*S. Cyprianus* ad Quirinum scribit: „Obtemperandum fuit, fili carissime, desiderio spirituali impensissima petitione divina magisteria poscenti, quibus nos Deus per Scripturas Sanctas erudire et instruere dignatus est, ut a tenebris erroris abducti et luce eius pura et candida luminati viam vitae per salutaria sacramenta teneamus“ (Praef. in libr. testim.; *H* 1, 35).

*S. Ambrosius*: „Quomodo [Spiritus Sanctus] non omnia habet, quae Dei sunt, qui cum Patre et Filio . . . inspiratur prophetis? Unde et Scriptura divina θεόπνευστος omnis ex hoc dicitur, quod Deus inspiret, quae locutus est Spiritus“ (De Spiritu Sancto 3, 16, n. 112; *M* 16, 803).

*S. Augustinus*: „Deus . . . etiam Scripturam condidit, quae canonica nominatur, altissimae auctoritatis“ (De civ. Dei 11, 3; *M* 41, 318). „De illa civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus“ (In Ps. 90, n. 1; *M* 37, 1159).

*S. Gregorius M.*: „Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Iob scriptor habeatur. . . . Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui in illius opere inspirator exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistulis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta, quaereremus, ridiculum profecto esset epistularum auctorem scire, sed quali calamo earum verba impressa essent, indagare. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo percontamur?“ (In Iob praef. n. 1 2; *M* 75, 515 sq.)

Haec testimonia ostendunt, quomodo ex consensu SS. Patrum Deus dicendus sit auctor sacrorum librorum. Dicunt enim Deum esse eorum auctorem, quatenus eos inspiraverit, dictaverit, tamquam suam epistolam ad homines miserit, scriptores eorum humanos ut instrumenta adhibuerit eosque ab errore immunes servaverit et ita in his libris infallibile verbum suum hominibus tradiderit. (Multo plura habes De Inspir. n. 34 sqq.; cf. 395 sqq.).

**613.** Porro S. Scripturam a Deo inspiratam esse *catholica ecclesia saepius definit*. *S. Gelasius* (vel Damasus) papa in prologo decreti de libris canonicis et apocryphis in concilio romano a. 494 (vel 495) editi ait: „Ad discutiendas vel intellegendas Scripturas . . . illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: prophetias, inquit, nolite spernere, omnia autem probate, ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas“ (*M* 59, 165). Cf. *Denz.* n. 83 nota 1.

*Concilium florentinum* in decreto pro iacobitis: „Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est legis et prophetarum atque evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur“ (*Denz.* n. 706; cf. n. 348 421 464).

*Concilium tridentinum* sess. 4: „Sacrosancta et oecumenica et generalis tridentina synodus . . . orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit. . . . Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in vetere vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . A. S.“ (*Denz.* n. 783 sq.).

Quae verba repetit *concilium vaticanum* sess. 3, c. 2, et haec addit: „Eos vero [libros] ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo, quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt“ (*Denz.* n. 1787). Cf. De Inspir. n. 135 sqq. 208 sqq. 272 sqq. 327 sqq.

**614.** *Ex ratione inspiratio S. Scripturae probari nequit*, cum sit factum supernaturale. Sed inspiratione supposita facile intellegitur, quomodo scriptores cum tanta certitudine et simplicitate loquantur de rebus altissimis, et quomodo libri sacri tam apti sint, ut in animis legentium bene dispositis excellentissimos fructus sapientiae et sanctitatis producant, ut sub hoc respectu vix ulli alii libri cum iis comparari possint. Quae res merito indicium quoddam divinae originis censi potest.

**Prop. LVIII.** Inspiratio consistit in supernaturali influxu, quo Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult, et in supernaturali adiutorio, quo hominem iuvat ad res apte scribendas.

615. Stabilito facto inspirationis notio inspirationis distinctius explicanda est. Iam vero ex iis, quae hucusque vidimus, efficitur *Deum esse auctorem sacrorum librorum*<sup>1</sup>. Auctor autem libri dicitur is, qui est causa efficiens libri. Neque tamen quaelibet causalitas ad hoc sufficit. Nam etsi alteri facultatem praebui scribendi libri, si consilium scribendi dedi, si multis modis scribentem adiuvi, possum quidem vero aliquo sensu vocari causa libri; nihilominus nemo dixerit me esse auctorem libri sensu stricto, sed omnes alterum pro vero et proprio auctore habebunt. Ergo quotiescumque duo aliquid conferunt ad librum conscribendum, is auctor est habendus, ad quem liber refertur ut ad *causam principalem*. Principalis autem causa is est, qui sua voluntate determinavit res scribendas et altero ut instrumento tantum utitur ad has res litteris consignandas<sup>2</sup>.

*Sacros scriptores esse causas instrumentales* in scribendo tota traditio catholica constanter docet. *S. Iustinus M.*: Prophetæ scribentes θεοφροῦνται (Apol. 1, n. 33; *M* 6, 381), verbo divino moventur (ib. 36; *M* 6, 385), sunt instrumentum, quod plectro divino pulsatur (Cohort. ad Graecos n. 8 sqq.; *M* 6, 225 sqq.). *Athenagoras*: Spiritus Sanctus „ora prophetarum tamquam organa movit . . . sicut si tibicen inflat tibiam“ (Legatio n. 7 9; *M* 6, 903 907). *Hippolytus*: „Hi omnes, Spiritu prophetico aptati et ab ipso Verbo honorati, ad instar organorum habentes in se Verbum ut plectrum, quo moti ea, quae Deus volebat, prophetæ annuntiabant“ (De Christo et Antichristo 2; *M* 10,

<sup>1</sup> Decreto „Lamentabili“ damnata est haec prop. 9: „Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt, qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem“ (Denz. n. 2009).

<sup>2</sup> Fortasse delectatione non caret querela, quae in *Revue Thomiste* (1918, 199 sqq.) de me habetur, quod in quaestione de inspiratione „manifestem timorem motionum instrumentalium“, qui timor sit „defectus radicalis in hac quaestione et nota propria theologorum plus minusve molinistarum“. — Iamvero in opere „De Inspiratione Sacrae Scripturae“, de quo proxime loquitur ille scriptor, triginta circiter locis de causa instrumentali sermo est, et interdum quidem per plures paginas. In memoriam mihi revocat verba Leonis XIII de causa instrumentali, quae pluries allegavi, e. g. cum toto contextu pag. 344. Dicit me non citasse verba S. Thomae ex Quodl. VII, a. 15 ad 5. Revera agitur de art. 14, ex quo solutio ad obiect. 5 tota legitur pag. 169, sicut generatim ex illo Quodlibeto VII multa excerpti. Unde si ille scriptor exclamat: „Et his omnibus non obstantibus audebit quis dicere: Doctrina thomistica de causalitate instrumentali in inspiratione biblica non est doctrina veteris scholae dominicana!“ responsum est valde simplex: Scriptores sacros esse causas instrumentales et P. Pesch et omnes fere theologi catholici docent; sed ad hoc requiri praedeterminationem physicam recentium thomistarum plurimi theologi recte negant. Itaque si sufficit dicere scriptorem sacrum esse causam instrumentalem a Deo motam, ut quis sit bañesianus, nos omnes sumus bañesiani.

727 sq.). *Theodoretus Cyr.*: „Est prophetæ propriam linguam suam ministram exhibere gratiae Spiritus Sancti secundum illud psalmorum dictum: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis“ (In Ps. praef.; *M* 80, 862). Prophetæ sunt „divini Spiritus instrumenta“ (In Dan. praef.; *M* 81, 1258 sq.). Quare *S. Hieronymus* facit psalmistam loquentem: „Meum est quasi organum praebere linguam, illius [Spiritus Sancti] quasi per organum sonare, quae sua sunt“ (Ep. 65, n. 7; *M* 22, 627). *S. Augustinus*: Christus „omnibus discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit“ (De cons. evangelist. 1, n. 54; *M* 34, 1070). *S. Thomas*: Scripturae „Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum“ (Quodl. 7, a. 16). Tandem, ut multa alia omittamus (quae vide De Inspir. n. 85 88 120 132 169 177 182 277 281 282 293 302 304), audiamus *Leonem XIII*: „Nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit“ (Encycl. „Providentissimus Deus“, ed. Herder 61).

Itaque Deus, ut sit auctor alicuius libri, debet ipse statuere, quid scribendum sit, et homine uti ut instrumento. Quia autem homo est instrumentum rationale, motio, quae a Deo ut causa principali communicatur cum instrumento, fit per intellectum et voluntatem.

616. Si sacri auctores in scribendo sunt instrumenta Dei rationalia, Deus inspirando agit in eorum intellectum et voluntatem, ut id, quod Deus vult, eo modo scribant, quo vult. Quae motio, quia agitur de effectu supernaturali et charismatico, supernaturalis sit necesse est. Id *Leo XIII* his verbis exponit: Spiritus Sanctus „supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae“ (Encycl. „Providentissimus Deus“, Denz. n. 1952). Sine tali motu neque Scriptura neque sacri scriptores essent θεόπνευστοι, neque ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι locuti essent sancti Dei homines, ut S. Petrus ait (2 Petri 1, 21), sed potius voluntate humana esset allata prophetia, quod apostolus negat. Idem SS. Patres et theologi variis modis docent. E. g. *Iustinus* dicit propheticos scriptores se discipulos Spiritus Sancti exhibuisse, et quae ab eo didicerant, nobis tradidisse (Dial. cum Tryph. n. 7. Cohort. n. 8 sqq.; *M* 6, 255 sqq. 491). Idem dicit *Theophilus Antioch.* (Ad Autolyceum 2, 9; *M* 6, 1063). *Hippolytus*: „Non enim ex sua facultate loquebantur, ut impostores, neque quae ipsi volebant, haec

annuntiabant, sed prius per Verbum recte instruebantur" (De Christo et Antichristo 2; *M* 10, 128). *S. Hilarius*: „Officio quidem oris sui propheta loquitur, sed cognitione non sua“, sed a Deo supernaturaliter accepta (In Ps. 134, n. 7; *M* 9, 756). *S. Ambrosius*: Evangelistae opus suum „divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine complerunt“ (In Luc. 1, 3; *M* 15, 1534). *S. Augustinus*: „Secretiore consilio providentiae Dei mentes evangelistarum sunt gubernatae“ (De cons. evang. 3, n. 28; *M* 34, 1174). „Cur autem Spiritus Sanctus, dividens propria unicuique, prout vult, et ideo mentes quoque sanctorum propter libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quae scriberent, sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quaesiverit, divinitus adiutus poterit invenire“ (De cons. evang. 2, n. 29; *M* 34, 1091). Sed nimis multa dicta Patrum et theologorum de hac re adsunt, quam quae possint hic colligi (cf. De Inspir. n. 65 sqq. 71 132 143 148 162 166 167 170 172 173 182 185 205 277 278 281 282 285 289 292 293 296 301 302 304 307). Itaque de necessitate supernaturalis influxus in intellectum et voluntatem hagiographi semper fuit et est constans traditio in ecclesia. Id solum memoria tenendum est, secundum veteres theologos et Patres charisma inspirationis reduci ad charisma propheticum.

*Motio Dei in intellectum scriptoris sacri* non necessario eadem est in omni materia scribenda. Potest nimirum accidere, ut Deus velit scribi res, quae homini sunt prorsus ignotae neque naturaliter ab eo cognosci possunt. In hoc casu Deus debet imprimis homini res scribendas revelare, ut accidit in prophetiis presse dictis. At fieri quoque potest, ut homo res scribendas iam aliunde noverit. Quod si evenit, nequaquam nova revelatione opus est, sed sufficit, ut Deus illustret intellectum scriptoris, ut hic intellegat, quid sibi scribendum sit. Etenim si scriba utens iubeo eum meo nomine has vel illas res, quas iam novit, litteris consignare, eo ipso existo auctor talis scripti, licet scribae nullas novas notiones de rebus scribendis tradiderim. Immo idem valet, si eum movero, ut in his vel illis fontibus quaerat determinatas illas res, quas scribi volo, et eas meo nomine scribat. Eodem modo manet Deus auctor libri, licet scriptor humanus totum argumentum prius sciverit vel industria et studio usus sit ad res inveniendas. *S. Ioannes* dicit se scripsisse ea, quae viderat (Io. 19, 35; cf. 1 Io. 1, 1 sqq.). *S. Lucas* testatur se diligenter inquisivisse in ea, quae scripturus erat (Luc. 1, 3). *Scriptor secundi libri Machabaeorum* ait: „Ab Iasone cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine brevare. . . . Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus“ (2 Mach. 2, 24 sqq.).

Ideo *S. Thomas* recte distinguit duplex lumen propheticum: unum, quo homo novas res accipit; alterum, quo de rebus sibi iam notis

supernaturale iudicium format. Ut quis sit scriptor inspiratus, non requiritur semper nova acceptio rerum scribendarum, sed requiritur supernaturale iudicium (2, 2, q. 174, a. 2 ad 3; cf. q. 171, a. 3, et De verit. q. 12, a. 12), quo scilicet homo iudicat sibi haec et haec scribenda esse (De Inspir. n. 172 sq. 402 sqq. 414 sqq.).

*Neque ex hoc statim concludi potest hominem inspiratum necessario esse conscium inspirationis supernaturalis*, cum aliarum quoque motionum supernaturalium homo conscius non sit. Nam et ad fidem praerequiritur supernaturalis cognitio de credibilitate et ad quodlibet bonum opus accipimus supernaturalem illustrationem intellectus et supernaturalem motionem voluntatis. Nihilominus neque in actibus, quae fidem praecedunt, neque in iis, quae fidem sequuntur, haec supernaturalitas actuum directe a nobis apprehenditur, sed ex doctrina ecclesiae tantum cognoscitur. Ergo neque in inspiratione supernaturalitatem motionis apprehendi necesse est. Si quis e. g. censet scriptorem secundi libri Machabaeorum non fuisse conscium inspirationis, quia scribit: „Ego quoque in his faciam finem sermonis. Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi“ (εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι. 2 Mach. 15, 38 39), non obstat huic opinioni haec ratio, quod ad inspirationem pertineat supernaturalis illustratio intellectus. Plerique tamen theologi censent scriptores inspiratos non ignorasse suam inspirationem, quia hoc magis convenire videtur instrumento rationali (cf. *Franzelin*, De trad. thes. 3, cor. 3, p. 363 sq., et *Denzinger*, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II 24 sqq.).

Itaque illustratio intellectus ideo tantum requiritur ad inspirationem, quia homo ex una parte debet non nomine suo, sed nomine Dei per Scripturam loqui ad alios, ex altera vero parte est instrumentum vivum, quod a Deo movetur per influxum in intellectum et voluntatem.

**617.** *A Deo, ut auctor princeps libri sit, voluntatem humanam movendam esse ad scribendum per se evidens est*; neque enim potest Deo auctori attribui, quod praeter eius voluntatem fit. Hoc autem valet non de integro tantum libro sed etiam de singulis rebus et sententiis, quia nemo censetur auctor libri eo, quod solum in genere dederit consilium vel praeceptum vel impulsus scribendi librum, nisi ipse res et sententias in specie sua voluntate determinavit. Ergo si homo scriberet, quae ipse vult et sentit, ipse esset causa principalis Scripturae, non instrumentum in manu Dei, res scripta non esset verbum Dei sed verbum hominis, homo non loqueretur in Spiritu Sancto sed in suo spiritu. At ex testimoniis supra allatis constat scriptorem inspiratum non in suo spiritu sed in Spiritu Dei loqui, non verba hominis sed verbum Dei scribere, non ut causam principalem agere sed ut causam instrumentalem. Ergo non ipse ultimatim sua volun-

tate determinare debet, quid scribendum sit, sed eius voluntas a Deo movenda est ad has res et has sententias scribendas (2 Petri 1, 21).

Potest autem Deus etiam externis occasionibus et circumstantiis uti, ut homines incitet ad scribendum. Ita Paulus ad corinthios scripsit, quia de variis rebus ab iis interrogatus erat. Secundum veterem traditionem Marcus scripsit evangelium, rogatus a romanis (supra n. 121). Sed secundum doctrinam catholicam cum his externis incitamentis necessario necti debet supernaturalis influxus internus in sacrum scriptorem, quia, ut ait *Leo XIII*, sine tali influxu Deus non esset auctor Scripturae universae (supra n. 616), scriptores non essent a Deo inspirati, sed naturalibus causis moti, non essent causa instrumentalis sed principalis, quae omnia sunt contra traditionem catholicam.

Ita e. g. S. Paulus ad Philemonem scripsit occasione accepta a fuga Onesimi, quem domino eius remittebat. Si ex hac sola causa secundum solum lumen naturale et sola sua propria voluntate scripsisset sine interno influxu supernaturali, epistula eius non esset Scriptura inspirata, quia deesset illud internum elementum, quod ad conceptum inspirationis absolute requiritur; nam conceptus inspirationis ab ecclesia de universa Scriptura univoce intellegitur. Cum inter veteres quidam essent, qui nollent epistulam ad Philemonem ut Scripturam Sacram recipere propter vilitatem materiae, cum „non semper apostolus nec omnia Christo in se loquente dixisset“, respondet *Hieronymus* canonicitatem epistulae constare ex traditione ecclesiae, obiectiones vero esse ineptas. Dein addit errorem esse asserere parvis rebus peragendis fugari Spiritum Sanctum. „Sed mihi videntur, dum epistulam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intellegentes, quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat. Quae, orantibus vobis et ipso nobis Sancto Spiritu suggerente, quo scripta sunt, suis locis explanare conabimur“ (Prolog. in ep. ad Philem.; *M* 26, 602)<sup>1</sup>. Similiter alii veteres commentatores huius epistulae, quorum nullus est, qui censeat epistulam scriptam esse ob externam occasionem tantum sine interna motione Spiritus Sancti.

**618.** *Manet tamen sacer scriptor per se omnino liber* sub interna motione neque necessario extra se rapitur vel alienationem a sensibus patitur, in qua loquatur vel scribat, quae ipse nulla ratione intellegat. Haec enim res, si accideret, quamvis non impediret, quominus Deus auctor libri esset, tamen ad inspirationem minime requiritur, immo minus conveniens videtur (cf. 1 Cor. 14, 32). Ideo cum montanistae alienationem a sensibus et a mente ad inspirationem necessariam esse

<sup>1</sup> Cf. *Ludwig Schade*, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, in *Biblische Studien* XV (Freiburg i. Br. 1910). 4. u. 5. Heft, qui contra *L. Sanders*, *Études sur S. Jérôme* (Paris 1903), ostendit a S. Hieronymo non admitti ullos errores in S. Scriptura (p. 66 sqq.).

docuissent, SS. Patres hanc doctrinam ut prorsus falsam reiecerunt (*Athanas.*, *Contra arian.* or. 3, n. 47; *M* 26, 422; *Ioann. Chrysost.*, In Ps. 44, n. 1; *M* 55, 184; *Epiphani.*, *Haer.* 48, n. 4; *M* 41, 862; *Hieron.*, Prolog. in Is.; *M* 24, 19; in *Hab.*, in *Nah.*; *M* 25, 1232 1274). Deus enim libertate hominis intacta potest homine uti ut instrumento ad conscribendum librum.

**619.** *Porro Deus assistentia sua scriptorem sacrum inter scribendum iuvare debet*, ut infallibiliter sint vera, quae scribit; nam Deus non potest velle, ut suo nomine scribantur, quae sunt falsa. Neque solum vera esse oportet, quae scribuntur, sed debent etiam fideliter exprimi ea omnia et sola, quae Deus scribi vult, quia secus homines, ad quos Scriptura dirigitur, in errorem inducuntur, accipientes humana pro divinis. Sed haec iam est magis quaestio de extensione inspirationis, de qua postea plura (cf. De Inspir. n. 417 425 477).

**620.** *Tandem Deus debet velle, ut liber suo mandato conscriptus, suo quoque nomine ecclesiae tradatur*, et hanc suam voluntatem revelare debet. Deus enim inspirat libros sacros in utilitatem ecclesiae, mittit eos tamquam epistulam ad homines. Non repugnat quidem Deum privatis tantum hominibus hoc modo loqui; at talis liber, etsi recte diceretur sacer, non esset sensu stricto liber inspiratus, quia secundum doctrinam concilii vaticani libri inspirati sunt, qui ut tales ecclesiae traditi sunt et pertinent ad depositum fidei catholicae. Quamvis Deus interdum sanctis privatas revelationes dederit cum mandato scribendi eas, et quamvis hae revelationes iussu Dei conscriptae postea tum a Deo ipso nova revelatione privata tum iudicio ecclesiae approbatae sint (cogita e. g. de scriptis S. Teresiae), numquam tamen haec scripta recensentur inter libros S. Scripturae, quia Deus noluit, ut suo nomine et tamquam libri, quorum ipse esset auctor, ecclesiae traderentur. Quia autem ex principiis naturalibus cognosci nequit, quis liber sit inspiratus et Dei nomine ecclesiae traditus, requiritur revelatio divina ad hoc cognoscendum (De Inspir. n. 329 409 sqq. 427).

Itaque traditio librorum non constituit inspirationem, sed eam supponit eamque manifestat. Actus, quo Deus vult, ut liber scribatur in hunc finem, ut ecclesiae tamquam liber Dei tradatur, pertinet ad genus causae finalis. Causa autem finalis non habet efficaciam et effectum nisi per causam efficientem. Ergo Deus, si vult, ut liber sit suus et tamquam suus ecclesiae tradatur, debet correspondentem influxum supernaturalem in scriptorem sacrum exercere. Nam sine hoc influxu non est inspiratio neque liber inspiratus, ergo neque traditio libri inspirati. Haec nos iam docuit *Leo XIII* secundum constantem doctrinam ecclesiae (supra n. 616). Unde Deus, quando relinquit solas causas naturales agere ad librum aliquem conficiendum, non potest simul intendere, ut liber fiat inspiratus et canonicus. Nam velle, ut liber



sit inspiratus, neque tamen inspirare, est contradictio in terminis. Inspiratio autem est actus causae efficientis supernaturalis. Ergo intentio, ut liber tamquam canonicus ecclesiae tradatur, et inspiratio supernaturalis sunt duae res inseparabiliter nexae (cf. supra n. 617).

**621. Schol.** *Inspiratio est gratia gratis data*, i. e. ea, quae non datur ad sanctificationem scriptoris inspirati sed ad utilitatem ecclesiae. Revocatur ad donum prophetiae generice acceptae, quia propheta est, per quem Deus ad homines loquitur. Cum autem aliae gratiae gratis datae in ecclesia semper perseverent, inspiratio post apostolorum tempora plane cessavit. Quia enim revelatio publica finita est cum morte apostolorum (supra n. 524 sq.), etiam charisma inspirationis ad scribendos libros S. Scripturae cum consummatione revelationis catholicae desiit (cf. De Inspir. n. 377 sqq. 395 sqq. 402 sqq.).

**Prop. LIX.** Ad rationem libri inspirati neque sola assistentia Dei avertentis periculum erroris a scribente neque subsequens quam vocant inspiratio sufficit.

**622.** Nonnulli catholici theologi, inter quos praecipue *Io. Iahn*, professor vindobonensis, censuerunt inspirationem nihil aliud esse nisi assistentiam quandam negativam, qua Deus caveret, ne scriptor errores conscriberet, et ideo nomen inspirationis male electum esse, quod aliquid positivi significaret, cum reapse non ageretur de positiva revelatione, sed solum de cavendis erroribus<sup>1</sup>.

Haec doctrina vera est, in quantum dicit inspirationem distinguendam esse a revelatione; sed falsa est, in quantum confundit inspirationem cum assistentia divina.

**623.** *Ad inspirationem non sufficere assistentiam divinam*, qua scriptor muniatur ab errore in scribendo, patet a) ex ipso vocabulo inspirationis, quod tum usu scripturistico tum usu ecclesiastico sanctum est, ut sit terminus technicus ad propriam rationem rei, de qua hic agitur,

<sup>1</sup> Ita *Iahn* hanc opinionem explicat: „Sollen nun diese Schriften ein göttliches Ansehen haben, so müssen die Verfasser von Gott auch im Schreiben vor Irrthümern seyn verwahret worden. Den göttlichen Beistand zur Verhütung der Irrthümer nennen wir Eingebung oder Inspiration, eine Benennung, die der Gebrauch gestempelt hat, obgleich sie nicht sehr passend ist, indem sie etwas Positives aussagt, indessen der unterlegte Begriff negativ ist; denn eben darin unterscheidet sich diese göttliche Verwahrung vor Irrthümern von der Offenbarung, daß sie dem Schriftsteller keine neuen Aufschlüsse gibt, ihn nichts lehret, sondern nur die Einmischung der Irrthümer in dasjenige, was er schon weiß, verhindert, die Offenbarung aber Belehrungen, Kenntnisse und Einsichten in die Rathschlüsse Gottes verleiht. Vgl. *du Pin*, Dissert. prélim. l. 1, c. 1, § 7, p. 53. Diese Bestimmung des Begriffs der Inspiration und der Unterschied von Offenbarung muß sorgfältig beobachtet werden, indem beide sehr häufig verwechselt werden, woraus dann große Schwierigkeiten erwachsen“ (Einleitung in die Geschichte der Bücher des Alten Bundes<sup>2</sup>, Wien 1802, § 19, p. 91 sq.).

significandam receptus. Atqui *θεοπνευστία*, ut ipse *Iahn* recte notavit, non significat solam illam negativam assistentiam concomitantem, sed positivum impulsus antecedentem. Ergo sola assistentia divina non sufficit. b) Iuxta doctrinam Scripturae et ecclesiae Deus est auctor librorum sacrorum et per eos loquitur hominibus; scriptores vero humani sunt instrumenta tantum, quibus Deus utitur ad scribendum. Atqui si alter scribit librum secundum suum intellectum et voluntatem, ego autem solum curo, ne errorem committat in scribendo, non ego recte possum vocari auctor libri, sed alter, neque ego loquor per librum nec sum eius causa principalis, sed alter, isque solus. Ergo liber, ad quem Deus nihil contulit nisi negativam assistentiam, non recte dicitur habere Deum auctorem, esse ab homine conscriptus ut a causa instrumentali tantum, esse liber divinus et non humanus. c) Decreta dogmatica conciliorum oecumenicorum et definitiones cathedrales romanorum pontificum continent veritates revelatas et per assistentiam Dei immunia sunt ab errore, etiam ut scriptis edita; neque tamen umquam ab ecclesia recensentur inter scripta divina et inspirata. Ergo assistentia illa non sufficit, quare *conc. vatic.* sess. 3, c. 2 definivit ecclesiam non ideo dumtaxat libros S. Scripturae pro sacris et canonicis habere, „quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem“ (*Denz.* n. 1787). Cf. De Inspir. n. 325 330 430.

**624.** Alii theologi docuerunt ad rationem libri inspirati sufficere subsequentem approbationem ecclesiae vel Dei.

*Bonfrerius* distinguit triplicem modum, quo se Spiritus Sanctus possit habere cum scriptoribus sacris; antecederet inspirando singula, quae scribenda sunt; concomitanter assistendo tantum, ne scriptor in re ulla erret (eo fere modo, quo *Iahn* censuit); consequenter testando omnia, quae humano modo scripta erant, esse vera. „Hoc tertio modo etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, S. Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat uti“ (Praeloquia in *Script. Sacr.* c. 8, sect. 7; *Migne*, *Cursus Scripturae Sacrae* I 114). *Bonfrerius* ipse solum primum modum vocat inspirationem. Alii vero secundum quoque et tertium modum vocarunt inspirationem concomitantem et subsequentem; quam locutionem minus aptam esse patet. Praeterea in eo a *Bonfrerio* dissenserunt, quod censebant omnes tres modos reapse inveniri in nostris libris sacris. Immo dixerunt scriptum humanum posse fieri librum S. Scripturae eo ipso, quod in canonem reciperetur.

Ita olim docuit *Haneberg*, qui probabilius esse putabat hoc modo ortos esse libros historicos S. Scripturae (*Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung*, Regensburg 1850, 774). In tertia editione operis sui addidit ne in infimo quidem modo inspirationis excludi sublimiores quosdam influxus providentiae divinae in mentem scrip-

toris (ed. 3, 817). Postea vero librum suum ad normam decretorum concilii vaticani corrigendum curavit.

Itaque opinio, quae statuit quosdam libros humanos factos esse sacros eo, quod ab ecclesia in canonem recepti sint, directe reiecta est a concilio vaticano sess. 3, c. 2: „Eos vero [libros] ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod, sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem“ (Denz. n. 1787).

De approbatione divina subsequente haec definitio nihil diserte enuntiat neque loquitur de mera possibilitate, sed de libris, qui in nostra S. Scriptura existunt. Quare in concilio vaticano relator de prima constitutione declaravit illo decreto non attingi scholasticam quaestionem de variis modis, quibus absolute aliquis liber sacer et divinus fieri posset (Collect. Lac. VII 140). Nihilominus *indirecte* sine dubio illae sententiae de assistentia Dei concomitante et de approbatione subsequente reiectae sunt. Eo enim ipso, quod concilium docet libros sacros Spiritu Sancto inspirante conscriptos esse et Deum habere auctorem, necessario postulat antecedentem et concomitantem influxum Dei in scriptorem humanum. Neque hoc pro praesenti tantum ordine valet; nam in nullo ordine potest quis fieri auctor libri eo, quod librum ab alio scriptum approbet. Quis e. g. dixerit episcopum fieri auctorem omnium librorum, quos approbat? Neque enim fieri potest, ut natura libri iam exstantis per subsequentem approbationem in plane aliam mutetur et liber ex humano fiat divinus. Quamvis igitur liber humanus a Deo approbatus recte dici possit liber sacer, tamen numquam potest esse talis liber sacer, qualis est nostra Scriptura Sacra, quia haec est a Deo inspirata et Deum auctorem habet.

Quod vero *Bonfrerius* obicit quaedam verba humana per approbationem subsequentem Spiritus Sancti facta esse verbum divinum, ut illud Arati: „Ipsius enim et genus sumus“ (Act. 17, 28), et Epimenidis: „Cretenses semper mendaces . . .“ (Tit. 1, 12), non est verum. Nemo merito dicere potest Spiritum Sanctum esse auctorem horum dictorum, sicut neque illi, qui citant proverbia, fiunt auctores proverbiorum; sed Spiritus Sanctus solum testatus est illas sententias esse veras. Ideo haec dicta fide divina credi possunt; at dignitas S. Scripturae non in eo tantum est, quod omnia eius dicta credi possunt, sed quod habet Deum auctorem (De Inspir. n. 323 406)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Maxime a catholica doctrina aberrarunt *modernistae*. Qui quidem negant Deum esse vere auctorem Sacrae Scripturae, loquuntur tamen de inspiratione, quam sic explicant: Sacri scriptores fuerunt homines, qui, peculiari commotione religiosa correpti, experientias suas religiosas litteris consignarunt. Unde eorum scripta exhibent res praeteritas, praesentes, futuras non secundum obiectivam earum veritatem, sed secundum scriptorum subiectivas apprehensiones, quae apprehensiones non sunt facta pure humana, sed etiam effectus Dei immanenter in homine agentis, non tamen ab

625. *Schol.* Non repugnat id, quod iam ab alio est dictum, a Deo suo nomine iterum dici et ita, verbum divinum fieri. Consequenter non repugnat liber inspiratus, cuius res et sententiae omnes iam apud alios scriptores inveniuntur. Num talis sit liber secundus Machabaeorum, non constat inter doctos, cum sacer scriptor solum dicat se velle eadem facta, quae Iason quinque libris diffuse narraverat, uno brevi volumine complecti, quod non necessario est idem atque se velle solum ex Iasonis libris excerptum facere (2 Mach. 2, 23 sqq.; cf. text. graec.). Nihilominus, quia opus suum vocat ἐπιτομήν (v. 26 graece), et quia dicit se velle in oppositione ad opus diffusum illius historiographi ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς (v. 29), obvius sensus verborum est eum fecisse excerptum ex opere Iasonis (De Inspir. n. 421).

## ART. II.

## DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS.

**Prop. LX.** Inspiratio extenditur ad omnes omnino res et sententias, quae ab auctore sacro scriptae sunt; sed vi inspirationis non omnia eodem modo vera sunt.

626. Postquam iam saeculo XVII *Holden* dixit in S. Scriptura partes non doctrinales scriptas esse sine speciali assistentia Spiritus Sancti ideoque, quamvis verae essent, tamen fide divina credi non posse, hoc nostro saeculo nonnulli inter catholicos quoque scriptores censuerunt in quibusdam sententiis S. Scripturae, utpote non inspiratis, errores doceri posse. Ita cardinalis *Newman* ab inspiratione et infallibilitate excludit ea, quae vocat „obiter dicta“, ut Nabuchodonosorem regem Ninives fuisse (Iudith 1, 7), Paulum penulam Troade reliquisse (2 Tim. 4, 13) etc. *Lenormant* vero integras narrationes historicas non inspiratas habuit et inter mythos retulit (De Inspir. n. 315 sqq. 332 sqq.).

Iam si hi et quidam alii scriptores id solum voluissent, in nostris codicibus sacris res quidem ad fidem et mores pertinentes sine ulla erroris admixtione servatas esse, in alias vero partes per accidens in-

errore in scribendo servantis. Secundum hunc concipiendi modum illa scripta tum quoad res tum quoad verba inspirata dici debent. „Quod cum affirmant (inquit *Pius X* in Encycl. „Pascendi“), magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut exempli causa cum tacitas sic dictas citationes invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticis praecceptis iudicamus, humanum scilicet opus ab hominibus pro hominibus exaratum . . . qui demum inspiratio coartari possit? Generalem utique *modernistae* sacrorum librorum inspirationem asseverant, catholico tamen sensu nullam admittunt“ (Denz. n. 2090). Decreto „Lamentabili“ hae propositiones damnatae sunt; 10: „Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo consistit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.“ 11: „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat“ (Denz. n. 2010 sq.). Cf. *Carbone*, De *modernistarum* doctrinis 145 sqq.

spiratas potuisse decursu temporum irrepere errores (salva manente substantia narrationis), nihil dixissent, quod verum non est. Sed quod dixerunt ab ipsis hagiographis errores *conscriptos* esse, plane tolerari nequit. Longe enim aliud est Deum speciali providentia non conservare integra ea, quae ad fidem et mores non pertinent, et aliud Deum permittere, ut errores consignentur libris, quorum ipse est auctor.

627. Nam secundum Scripturam et traditionem *Deus auctor est S. Scripturae secundum omnes partes eius*. Iam Christus et apostoli ut testimonia inspirata et infallibilia afferunt promiscue dicta Scripturae ex partibus et dogmaticis et moralibus et historicis. Omnis enim Scriptura, quia divinitus inspirata, est utilis ad docendum (2 Tim. 3, 16). Similiter SS. Patres absolute nolunt concedere quicquam falsi in Scripturis inveniri. *S. Augustinus*: „Solis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam“ (Ep. 82, c. 1, n. 3; *M* 33, 277). Ideo „si aliquid in iis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam“ (ib.). *S. Gregorius Naz.* loquens de factis historicis in Scriptura narratis ait: „Non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus temere esse positas“ (Orat. 2 de fuga sua c. 105; *M* 35, 503). *S. Basilius* (Hom. 6 in Hexaem.; *M* 29, 143) docet intolerabilem et gravem blasphemiam esse vel unum verbum otiosum in sacris libris admittere. Idem docent *S. Io. Chrysostomus*, Hom. 21 in Gen. (*M* 53, 175), *S. Hieronymus*, In Eph. c. 3 (*M* 29, 780), aliique passim. Itaque quia de hac re tam unanimis et constans est doctrina Patrum, mirum non est, quod inter catholicos theologos praeteritorum saeculorum nullus omnino est, qui non fateatur omnes et singulas sententias S. Scripturae esse inspiratas et infallibiliter veras (cf. *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit I, ed. 2, n. 34 sqq.). De Inspir. n. 432 sqq. *E. Dorsch*, Variarum dissertationes in Zeitschrift für kath. Theologie 1905 1906 1911.

628. *Adversariorum opinione admissa universae Scripturae auctoritas in dubium vocatur*, quia saepe valde difficile est discernere, utrum aliqua doctrina cum fide et moribus cohaereat necne. *Chrismann* exemplum rei cum fide non conexae affert, quod Iesus Christus crucifixus est sub Pontio Pilato (Regula fid. cath. § 51, n. 5); et tamen in symbolo apostolico ipsa haec temporis determinatio omnibus profitenda proponitur. Ad hanc rem applicare possumus, quae *S. Augustinus* dixit de officioso mendacio, quod nonnulli in quibusdam Scripturae textibus invenisse sibi videbantur: „Admisso enim in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis

vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur“ (Ep. 28 ad Hieronym. n. 3; *M* 33, 112).

Ideo summus pontifex *Leo III* in encycl. „Providentissimus Deus“: „Nefas (inquit) omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum S. Scripturae partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quatenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides ecclesiae, sollemni etiam sententia in conciliis definita florentino, et tridentino, confirmata denique atque expressius declarata in concilio vaticano. . . . Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem“ (ed. *Herder* 59 sq.; *Denz.* n. 1950 sqq.). De Inspir. n. 480 sqq.

Doctrinam Leonis XIII rursus confirmavit et a falsis quibusdam interpretationibus vindicavit *Benedictus XV* in encycl. „Spiritus Paraclitus“ (15 sept. 1920), qui in specie haec notat.

Imprimis errant ii, „qui inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque imprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primum seu religiosum contrahunt et coangustant“, ea vero, quae ad profanas disciplinas pertineant, censent „scriptoris imbecillitati relinqui“; unde nihil mirum, si in Scriptura errores de rebus physicis et historicis occurrant. „Haec opinionum commenta“ contendunt non repugnare Leonis XIII praescriptionibus. „Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis pontificis verbis manifesto aparet.“

„Neque minus ab ecclesiae doctrina . . . ii dissentiant, qui partes Scripturarum historicas non factorum absoluta inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo relativa.“ Hanc *veritatem relativam* explicant dicentes res referri, prout secundum vulgi opinionem, non prout reapse factae sint; idque voluerunt deducere ex verbis Leonis XIII. Hanc sententiam vocat *Benedictus XV* „rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris.“

Tandem inter „obtrectatores“ Sacrae Scripturae numerandi sunt, qui „sensu et iudicio ecclesiae posthabito nimis facile ad citationes, quas vocant, *implicitas* vel ad *narrationes specietenus historicas* confugiunt, aut *genera quaedam litterarum* in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas.“ (Acta Apost. Sed. 1920, 385 sqq.; apud *Denz. Enchir.* 14 n. 2186 sqq.).

Sed haec paulo magis explicare iuvat.

**629.** Quamvis omnes sententiae S. Scripturae sint inspiratae et infallibiliter verae, tamen bene notandum est *quibusdam sententiis inspiratis non absolutam sed relativam veritatem convenire*. Spiritus enim Sanctus loquebatur et scribebat pro hominibus ideoque eo modo, ut ab iis intellegi posset. Quare hominum usui se accommodavit et in rebus, de quibus secundum sensuum apparentiam loqui solent, eodem quo homines loquendi modo usus est. Itaque etiam Spiritus Sanctus loquitur de motu, de ortu et occasu solis, de luna ut sidere maiore prae stellis, similiter de aliis rebus, non ut hac ratione nos erudiat de obiectiva harum rerum natura, sed ut significet ea, quae his locutionibus auditis homines mente concipere solent. Si quis igitur ex hoc accommodato loquendi modo sibi licere putaret iudicare de interna rerum natura, sibi ipsi adscribere deberet, si in errorem inducitur, non minus quam si homines, etiam doctos, ita loquentes male intellegeret, vel si opticam apparentiam magnitudinis, motus etc. cum reali magnitudine et motu confunderet. „Nam Spiritus Sanctus revelatione singulari de his rebus scriptorem non docuit, sed permisit usitate loqui, ut homines solent, qui sane a communi loquendi ratione non recedunt, neque tamen mentiuntur, quidquid de lunae magnitudine et solis et terrae constitutione et motu sentiant“ (*Marchini*, De divinit. et canonicit. S. Bibl. Proleg. pars 1, a. 5; *Migne*, *Curs. Script. Sacrae* III 100). De Inspir. n. 490 sqq. 502 sqq.

Sed hic imprimis cavendum est ab eo conceptu „relativae veritatis“, quem *modernistae* statuerunt, qui docent veritatem in sacris libris existentem convenire solummodo ei rerum statui, in quo libri exarati sint, librum autem absolute et in omne futurum tempus verum esse impossibilem. Itaque secundum eos Scriptura manifestat nobis mentem hominum illius aetatis, qua libri sacri orti sunt, sed constanter nova expositione indiget, ut accommodetur conceptibus singulorum temporum. Videlicet verba Scripturae non minus sunt symbola imperfecta rerum divinarum quam omnes aliae formulae religiosae, nullo modo confundenda cum unica veritate absoluta, quae est Deus (cf. *Denz.* n. 2078 sqq.; De Inspir. n. 362 sqq.). Quae sine dubio admitti non possunt; nam quamvis Scriptura non sit Deus et consequenter neque omnem veritatem contineat neque vera modo divino contineat, in iis tamen, quae

a sacris scriptoribus ut vera affirmantur, est vere verbum Dei, ideoque neque ut verum affirmare potest, quod falsum est, neque ut falsum, quod verum est. Hoc sensu Scriptura est absolute vera (De Inspir. n. 516). Ceterum ex natura rei alia est veritas parabolae, alia veritas historiae; alia veritas carminis, alia veritas scripti didactici; et sic singula „genera litteraria“ suam propriam veritatem habent; sunt tamen omnia vera eo sensu, quo sacer scriptor vera esse affirmat; neque umquam accidere potest, ut eius affirmationes successu temporis falsae evadant (De Inspir. n. 492 sqq.).

Praeterea „veritas relativa“ in rebus historicis multas habet cautiones. Ne sacra quidem historia eo sensu absolute vera est, quasi omnia vera referat, vel ipsis hagiographis nota (cf. Io. 21, 25), neque quasi omnia accuratissime describat, cum saepe locutiones sint indeterminatae, et eadem res variis locis alio et alio modo narretur. Ex altera parte narrationes historicae multo minus admittunt locutiones secundum apparentiam quam usitatus loquendi modus de phaenomenis physicis. Nam a) hic loquendi modus non adhibetur ad homines docendos internam naturam rerum; historica narratio fit ad docendos homines res gestas. b) Phaenomena physica per se non pertinent ad ordinem salutis, neque falsae circa ea opiniones sunt impedimenta salutis; contra vero multa facta historica per se intime cum salute supernaturali cohaerent, ut e. g. dicta et facta Christi. c) Deus de phaenomenis physicis non tradidit scientiam naturalem; sed multa facta historica revelata sunt et in symbolis credenda proponuntur. Itaque si constat sacrum scriptorem velle res historice narrare, non licet admittere reapse res non accidisse, ut narrantur, sed esse mythos vel legendas, quibus nulla veritas historica respondeat (De Inspir. n. 512 sqq. 521 sqq. 525 sqq.). Pluries iam auctoritas ecclesiastica eiusmodi errorem damnavit (cf. *Denz.* n. 1707 1980 2014 2016 sqq.), opus *Lenormant* (Les origines de l'histoire) et alia opera, in quibus veteres libros historicos Scripturae continere mythos docetur, in Indice posuit (cf. De Inspir. n. 338—345), aliis vero theologis, qui simile quid docebant, silentium indixit. Ergo secundum sensum ecclesiae non licet fidem historiae sive Veteris sive Novi Testamenti in dubium vocare.

**630.** Sed *distinguendum est, utrum Spiritus Sanctus ipse loquatur an alios loquentes faciat*. Neque enim eo ipso, quod Spiritus Sanctus testatur certa verba dicta esse ab hoc vel illo homine, etiam testatur haec verba vera esse, cum vel aperta mendacia narrentur in Scriptura. Itaque attendendum est, quis et qualis sit, qui loquens inducitur. „In evangelio, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a iudaeis falsa et impia dicta esse verax evangelii Scriptura testatur“ (*S. Augustinus*, Ad Oros. contra Priscill. et Origen. c. 9, n. 12; *M* 42, 676).

Constat igitur in Scriptura legi „citationes“, i. e. dicta hominum etiam non inspiratorum. Unde distinguendum est inter „veritatem citationis“ et „veritatem rei citatae“. Illa semper adest, haec non semper. Interdum quaedam simpliciter referuntur, ut epistolae (Esdr. c. 4 et 5); interdum aliorum dicta approbantur ut vera (e. g. Tit. 1, 12 sq.); interdum reprobantur ut falsa (e. g. Ier. 28, 15 sq.). Interdum citationes sunt manifestae, interdum tacitae seu „implicitae“ (e. g. Iud. 1, 14).

Quibusdam placuit ad has citationes implicitas recurrere in plurimis difficultatibus librorum historicorum Veteris Testamenti (De Inspir. n. 359 sqq.). Attamen exaggeratio in hac re cavenda est. Certe libri historici Veteris Testamenti non sunt congeries citationum, quas sacri scriptores collegerunt nullo facto iudicio de earum veritate aut falsitate. Hi enim libri exhibent historiam oeconomiae supernaturalis, quae non a Patribus tantum, sed etiam ab ipso Christo Domino et ab apostolis ut vera historia habetur et ad docendum abhibetur. Unde citationes implicitae non pro arbitrio supponendae sed singulis locis rationibus probandae sunt (De Inspir. n. 359 sqq. 519 sq. 532 sq.). De hac re „Commissio biblica“ interrogata: „Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis Sacrae Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?“ — respondit: „Negative, excepto casu, in quo salvo sensu ac iudicio ecclesiae solidis argumentis probetur: 1. hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui“ (Denz. n. 1979).

**631.** *Si in Scriptura persona quidem creata loquitur, sed a Deo missa, ut Dei nomine fungatur munere legati ad homines, verba non sunt minus infallibilia, quam si Deus ipse ea dixisset.* Tales personae sunt angeli boni, prophetae, apostoli (post diem pentecostes). Quod ad angelos attinet, numquam censentur suo nomine venire et loqui ad homines sed nomine Dei tantum (cf. Dan. 9; Hebr. 1, 14; Apoc. passim). Itaque, quae dicunt, non solum vera sunt, sed etiam fide divina credi possunt. Apostoli, quando dogmata fidei praedicant, sunt infallibiles, non vero quando de aliis rebus loquuntur; unde in his falli possunt. Similiter prophetae non semper ut prophetae loquuntur; ubi autem suo nomine loquuntur, non sunt immunes ab errore (e. g. 2 Rg. 7, 2 sqq.). E contra vero accidere potest, ut homines, qui non sunt prophetae neque apostoli, in certa occasione ex instinctu Spiritus Sancti locuti sint, ut patriarchae, Tobias, Simeon (Luc. 2, 34), alii non pauci. Itaque cum vel S. Scriptura diserte docet vel aliunde constat hominem locutum esse ex instinctu divino, patet eius verba esse infallibilia. Praeterea

cum S. Scriptura verba ab homine dicta approbat aut improbat, eo ipso habemus testimonium Spiritus Sancti de veritate aut falsitate talium verborum. Ita Deus approbavit verba Iob (38, 1 sqq.; 38, 33 sqq.; 42, 3 sqq.) et Christus verba Petri (Matth. 16, 16 sqq.); exempla improbationis in eodem libro Iob occurrunt (42, 7 sq.). Approbatio vero personarum in genere non est approbatio omnium, quae a personis dicuntur vel fiunt (cf. Ex. 1, 15 sqq.; Iudith 10, 12 sqq.). De Inspir. n. 436 sqq.

**632.** *Ipsi quoque scriptores sacri interdum sua sensa manifestant, orando ad Deum, dubia proferendo, salutationes ad amicos mittendo etc.* Quia nihilominus Deus haec scribenda inspiravit, talia dicta vere sunt verbum Dei, sed diversimode. Interdum hagiographi narrant ea, quae antea a se dicta vel facta sunt (Ex. 2, 13 sqq. Ion. 4, 3 4. Io. 13, 25). His igitur locis Spiritus Sanctus nihil aliud directe testatur nisi illas res olim dictas vel factas esse. Quid de veritate et bonitate sit sentiendum, eo modo diiudicari debet, quo iam dictum est. Cum e. g. apostolus scribit: „Ceteris ego dico, non Dominus“ (1 Cor. 7, 12), infallibiliter certum est ibi agi non de praecepto divino sed de praecepto apostolico. Quamvis enim Deus Paulum inspiraverit, ut omnia scriberet, quaecumque scripsit, tamen ex altera parte eum movit, ut alia scriberet ut praecepta divina, alia ut praecepta humana. Hoc alterum infert distinctionem in varias materias scriptionis; prius illud refertur ad formalem rationem inspirationis. Ergo nullum praeceptum ideo praecise est divinum, quia in S. Scriptura invenitur.

**633.** Porro quia Deus saepe movit scriptorem, ut scriberet, quae ipse scriptor sciret, facile intellegitur, *quomodo possint in S. Scriptura occurrere assertiones indeterminatae vel dubitativae* (Io. 2, 6; 6. 19. Act. 25, 6. 1 Cor. 1, 16 etc.). Ex his testimoniis duo concludi possunt, unum: rem veram esse, prout narratur; alterum: scriptorem sacrum fortasse exactiorem notitiam rei non habuisse neque accepisse de hac re a Deo revelationem, sed solum inspiratum esse ad ea scribenda, quae sciebat (De Inspir. n. 445 sqq.).

**634.** *Saepe sacer scriptor gaudium, tristitiam vel alios animi sui affectus manifestat* (cf. initia et conclusiones epistularum S. Pauli). Ex Scriptura igitur proxime certum est sacrum scriptorem vere habuisse hos affectus, quia Deus non potuit eum inspirare ad mentiendum. Indirecte sequitur hos affectus esse honestos et ad utilitatem legentium scriptos, quia secus non esset finis rationabilis eorum scriptionem inspirandi. „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia“ (2 Tim. 3, 16).

Haec pauca indicasse sufficiat de extensione inspirationis ad res omnes et sententias, quae in S. Scriptura habentur (cf. Schmid, De

insp. 117 sqq.; *S. Schiffini*, *Divinitas Scripturarum*, Augustae Taurinorum 1905, 90 sqq.; *Franc. Egger*, *Absolute oder relative Wahrheit der Heiligen Schrift*, Brixen 1909).

**Prop. LXI.** *Inspiratio omnium verborum materialium et constructionum S. Scripturae admittenda non est.*

635. Fuerunt olim satis multi, qui censerent non solas res et sententias sed etiam singula vocabula Scripturae et totam orationis formam a Deo inspirata esse. Haec quidem sententia maxime inter vetustiores *protestantes* vigeat (cf. *De Inspir.* n. 219 228 sqq.; *Denzinger*, *Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis* II 239 sqq.), sed eius defensores etiam fuerunt nonnulli optimi *theologi catholici*, ut e. g. *Bañes* (*In* 1, q. 1, a. 3, dub. 3). Nihilominus „propositio, quae negat inspirationem singulorum verborum S. Scripturae, a pluribus theologis recepta est, quorum numerus magis magisque in dies crevit, ita ut nunc ab omnibus fere defendatur, relicta rigidior illa sententia inspirationis verbalis“ (*Ualdi*, *Introduct. in S. Script.* II 23; cf. *De Inspir.* n. 278 280 281 287).

Si quis censet nonnulla vocabula vel phrases et constructiones Scripturae inspirata esse ob specialem aliquam rationem, e. g. vocabulum λόγος, formulam baptismi etc., hanc sententiam non oppugnamus, sed negamus Deum omnia et singula vocabula totius Scripturae inspirasse.

Verba, de quibus hic loquimur, sunt *verba materialia*. Nam ipsa quoque iudicia et sententiae sunt scriptoris verba, sed haec vocantur verba formalia, quibus exprimendis verba materialia ut signa externa serviunt. Externa signa, priusquam chartae commendantur, sunt in imaginatione scriptoris. Unde quaestio est, num Deus influxu supernaturali singulas imagines determinatorum vocabulorum et constructionum in scriptore producat. Illi, qui praecedentibus saeculis defendebant inspirationem verborum materialium, hoc sensu rem intellegebant, quasi Deus eligeret singula verba et scriptori sacro ita imprimeret et eum ita ad haec scribenda moveret, ut scriptor non esset sub hoc respectu plus quam calamus, quo Spiritus Sanctus uteretur. Hanc igitur „mechanicam“ verborum inspirationem requiri vel in plerisque Scripturae dictis locum habuisse negamus. Nostra quidem aetate vix sunt, qui veterem illam opinionem defendant; nihilominus ad explicandam essentiam inspirationis haec res breviter consideranda est.

Concedimus assistentiam divinam ad ipsa quoque verba eatenus extendi debere, quatenus Deus cavere debet, ne verba inepta eligantur, quia verbis ineptis sensus ipse corrumpitur. Sed potuit Deus scriptori electionem verborum relinquere, quamdiu videbat eum eligere apta verba; et solum si scriptor ipse apta verba non elegisset, positivus influxus Dei necessarius erat, ut scriptor apta verba conciperet et scriberet. Ergo interdum hoc factum esse non negamus, sed sola universalis inspiratio verborum ut superflua et improbabilis reicitur.

636. *Inspiratio verbalis non requiritur*, ut Deus sit sensu vero auctor libri sacri, quia in omni libro et maxime in S. Scriptura res et sententiae sunt pars essentialis, modus vero dicendi, in quantum ipsas sententias non mutat, accidentaliter se habet. Eaedem enim res alio et alio modo exprimi possunt, quia multi sunt termini idonei ad easdem ideas exprimendas. Ideo quilibet scriptor non minus se agnoscat auctorem libri sui in aliam linguam fideliter translatis quam originaliter a se conscripti. Ergo etiam aliquis merito auctor libri vocandus est, etiamsi non in individuo omnia verba et phrases per se suppeditet, dummodo curet, ut res singulae, quas vult scribi, convenienti modo scribantur. Unde ad inspirationem Scripturae ratione externae formae non plus requiritur, quam ut Deus assistentia sua provideat, ut scriptor ea omnia et sola scribat, quae secundum voluntatem Dei scribenda sunt, et ut haec apto et sincero modo scribantur. „Ex hoc autem ipso praesumi debet, ubi non demonstratur oppositum, revera ita factum esse et Deum, qui disponit omnia suaviter, permisisse, ut homines, divinis sensibus iam collustrati et ad ea scribenda supernaturaliter moti, secundum diversam singulorum indolem et eruditionem ipsi sub divina assistentia reperirent et seligerent idearum inspiratarum signa. Ceterum suppetunt argumenta etiam positiva, ex quibus deducitur saltem plerumque auctores inspiratos in verbis seligendis et in modo scribendi grammatico ac rhetorico divina assistentia tantum munitos et adiutos, non autem divinitus accepta dictatione ad unum determinatos fuisse“ (*Franzelin*, *De Trad. et Script.*, ed. 3, 352).

637. Verba et constructiones non fuisse inspirata apparet *ex modo dicendi valde diverso apud singulos hagiographos*, prout hi erant diversae culturae et indolis. „De Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admixtum.“ „Jeremias sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior sed sensibus par, quippe qui eodem Spiritu propheta-verit. Porro simplicitas eloquii a loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus.“ Ita *S. Hieronymus* (*Praef. in Is.*; *M* 28, 771; et in *Ier.*; *M* 28, 847), qui in Sancti quoque Pauli scriptis notat soloecismos, quos ob linguae graecae imperitiam vitare non potuerit. Ideo monet: „Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias“ (*Ep.* 57 ad Pammach. n. 6, cf. n. 10; *M* 22, 572 576). „Beatus est, qui seminat in eloquiis Scripturarum tam Veteris quam Novi Instrumenti et calcit aquas occidentis litterae, ut metat fructus Spiritus vivificantis“ (*In Is.* 1, 3; *M* 24, 27). Certe valde inconveniens videtur peccata contra grammaticam et inconcinnitatem vel obscuritatem sermonis in Spiritum Sanctum velle refundere, id quod in opinione verbalis inspirationis fieri oportet. Dicunt quidem Spiritum Sanctum in hac re se singulorum indoli ac-

commodasse; at hoc est prorsus improbabile, quia Deus nihil agit frustra; potuit autem Deus eundem effectum sine influxu tam speciali obtinere, singulos scriptores suae indoli relinquendo (De Inspir. n. 456 sqq.).

638. Ipsi *sacri scriptores modum loquendi sibi tribuunt* et eius defectus excusant. Ita scriptor secundi libri Machabaeorum dicit, si tenuiter et mediocriter scripserit, se fecisse, quantum potuerit, et se ex industria stilum variasse, ne lectorem taedio afficiat (2 Mach. 15, 39 40). S. Paulus se vocat „imperitum sermone“ (2 Cor. 11, 6), quod non minus valet de eius scriptis quam dictis.

639. Itaque facile intellegitur, cur *evangelistae eosdem sermones Christi aliter et aliter referant*, quod attinet ad verba, sensu tantum servato. Hoc vel uno exemplo quadruplicis narrationis apparet, quae de eucharistiae institutione in S. Scriptura exstat. „Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est. . . . Ut, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intellegeremus non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus“ (S. August., De cons. evang. l. 2, n. 27 sq.; M 34, 1089; cf. 1111 1139).

640. Sunt quidem *nonnulli inter SS. Patres*, qui cum emphasi docent nullum apicem, nullam litteram esse in Scriptura nisi ex intentione Spiritus Sancti positam. Sed cum iidem doctores diversitatem locutionis et similia ex diversa indole scriptorum explicent, manifestum est eos solummodo rhetorice exaggerare dignitatem omnium sententiarum S. Scripturae, utpote a Spiritu Sancto inspiratarum. „Ne syllaba quidem“, inquit S. Ioann. Chrysost., „praetereunda, nam omnia sunt a Spiritu Sancto“ (Hom. 15 in Gen.; M 53, 119). Nihilominus in Hom. 1 in Matth. (M 57, 16 sqq.) diversitatem narrationum in quattuor evangelii inde explicat, quod evangelistae non ex conventionem scripserint, sed pro sua quisque indole. (Cf. Homil. in illud „Non est in homine“ n. 2 et 3; M 56, 156 158.) De Inspir. n. 462 sqq.

641. Similiter *nonnulli inter scholasticos* specietenus tantum statuunt inspirationem verbalem, sed rem ita explicant, ut a nostra sententia non recedant. Ita Suarez: „Est Scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta dictantis non tantum sensum sed etiam verba.“ Nihilominus ait: „Quando auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est et subiacet sensibus, satis videtur, quod Spiritus illi specialiter assistat et custodiat ab omni errore et falsitate et ab omnibus verbis, quae non expediunt vel decent talem Scripturam, avertendo scilicet

speciali providentia omnia obiecta, quae conceptus talium verborum [ineptorum] excitare possunt, et in reliquis permittendo, ut scriptor sua memoria et suis speciebus et sua diligentia utatur in scribendo“ (De fide disp. 5, sect. 3, n. 4 5; cf. disp. 2, sect. 5, n. 4).

642. Ex dictis facile apparet, quomodo ecclesia nonnullis *versionibus* tantam auctoritatem tribuere potuerit, ut eas pro canonica Scriptura habendas esse decerneret; id quod maxime valet de Vulgata. Certe nisi quis gratis velit asserere etiam has versiones esse inspiratas, debet concedere materialia verba inspirata in iis non haberi. Ergo ecclesia, quae eas nihilominus pro Scriptura inspirata habet, censet inspirationem non pertinere ad singula vocabula sed ad res et sententias, et res et sententias inspiratas fideliter redditas esse in illis versionibus (cf. Wirceburg. I, n. 22 sqq.). Scriptura per versionem accidentaliter tantum mutata est, manet autem essentialiter Scriptura. Scriptura autem praecise ut Scriptura Spiritui Sancto adscribitur; ergo non secundum accidentia verborum et stili (De Inspir. n. 460 sq.).

Plane *diversam inspirationem verbalem* docuerunt nostra aetate quidam, qui negant a Deo dictata esse singula vocabula, sed dicunt Deum inspirando elevare et movere omnes facultates hominis inspirati, et hominem sic elevatum et motum scribere sententias et verba; hoc sensu etiam verba ipsa esse inspirata. Et quia homo etiam inspiratus manet imperfectus, similiter liber inspiratus perfectiones et imperfectiones hominis inspirati manifestat. Quidam hunc modum inspirationis excogitaverunt ad laxandum conceptum inspirationis. Concludebant enim: si inspiratio non impedit defectus litterarios, consequenter neque excludit defectus quoad ipsas res, et humanae infirmitates non minus in rebus quam in verbis Scripturae agnoscendae sunt (De Inspir. n. 454). Ergo haec theoria toto caelo distat a doctrina quorundam theologorum saeculi XVI de inspiratione verbali, qui volebant conceptum inspirationis artare statuendo inspirationem verbalem. Sine dubio homo motus ad scribendas certas res, eo ipso aliquo modo movetur ad eligenda certa verba, quatenus ex usu humano certae res certis verbis exprimuntur. At hoc non obstante eadem res saepe variis modis exprimi potest ita, ut substantia sententiarum non mutetur. Quod si accidit, nulla est ratio dicendi Deum determinasse supernaturaliter scriptorem ad certa verba exclusis omnibus aliis. Hoc satis patet ex argumentis iam allatis. Nihilominus ad Dei voluntatem referendum est, ut scripti sint libri poetici, historici, didactici. Neque tamen censendus est Deus inspiratione infudisse poeticam, historicam aliamve artem, sed potius elegit ad varia haec opera conficienda homines natura et indole aptos ad certa genera litteraria, eosque ita movit iisque ita astitit, ut libri, quales volebat, scriberentur. Unde non necessario concluditur singula verba, versus bonos vel minus bonos, dictionem perfectam aut imperfectam iis esse a Deo determi-

nata et suppeditata (De Inspir. n. 468 sqq.). Itaque nova haec „inspiratio verbalis“ non multo plus est quam vocabulum vel modus loquendi.

## ART. III.

## DE CRITERIO INSPIRATIONIS.

**Prop. LXII.** Traditio catholica est unicum criterium sufficiens inspirationis omnium sacrorum librorum.

643. Ex iis, quae supra dicta sunt, efficitur posse quidem inspirationem multorum sacrorum librorum ex S. Scriptura ipsa probari. At imprimis hoc *argumentum scripturisticum ne ad omnes quidem libros Veteris Testamenti directe applicari potest*, cum non ex omnibus illis libris dicta allegentur in Novo Testamento ideoque ex sola Scriptura determinari non possit, qui sint libri nomine τῆς γραφῆς significati. Immo etiamsi alia adiumenta historica, ut testimonium Flavii Iosephi, in auxilium vocamus, non possumus cum absoluta certitudine iudicare, qui libri in canone iudaeorum fuerint, cum saltem dubium maneat de quibusdam libris, quos vocant deuterocanonicos. Multo etiam magis indeterminatum est testimonium Scripturae de libris Novi Testamenti. Ergo sola S. Scriptura non est sufficiens criterium ad dignoscendos libros inspiratos (De Inspir. n. 598 sqq.).

644. Quid igitur restat nisi testimonium traditionis et quidem traditionis divinae, quae testatur id, quod a Deo revelatum est? Nam *inspiratio est factum supernaturale*, quod alia via innotescere nequit nisi per divinam revelationem. Ipse homo inspiratus per se non potest esse testis sufficiens huius rei, tum quia non necessario conscius est inspirationis, tum quia eiusmodi factum internum et supernaturale non est proprium obiectum testimonii humani propter nimiam facilitatem illusionis in testante et nimiam difficultatem, qua laborant audientes, cognoscendi absentiam illusionis in testante, tum quia agitur de re, quae fide divina credenda est. Haec igitur cum ipsi *protestantes* intellexissent neque tamen vellent admittere traditionem sacram praeter Scripturam, *studuerunt alia criteria invenire*, quibus liber ut inspiratus dignosci posset. Itaque dixerunt Scripturam esse divinam propter facta supernaturalia, quae in ea narrarentur, propter sanctitatem, sublimitatem, consensionem doctrinae in ea contentae, propter singularem gustum et alios miros effectus, quos animi legentium ex ea haurirent, propter ipsam dictionem, quae cum magna simplicitate singularem sublimitatem coniungeret (De Inspir. n. 584 sqq.).

645. At hae rationes, quamvis adhiberi possint ad confirmandam inspirationem aliunde iam probatam, *non sunt criteria apta ad dignoscendos libros inspiratos*. Cur enim scripta e. g. Patrum apostolicorum non inspirata dicunt, cum haec criteria in iis magis inveniantur quam

in quibusdam libris S. Scripturae? Sed consideranti facile patet haec criteria neque singula neque omnia simul esse argumentum certum inspirationis, cum ad summum probent librum aliquem continere veritates revelatas. Revelatione enim supposita sanctitas, sublimitas, simplicitas doctrinae etc. facile intelleguntur. At liber non est inspiratus eo ipso, quod doctrinam revelatam docet vel facta supernaturalia narrat. Ex altera vero parte difficile foret illas notas simul sumptas ostendere in omnibus libris historicis Veteris Testamenti et in omnibus epistulis apostolorum. Praeterea quomodo liber ideo inspiratus est, quod facta miraculosa et prophetias narrat? Nonne haec possunt esse fictiones et mendacia? Aut, si vera sunt, nonne sine inspiratione innotescere possunt? Ergo illi characteres non sufficiunt ad stabilendum factum inspirationis (De Inspir. n. 591 sqq.).

646. Quare *alii protestantes* dicunt de scriptis Veteris Testamenti ut inspiratis constare ex Novo Testamento; Novum vero Testamentum ideo censendum esse inspiratum, *quod libri eius scripti sint ab apostolis*, apostolos autem fuisse inspiratos, cum habuerint et mandatum Christi, ut praedicarent evangelium, et Spiritum Sanctum, qui iis in hac praedicatione assisteret.

Sed apparet *hoc argumento rem non effici*; nam duo evangelia et Actus apostolorum scripta non sunt ab apostolis, et tamen ab ipsis quoque protestantibus recensentur inter libros inspiratos. Dein vero munus apostolicum nequaquam necessario secum fert inspirationem ad scribendum. Multi enim apostoli fuerunt, qui nihil scripserunt; ergo non habuerunt mandatum divinum scribendi. Porro apostoli eo, quod erant apostoli, non desinebant esse homines, qui poterant suo nomine et loqui et scribere. Quid eos impediabat, ne de privatis suis negotiis suo nomine litteras conscriberent? Si vero loquebantur de rebus fidei et morum, vi promissionis Christi erant quidem infallibiles in his rebus proponendis sive verbo sive scripto; sed infallibilitas nondum est inspiratio. Inspiratio est charisma transiens et extraordinarium, etiam in comparatione cum munere apostolico; ergo hoc speciale charisma alicuius apostoli speciali argumento probandum est. Patet igitur, quam falsum sit hoc criterium desumptum ex munere apostolico; potuit enim aliquis esse apostolus, qui non esset inspiratus ad scribendum; et potuit esse aliquis inspiratus ad scribendum, qui non esset apostolus (De Inspir. n. 621 sqq.).

647. Quamvis haec ita sint, *non desunt tamen catholici quoque theologo*, qui *hoc argumento ex munere apostolatus utuntur*, non quidem sensu exclusivo sed positivo. Ita e. g. *Ualdi*, qui concedit formaliter inspirationem ad scribendum non includi in conceptu muneris apostolici, sed vult in concreto haec duo non posse separari: „Apostoli enim, si Scripturae testimonia consideremus, charisma inspirationis



non utcumque aut ad hoc vel illud determinatum aut hoc vel illo tempore definitum possidebant, sed iuge, continuum ac perenne, quod sese ad universum apostolici muneris exercitium porrigebat. Nam Spiritu Sancto pleni erant. Deus in illis ac per illos loquebatur, Spiritus Sanctus in illis manebat docens ac suggerens omnem veritatem. Quo semel admissio quis sibi persuadere poterit huiusmodi Spiritus Sancti inspirationem ad solam oralem praedicationem coartandam esse et ab ea excipiendam esse librorum scriptionem, quae non minus ad officium doctorum universalium pertinebat, et ad quam divina inspiratio speciali modo postulari videbatur? Verum ut id clarius fiat, animadvertimus illam inspirationem ad scribendum, quam urgent laudati auctores, intellegi posse vel de inspiratione antecedente, qua scilicet quis movetur et impellitur ad scriptionem suscipiendam, vel de inspiratione concomitante, qua quis in hypothesi, quod scribere velit, in ipso scribendi actu cooperantem et inspirantem habeat Spiritum Sanctum. Si altero hoc sensu accipiatur inspiratio ad scribendum, haec in generali illa apostolorum inspiratione necessario includitur, ut ex dictis apparet. Si vero strictissime accipiatur in primo sensu, possemus imprimis quaestionem movere, an haec antecedens motio essentialis omnino sit ad sacrorum librorum inspirationem constituendam, ita ut e. g. epistula 2 et 3 Ioannis, quae totae familiares sunt, nihil novi continent et ad privatas personas sunt directae, inspiratae non essent, nisi Spiritus Sanctus Ioannem specialiter moverit ad eas scribendas. Quid, si diceremus Ioannem ex propria voluntate se determinasse ad illas scribendas, cum tamen Spiritu Sancto plenus esset et iugiter inspiratus, easdem epistulas eo ipso sub divina inspiratione conscriptas fuisse? Nonne hoc satis esset, ut haec et alia scripta ad Deum tamquam auctorem referri possent? (Introductio in S. Scripturam II 79 sqq.) Dein addit etiam antecedentem impulsum adfuisse, quoties hoc fidelibus vel ecclesiae profuturum erat, et hoc quidem vi muneris apostolici. In nota vero illustrat hanc rem exemplo gratiae sanctificantis, quae secundum quosdam theologos sufficiat ad opus supernaturale sine gratia actuali praeveniente.

648. At hoc ipsum exemplum ostendit *hanc theoriam admitti non posse*. Sicut enim gratia habitualis ideo non sufficit ad bonum opus, quia habitus non est aptus ad transferendam potentiam in actum, ita praesentia habitualis Spiritus Sancti non est motio, qua apostoli sive ad loquendum sive ad scribendum inspirati sint. Ergo praeter hanc habitualement praesentiam requiritur actualis motio ex parte Dei. Haec autem motio debet esse antecedens, quia secus principalis causa Scripturae non est voluntas divina sed voluntas humana. Scriptura vero non voluntate humana allata est, ut ait S. Petrus. Quod adversarius supponit apostolos semper habuisse inspirationem ad loquendum, si inspirationem intellegit sensu stricto, gratis asseritur et gratis negatur.

Apostolis enim accepta semel revelatione sufficebat assistentia Spiritus Sancti munientis eos contra errores; sed nequaquam probari potest eos numquam locutos esse de rebus fidei et morum et multo minus de aliis rebus nisi ex speciali motione Spiritus Sancti, quae nomen inspirationis sensu stricto mereatur. Apostolus enim interrogatus e. g. de re fidei, quam optime norat, non indigebat tali speciali motione; ergo censendus non est eam accepisse. Infallibiles quidem erant apostoli tum in loquendo tum in scribendo de rebus fidei; at infallibilitas non est idem atque inspiratio. Non solum ut homines sed etiam ut infallibiles homines poterant sua voluntate loqui et scribere.

Id S. Augustinus docuit de prophetis; quod autem valet de prophetis, valet de apostolis: „Existimo etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque haec ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon“ (De civ. Dei 18, 38; M 41, 598).

Addit ibidem existisse revera scripta prophetarum, quae in canonem recepta non sint. Item multi Patres et scholastici symbolum apostolorum ab ipsis apostolis conscriptum esse censebant neque tamen umquam pro Scriptura inspirata habebant. Simile quid valet de epistula Barnabae; nam multi eam et Barnabae tribuebant et Barnabam in numero apostolorum habebant neque tamen epistolam Barnabae inter canonicos libros recensebant. Ergo adversariorum sententia prioribus saeculis non vigeat in ecclesia (De Inspir. n. 604 sqq.).

649. *Interdum quidem SS. Patres ita argumentantur: Liber aliquis scriptus est ab apostolis; ergo est canonicus.* Sed hoc tum tantum accidere videtur, cum canonicitas libri in dubium vocata erat eo, quod scriptus non esset ab apostolo. Supponebatur igitur a SS. Patribus traditio de inspiratione libri, et ad removendam dubitationem de hac traditione ostendebant librum esse apostolicae originis. „Praeterea utique semper viguit communis persuasio instar principii, quod nulli apostolorum libri exstant vel certe nulli traditi sunt ecclesiae nisi inspirati. Hoc autem erat testimonium non velut de rei essentia ex ipsa natura apostolatus, sed velut de facto historico ex traditione consensu ecclesiastico confirmata“ (Franzelin, De Trad. et Scriptura, ed. 3, 377 sq.). Cf. De Inspir. n. 614 sq.

650. Itaque *ecclesia ideo librum habet pro inspirato, quia ei ut inspiratus traditus est et quidem ab apostolis, a quibus ecclesia omnem suam traditionem accepit.* Haec est ratio, cur veteres evangelia Marci

et Lucae ad apostolorum auctoritatem retulerint; ex analogia vero simile quid censendum est de Actibus apostolorum (cf. supra n. 85; *Euseb.*, H. E. 2, 15; 6, 14; *M* 20, 171 551). Quia autem ecclesia inspirationem sacrorum librorum ut dogma fidei proponit, haec doctrina revelatione divina niti debet, quia ecclesia non habet dogmata nisi divinitus revelata et ab apostolis promulgata (De Inspir. n. 627 sqq.).

Probata igitur et explicata inspiratione sacrorum librorum inquirendum est in textuum primigeniorum recensiones, in versionum condicionem et auctoritatem, ut non solum abstractam quandam notionem S. Scripturae habeamus, sed ut sacris libris ad argumentationem theologiam uti possimus. Verum illae et aliae similes quaestiones relinquendae sunt introductioni in S. Scripturam (cf. *Cornely*, *Introd.* I, ed. 2, 249 sqq.). Interim nobis sufficiat in memoriam revocasse, quae *concilium tridentinum* statuit: „Sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quatenus pro authentica habenda sit innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat“ (*Denz.* n. 785). Ad quae verba notat *Leo XIII* in encyclica „Providentissimus Deus“: „Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen, si quid ambiguit, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae suasore Augustino proficiet“ (*Denz.* n. 1941).

## APPENDIX

### DE EVANGELIIS ET EORUM INTER SE RELATIONE.

Ex iis, quae „Commissio pontificia de re biblica“ statuit de evangeliiis, haec colliguntur (cf. *Denz.* 14 n. 2110 sqq. 2148—2171):

#### I. DE EVANGELIO MATTHAEI.

(Acta Apostolicae Sedis 1911, 294 sqq.)

651. 1. Matthaeus, Christi apostolus, revera evangelii sub eius nomine vulgati est auctor.

Supra n. 117 sqq.

2. Traditionis suffragio fulcitur sententia, quae tenet Matthaeum ceteros evangelistas in scribendo praecessisse et primum evangelium patrio sermone, a iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse.

Supra n. 81 83 117 118 119.

3. Redactio huius originalis textus differri non potest ultra tempus eversionis Hierusalem (a. 70). Irenaei testimonium 3, 1, 2, incertae interpretationis, non est tanti ponderis existimandum, ut cogat reicere eorum sententiam, qui censent redactionem ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam.

Verba Irenaei sunt haec: „Matthaeus in hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit (ἐβραϊστικῶν) evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent ecclesiam.“ Irenaeus ex Rom. 1, 1—15 scivit primam ecclesiam romanam non esse a Paulo fundatam; sed cum Petri mentionem faceret, more suo Pauli nomen addidit, non distinguens verbis, quid ad alterutrum referendum esset. Sensus igitur est: Matthaeus hebraice scripsit evangelium, Petrus autem et Paulus extra Palaestinam evangelium voce praedicabant, et Petrus ecclesiam romanam fundabat. Petrus probabiliter anno 42 primum Romam venit et iterum anno 56. Ergo si Irenaeus voluit indicare tempus scriptionis evangelii, intra hos annos Matthaeus scripsit evangelium. Alii tamen aliter verba explicant.

4. Sustineri non potest eorum opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte evangelium composuit, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi,



contradictio inter Matthaeum dicentem Christum surrexisse ὑπέ σαββάτων (Matth. 28, 1) et Marcum dicentem πρῶτῃ πρώτῃ σαββάτου (Marc. 16, 9), respondet: Duplex est solutio. Aut enim quis Marci „sectionem, in qua id narratur, delens, dicet eam non in cunctis haberi exemplaribus evangelii secundum Marcum. Accurati enim codices historiam secundum Marcum in sermone iuvenis concludunt mulieribus visi dicentisque ipsis: „Nolite timere, Iesum quaeritis Nazarenum“, et cetera, quae ibidem subicit: „quibus illae auditis fugerunt, et nemini quidquam dixerunt; timebant enim“. Hoc enim in loco in cunctis prope exemplaribus evangelium Marci concluditur. Sequentia autem, quae raro in aliquot, non in omnibus occurrunt, supervacanea videntur, praesertim si repugnent ceterorum evangelistarum testimonio. Haec fortasse dicet aliquis, detrectans atque perimens superfluum quaestionem.“ Aut alius quis, „nihil omnino audens delere eorum, quae in Scriptura evangeliorum feruntur“, dicet non esse contradictionem (Epitome ex quaestionum evangelicarum libro ad Marinum I; M 22, 938 sq.). Haec Eusebius saeculo IV, dubitanter loquens. Severus Antioch. saeculo VI ait: „Nos autem in accuratis exemplaribus plurimis partem hanc inveniunt secundum palaestinum Marci evangelium, prout veritas postulat, apposimus“ (ib. nota 25). Similiter alii testes, immo a saeculo V textus firmum locum tenet tam in codicibus graecis quam in versionibus et apud SS. Patres. Etiam Hieronymus eum retinuit in editione Vulgatae. Internae autem rationes non sunt magni momenti, nam etiam alia Marcus valde compendiose refert (e. g. 1, 12 sq.). Quod autem quaedam vocabula istius textus in evangelio non leguntur, non est mirum, quia certe brevissimum illud evangelium non exhaustit totam copiam verborum Marci, et ipse etiam aliis locis habet ἀπὸ λέγόμενα. Plura vide apud Knabenbauer, Comment. in Marcum<sup>2</sup> 446 sqq.

3. Neque dubitare licet de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (Luc. 1 et 2), aut de apparitione angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (Luc. 22, 43 sq.), neque solidis rationibus ostendi potest easdem narrationes ad genuinum Lucae evangelium non pertinere, quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet.

Critici in dubium revocant c. 1 et 2, quod prooemium graecitate elegans sequatur narratio plena semitismorum. Sed hoc facile explicatur, si fons, ex quo Lucas hausit, fuit semiticus. Haec suppositio et verbis prooemii et naturae rei congruit, et multis quoque criticis placet. Cum illa duo capita in omnibus codicibus et versionibus legantur et iam a vetustissimis Patribus, ut Iustino (Apol. I, 33; M 6, 382) et Irenaeo (3, 10; M 7, 872 sqq.) excerptantur et exponantur, dubitatio de genuinitate est irrationabilis. Alii autem illi versus (Luc. 22, 43 sq.) non in omnibus quidem codicibus leguntur, quod iam quidam Patres monent, attamen longe maxima pars codicum versus exhibet. E Patribus graecis Cyrillus Alex. versus omittit, sed alii Patres graeci ante et post eum versus agnoscunt. Iustinus sudorem sanguineum in „commentariis“ narratum esse testatur (Contra Tryph. n. 103; M 6, 718). Similiter Irenaeus loquitur de sudore sanguineo (3, 22, 1). Diatessaron Tatiani textum habet. Paucorum criticorum dubitatio non potest certitudinem evertere. De Marcione „circumcidente“ evangelium Lucae vide supra n. 80 109.

4. Rarissima illa et prorsus singularia documenta, in quibus canticum *Magnificat* non beatae virgini Mariae sed Elisabeth tribuitur, nullo modo praevalere possunt et debent contra testimonium concurs omnium fere codicum tum graeci textus originalis tum versionum, nec contra interpretationem, quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans ecclesiae traditio.

Rarissima et prorsus singularia documenta, in quibus canticum *Magnificat* tribuitur Elisabeth, sunt haec: E codicibus veteris versionis latinae evangeliorum *vercellensis* ex saeculo IV, ut videtur, *veronensis* ex saeculo V, *redhigeranus* ex saeculo VII legunt: „Et dixit Elisabeth: Magnificat . . .“ Omnes codices graeci, omnes codices Vulgatae exhibent lectionem: „Et dixit Maria: Magnificat . . .“ Omnes scriptores ecclesiastici graeci et latini hanc lectionem supponunt. In versione latina *Irenaei* (3, 10, 1; M 7, 873) omnes codices haec habent: „Exsultans Maria clamabat, pro ecclesia prophetans: Magnificat . . .“ Alio loco (4, 7, 1; M 7, 991) ceteri codices exhibent: „Et Maria dixit: Magnificat . . .“, duo autem codices ibi legunt: „Elisabeth ait: Magnificat . . .“ Haec lectio est falsa, quia est contra contextum; nam ibi dicitur Abraham vidisse Christum futurum, Simeon eum vidisse praesentem, angelos eum annuntiasse, et eam, quae cantabat Magnificat, de eo exsultasse. Atqui si Magnificat est canticum Elisabeth, exsultatio est de Ioanne, non de Christo. Ergo haec lectio est falsa. In *Origenis* homilia septima in Lucam secundum versionem latinam (textus graecus deest) haec leguntur de Elisabeth: „Non est itaque dubium, quin, quae tunc repleta est Spiritu Sancto, propter filium sit repleta. . . . Poteris hoc credere, si simile quid etiam de Salvatore cognoveris. Invenitur beata Maria, sicut in aliquantibus exemplaribus reperimus, prophetare. Non enim ignoramus, quod secundum alios codices et haec verba Elisabeth vaticinetur. Spiritu itaque Sancto tunc repleta est Maria, quando coepit in utero habere Salvatorem.“ Origenes, si haec ita scripsit, censuit nihili faciendus esse illos „alios codices“; nam in sequentibus constanter repetit Magnificat dictum esse a Maria. „Super quibus et Maria magnificat Dominum Iesum.“ In homilia octava: „Videamus ergo vaticinium virginale. Magnificat, ait, anima mea Dominum. . . . Qua ratione nunc Maria loquitur: Magnificat . . .? Anima itaque Mariae primum magnificat Dominum“ etc. Haec etiam graece servata sunt. Ἰδωμεν δὲ λοιπὸν παρθενικὴν προφητείαν. Μεγαλύνει ἡ ψυχὴ μου τὸν κύριον . . . Τῆς οὖν Μαρίας ἡ ψυχὴ ἐμεγάλυνε τὸν κύριον (M 13, 1817 sqq.). Merito suspicari licet illa verba de quibusdam codicibus esse interpolata; turbant enim contextum sermonis et frustrant intentionem oratoris volentis exemplo Mariae certos reddere auditores etiam Elisabeth propter filium prophetasse. Omitte illa verba, videbis omnia optime currere. Tunc enim sic legimus: „Poteris hoc credere, si simile quid etiam de Salvatore cognoveris. Spiritu itaque Sancto tunc repleta est Maria, quando coepit in utero habere Salvatorem.“ Neque vero Hieronymus, qui versionem fecit, videtur illa verba apposuisse, quia numquam commemorat se talem lectionem in ullo codice invenisse. Ut autem intellegatur, quomodo potuerit lectio „Elisabeth“ in paucis codicibus oriri, sufficit admittere, per errorem alicuius scribae excidisse nomen Mariae; eo ipso enim sequentia verba iunguntur cum praecedentibus verbis Elisabeth, et potuit propterea ab alio hoc nomen apponi. Quod quidam dicunt evangelistam debuisse scribere: εἶπεν δὲ, non καὶ εἶπεν, si subiectum sit Maria, cum in praecedentibus loquatur Elisabeth, est misera obiectio, cum in eodem capite Lucas quater per verba καὶ εἶπεν introducat novam personam loquentem (1, 18 19 30 35).

Contextus postulat, ut Mariae tribuatur Magnificat. Nam versu 38 dicit: „Ecce ancilla Domini“; versu vero 48 quae loquitur, ait: „Respexit Dominus humilitatem ancillae suae.“ Versu 45 de Maria dicitur: „Beata, quae credidisti“, versu 48 loquens ait: „Beatam me dicent omnes generationes.“ Modus, quo Elisabeth de se loquitur (v. 43 sq.), plane diversus est a modo loquendi in hymno Magnificat. Numquid probabile est Elisabeth, quae prius adeo exaltat Mariam, subito se ipsam multo magis exaltare, Mariam vero ne ullum quidem verbum proferre? Ubique Ioannes a Luca solum effertur ut praecursor Christi, hic autem neglecto Christo solus Ioannes glorificatur? Itaque omnino reiicienda est assertio paucorum rationalistarum, ut Harnack et Loisy, canticum Magnificat Elisabeth attribuentium. Haec et alia copiose exponit P. Ladeuze in Revue d'histoire ecclésiastique IV (Louvain 1903) 623 sqq., ubi alii quoque scriptores allegantur.

5. Quoad ordinem chronologicum evangeliorum fas non est ab ea sententia recedere, quae antiquissimo aeque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur. Neque tamen huic sententiae adversari censenda est eorum opinio, quae asserit evangelium secundum et tertium ante graecam primi evangelii versionem esse compositum.

Graeci codices et antiquae versiones omnes fere eundem ordinem evangeliorum habent, qui est in Vulgata. Eundem ordinem exhibent *S. Irenaeus* (supra n. 81), *Origenes* (supra n. 83), *fragmentum muratorianum* (supra n. 85), alii Patres saepissime. Solus *Clemens Alex.* dicit, evangelia cum genealogiis Iesu scripta esse ante cetera, ergo Lucam praecessisse Marcum (*Euseb.*, H. E. 6, 14; *M* 20, 551). Non vero respicitur ordo chronologicus sed ordo dignitatis, cum *Tertullianus* ait: „Nobis fidem ex apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant“ (*Adv. Marc.* 4, 2; *M* 2, 363). Similiter posteriores non raro loquuntur, etsi inter omnes constat Ioannem ultimum scripsisse. Idem modus praeponendi apostolos invenitur in *codice cantabrigiensi* (D) graeco-latino, et in quibusdam codicibus Italiae. Hac enumerandi ratione non tangitur testimonium codicum et Patrum de ordine chronologico. Communi vero traditioni contradicunt illi recentes, ut plurimi protestantes, qui docent primum scriptum esse evangelium Marci. Haec opinio etiam nonnullis catholicis placuit, sed nunc relinquenda est. Nihil vero obstat, si quis admittit ignotum illum, qui fecit versionem graecam evangelii Matthaei, usum esse quibusdam loquendi formulis, quibus iam usus erat Marcus.

6. Non licet differre tempus compositionis evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam. Neque sustineri potest Lucae evangelium obsidione Ierusalem iam incohata fuisse conscriptum, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur.

Quaedam dicta rationalistarum de tempore scriptionis evangeliorum supra audivimus (n. 112). Lucas ab initio Actuum apostolorum ait: „Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere et docere usque in diem . . . qua assumptus est.“ Ergo evangelium scripsit ante Actus. Actus autem finiuntur narratione biennii captivitatis romanae Pauli (Act. 28, 30). Ex quo concludere licet librum scriptum esse circa vel brevi post finem huius biennii, quod fluxit ab anno 62 usque ad annum 64, quia alioquin non apparet, cur Lucas narrationem suam non ulterius extenderit. Ergo liber Actuum non multo post annum 64 scriptus est; et quia evangelium tum iam finitum erat, paullo ante scriptum esse recte colligitur. Supponit evangelium eam cum Paulo apostolo conversationem, qua Lucas tum ideas tum locutiones Pauli addiscere et suas facere potuerit; nam hac ratione evangelium tertium cum Pauli doctrina cognatum esse tum catholici tum acatholici multi efficacibus argumentis demonstrarunt. Lucas autem inde ab anno 59 constanter cum Paulo esse coepit. Ergo apte tempus compositionis evangelii assignatur illud, quod inter annos 60 et 64 interiacet. Si Lucas evangelium scripsit ante annum 64, Marcus, qui eum in scribendo antecessit, ante annum 63 scripsit. Accuratio autem praedictio destructionis urbis Ierusalem apud Lucam (19, 43 sq.) iis solum probat haec scripta esse circa annum 70 vel post, qui non admittunt veras prophetias sed sola vaticinia post eventum.

7. Affirmari debet evangelium Lucae praecessisse librum Actuum apostolorum (scilicet ob Act. 1, 1 sq.); et cum hic liber eodem Luca

auctore ad finem captivitatis romanae apostoli fuerit absolutus (Act. 18, 30 sq.), eiusdem evangelium non post hoc tempus fuisse compositum.

8. Prae oculis habitis tum traditionis testimoniis tum argumentis internis, quoad fontes, quibus uterque evangelista in conscribendo evangelio usus est, in dubium vocari prudenter nequit sententia, quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse; quaeque simul asserit iisdem evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos, sive orales sive etiam iam scriptis consignatos.

Supra audivimus testimonia de relatione evangelii Marci ad Petrum et Lucae ad Paulum (n. 80 81 85 120 121). Posteriorum Patrum testimonium de hac re est unanime. Marcus est filius Mariae, mulieris hierosolymitanae, in cuius domum fideles conveniebant ad audiendam praedicationem Petri (Act. 12, 12 sqq.). Cum Petro Marcus Romam venit (1 Petri 5, 13; cf. Col. 4, 10; 2 Tim. 4, 11; Philem. 24). Petrus apostolus ideam praedicationis evangelicae hanc proponit: „Incipiens a baptisate Ioannis usque in diem, qua assumptus est a nobis Dominus Iesus (Act. 1, 22). Sic ipse praedicabat; „annuntians pacem per Iesum Christum; hic est omnium Dominus. . . . Incipiens enim a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Ioannes, Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo. . . . Quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo sed testibus praedeterminatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui a Deo constitutus est iudex vivorum et mortuorum“ (Act. 10, 36 sqq.). His verbis S. Petri quodammodo thema proponitur evangelii S. Marci, qui, incipiens a praedicatione Ioannis, ostendit, quomodo Iesus praedicaverit evangelium regni Dei, sanans aegrotos et oppressos a diabolo; qua praedicatione populus ad admirationem („Bene omnia fecit“; Marc. 7, 37), pharisaei autem ad summum odium excitantur (1, 14—3, 6). Dein Iesus eligit „testes praedeterminatos“, eosque instruit sermonibus et confortat miraculis, et sic instructos mittit ad primum periculum apostolicae praedicationis (3, 13—10, 31). Tandem ducit illos Hierosolymam et praedicat passionem et mortem suam, ab inimicis imminentem, et declarat se rediturum ad iudicandum mundum (10, 32—13, 37). Narratur passio Christi (14 15) et gloriosa eius resurrectio, postquam apparuit discipulis recumbentibus ad mensam, et iussit eos praedicare evangelium omni creaturae; et post haec „Dominus quidem Iesus assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei“ (16). Marcus igitur in scopo et dispositione narrationis evangelicae exhibet praedicationem Petri. Ideo ea, quae Petro honorifica sunt, omittuntur, e. g. quae narrantur apud Matthaeum 14, 28—31; 16, 17—20; 17, 23—26; non vero ea, quae Petro dedecori sunt, ut Marc. 8, 33; 14, 30 66 sqq. Quod Marcus minutis circumstantias vivaciter describit, signum est eum a teste oculari, qualis Petrus fuit, materiam accepisse. Haec in Introductionibus vel in Commentariis accuratius exponi solent. Cf. *Cornely*, *Compend. Introd.* 7 n. 604.

Lucam fuisse comitem Pauli apostoli tum ipse tum Paulus testantur (Act. 16, 10 sqq.; 20, 6 sqq.; Col. 4, 14; 2 Tim. 4, 11). Graecitatem Pauli et Lucae esse valde similem, dissimilem vero a ceteris evangelis, critici diligentibus inquisitionibus probarunt (quorum argumenta breviter comprehendit *M. Meinertz*, *Das Lukasevangelium*, Münster 1910, 9 sqq.). Quod Paulus toties effert evangelium fuisse iudaeis quidem primum praedicandum, sed dein etiam omnibus gentibus annuntiandum, in evangelio Lucae magis quam in ceteris evangelis de industria proponitur (cf. *Cornely* l. c. n. 618; *Meinertz* l. c. 28 sqq.). Itaque internae quoque rationes suadent, quod Patres dicunt, Lucam scripsisse iuxta Pauli praedicationem. Cum vero ipse in initio evangelii clare indicet alios ante se de iisdem rebus scripsisse et se in omnia

diligenter inquisivisse, praeter Pauli praedicationem etiam aliis fontibus, sive oralibus sive scriptis, eum usum esse censendum est, id quod ex ipsis semitismis evangelii satis patet. Cum Marcus ante eum ediderit evangelium, Lucas ex hoc libro hausisse videtur illas narrationes, quas eodem ordine ac Marcus refert. Similiter ipse quoque Marcus praeter Petri praedicationem etiam alios fontes habere potuit, ex quibus explicatur illa „asperitas popularis“ in modo narrandi, quam quidam in eo observant (cf. *J. Rohr*, Die Glaubwürdigkeit des Markusevangeliums, Münster 1909, 39).

9. Dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca, assecuto omnia a principio diligenter per testes fide plane dignos, quippe qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis (Luc. 1, 2 sq.), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicant, quam iisdem semper praestitit ecclesia. Neque vero eadem facta et gesta censenda sunt historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint.

Agitur de fide historica, quae testibus humanis debetur, non de fide dogmatica, quae nititur revelatione et inspiratione divina. Cf. supra n. 133 sqq. Obiectiones, quae hic tanguntur, sunt eae, quae a rationalistis fiunt, a priori negantibus totum ordinem supernaturalem et praeternaturalem (supra n. 75) et contententibus ecclesiam esse fructum naturalis evolutionis, non institutionis a Christo factae (supra n. 310 356). Modernistae quoque volunt in evangelis non tam „Christum historiae“ quam „Christum fidei“ depingi, quem secunda vel tertia generatio christianorum excogitaverit (Gemeindeftheologie).

### III. DE QUAESTIONE SYNOPTICA.

(Acta Apostolicae Sedis 1912, 465.)

653. 1. Dummodo serventur ea, quae in praecedentibus statuta sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum, quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias sententias licet exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis, sive scriptae sive oralis, vel etiam dependentiae unius evangelii a praecedenti seu a praecedentibus appellare.

2. Ea quae superius statuta sunt, ii servare censi non debent, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem evangelii Matthaei et evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab evangelio Marci et a collectione sic dicta ser-

monum Domini contendit explicare; ac proinde eam libere propugnare non valent<sup>1</sup>.

Itaque interdicitur theologis catholicis solvere quaestionem synopticam per „theoriam duorum fontium“. Synoptici vocantur tres priores evangelistae. Quaestio synoptica haec est: Quomodo explicatur, quod hi tres evangelistae tot facta et dicta Christi eadem, eodem ordine, iisdem verbis referunt? Aecclae theoriae duorum fontium (a *C. Lachmann* a. 1835 primum propositae) respondent: Duo sunt fontes evangeliorum Matthaei et Lucae, scilicet evangelium Marci, quod omnium primum scriptum est, et λόγια κυριακά, seu scripta collectio sermonum Domini. Matthaeus igitur (graecus) omnia facta a Marco narrata in evangelium suum recepit, iisque adiunxit seu interposuit sermones ex illa collectione sumptos. Iisdem fontibus usus est Lucas, etsi non semper eodem modo. Haec theoria plurimis exegetis protestantibus placuit, etsi quoad singula valde inter se differunt; sed etiam inter catholicos fautores habuit. Haec theoria manifeste ruit, si falsa est suppositio evangelium Marci scriptum esse ante evangelium Matthaei. Hoc autem falsum esse ex universali et constanti traditione probatur. Traditionem confirmant internae rationes; nam si singula evangelia ante comparisonem in se et separatim considerantur, efficitur Matthaei evangelium non esse combinationem duorum fontium, sed esse librum determinato consilio et ordine ita compositum, ut sine usu alterius libri ex se ipso perfecte explicari possit. Ita enim procedit, ut ostendat Iesum proposuisse et probasse se populo iudaico verum Messiam, eumque tum demum, cum synagoga ipsum nollet agnoscere, abiecit synagogam et novam ecclesiam fundasse. Iesus igitur offert iudaeis evangelium (4, 17 ad 9, 34), iudaei evangelium reiciunt (9, 35 ad 12, 45), synagoga reicitur et nova ecclesia fundatur (12, 45 ad 20, 28), describitur pugna inter Iesum et iudaeos, in qua Iesus morte succumbit, sed resurrectione triumphat, et in fine discipulos mittit ad annuntiandum evangelium omnibus gentibus (20, 29 ad 28, 20). Et has quidem partes evangelista logice ita disponit, ut ad finem intentum dispositio sit aptissima. Hic modus scribendi multo magis manifestat scriptorem propriae indolis quam narrationes Marci simpliciter iuxta se positae, non logica dispositione ad certum finem ordinatae; nam quae partes eadem sunt apud Matthaeum et Marcum, saepe apud Marcum logicum nexum non iam habent neque tamen chronologicum ordinem prae se ferunt; refert enim quae a Petro praedicante audierat, sed seriem narrationum Matthaei plerumque sequitur. Vident tamen nonnulli in evangelio Marci quandam „strophicam compositionem“ et „parallelismum“ partium singularum (cf. *H. J. Cladder* in Stimmen aus Maria-Laach LXXXVI [1914] 379 sqq.; Id., Unsere Evangelien. Erste Reihe: Zur Literaturgeschichte der Evangelien, Freiburg i. Br. 1919; *B. Bonkamp*, Zur Evangelienfrage, Münster 1909).

Servato igitur ordine tradito evangeliorum potest quis ad synopticam quaestionem solvendam recurrere ad traditionem vel oralem vel scriptam, ex qua evangelistae hauserint, potest admittere usum prioris evangelii per posteriores evangelistas, potest explicare dictionem graecam versionis Matthaei ex Marco, brevi potest omnes eas suppositiones facere, quas et in se probabiles esse et cum indole evangeliorum et cum certa traditione non pugnare ostendere valet (cf. *Cornely*, Compendium Introductionis<sup>7</sup> n. 623).

<sup>1</sup> De hac re scripsit *Thad. Soiron*, Die Logia Jesu (Münster i. W. 1919), qui examinatis singulis textibus venit ad hanc conclusionem: sermones Iesu ante compositionem evangeliorum servata esse traditione non scripta sed orali, secundum artem et regulas mnemotechnicas, quae aetate Christi apud iudaeos in usu erant ad servandas „traditiones seniorum“. „Eine Logienquelle, wie sie die Zweiquellentheorie fordert, haben die Evangelisten Matthäus und Lukas nicht benutzt. Vielmehr sind die Logien Jesu auf dem Wege der mündlichen Tradition vermöge ihrer Gedächtniszusammenhänge in die Evangelien gelangt. Dadurch bieten sie eine starke Garantie ihrer Zuverlässigkeit und Unverfälschtheit“ (170).

## IV. DE EVANGELIO IOANNIS.

(Acta Sanctae Sedis 1907, 83 sq.)

654. 1. Ex constanti, universali ac sollemni ecclesiae traditione, iam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur a) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, immo etiam haereticorum, testimoniis et allusionibus, quae cum ab apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent; b) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti evangelii in canone et catalogis sacrorum librorum; c) ex eorundem librorum vetustissimis manuscriptis, codicibus et in varia idiomatica versionibus; d) ex publico usu liturgico inde ab ecclesiae primordiis toto orbe obtinente, praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstratur Ioannem apostolum, et non alium, quarti evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment.

Traditionis argumentum habetur supra n. 80 81 83 85 91 sqq. 125. Numquam in tota traditione neque in codicibus neque in versionibus evangelium quartum alii nisi Ioanni apostolo tribuitur. Etiam *Eusebius*, qui Apocalypsim alteri Ioanni studet attribuere (supra n. 117 nota), tamen de apostolo Ioanne evangelii auctore minime dubitat (H. E. 3, 24). De veteribus haereticis vide supra n. 107 sq. Usus liturgicum evangelii Ioannis et ceterorum trium evangeliorum testatur fragmentum muratorianum (supra n. 85), testantur homiliae, quas SS. Patres de hoc evangelio habuerunt ad populum, testantur ipsi libri liturgici. De rationalistarum obiectionibus quaedam supra dicta sunt (n. 126 sqq.). Plura apud *Knabenbauer*, Comment. in Ioann.<sup>2</sup> 33 sqq.

2. Etiam rationes internae, quae eruuntur ex textu quarti evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et evangelii ipsius cum prima epistula Ioannis apostoli manifesta cognatione, censendae sunt confirmare traditionem, quae eidem apostolo quartum evangelium indubitanter attribuit. Difficultates vero, quae ex collatione ipsius evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum, pro quibus vel contra quos auctor scripsit, solvi rationabiliter possunt.

Si quartum evangelium per se consideratur, eius scriptor dicit, illud scriptum esse a discipulo, „quem Iesus diligebat“ (Io. 21, 24). Tres autem erant discipuli, quos Iesus aliis praeferebat: Petrus, Ioannes, Iacobus maior. Iacobus ante scriptionem evangelii diu mortuus erat (Act. 12, 2). A Petro autem discipulus ille, quem Iesus diligebat, in illo ipso capite (Io. 21, 20) distinguitur. Ergo discipulus ille est Ioannes apostolus. Hinc intellegitur, cur in toto quarto evangelio ne semel quidem nomen Ioannis pronuntietur. Auctor quarti evangelii ubique se probat locorum Palaestinae morumque iudaeorum optime peritum et testem ocularem eorum, quae narrat (1, 14 29 35 sqq.; 2, 1 sqq.; 3, 1 sqq.; 19, 35). Primae epistulae Ioannis genuinitas in vetere ecclesia numquam in dubium vocata est, sed testes eam Ioanni apostolo tribuerunt (cf. *Euseb.*, H. E. 3, 24 sq.); ceterum epistula se ipsam satis ostendit eiusdem esse, qui evangelium conscripsit, cum aequaliter et iisdem loquendi modis tum Christi divinitatem tum caritatis praeceptum inculcet. Cum sine ulla introductione vel salutatione epistula ordiatur, recte consideratur quasi syngraphus evangelii. Ait autem scriptor: „Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae . . . annuntiamus vobis.“ Ergo dicit se annuntiare ea,

quae ut testis immediatus expertus sit. Haec autem non describit in epistula, quae sola principia dogmatica et moralia continet, sed in evangelio. Ergo recte haec verba ad evangelium referuntur. Difficultates, quae moventur a rationalistis, supra breviter indicatae sunt (n. 126 sq.), et copiosius exponuntur apud *Knabenbauer*, Comment. in Ioann.<sup>2</sup> 33 sqq. vel apud *P. Dausch*, Das Johannesevangelium (Münster 1909) 28 sqq.<sup>1</sup>

3. Cum obstet praxis, quae a primis temporibus in universa ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto evangelio tamquam ex documento proprie historico, dici non potest, considerata indole peculiari eiusdem evangelii et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, facta narrata in quarto evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc, ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas. — Huc pertinent propositiones 16—18 Decreti „Lamentabili“ (Denz. n. 2016 sqq.).

In evangelio quarto facta et dicta Christi esse alterata et accommodata ad certas doctrinas dogmaticas inculcandas affirmarunt *Ferd. Chr. Baur*, *Hönig*, *Thoma*, *Jacobsen*, *Brandt*, *H. J. Holtzmann*, recentissime *Reville* et *Loisy*. *Loisy* tamen concedit allegorias evangelii esse tales, ut a solis aequalibus evangelistae intellegi potuerint. Sed haec sunt nugae. Evangelium enim, in quo finguntur facta et dicta Christi, quae vere facta et dicta non sunt, est mendacium, idque eo magis, si evangelista affirmat se narrare ea, quae ipse viderit et audierit, et haec revera ita se habere (Io. 1, 14; 19, 35; 20, 30 sq.; 21, 24; 1 Jo. 1, 3). Cum nolint tale mendacium Ioanni apostolo imputare, dicunt evangelium scriptum esse ab alio quodam ignoto homine saeculi secundi. Hoc autem est contra unanimem traditionem. Olim rationalistae non raro irridebant SS. Patres, qui supposito sensu historico addebant allegoricas expositiones; nunc quidam ex ipsis respectu evangelii quarti in miserum allegorismum inciderunt. Ceterum multa in quarto evangelio leguntur, quae saeculo secundo nulli homini in mentem venissent (cf. Io. 7, 15; 8, 22 23; 10, 24 33), sed solum intelleguntur, si a scriptore contemporaneo narrantur, sicut vere facta et dicta sunt. Immo ipsa discordia eorum, qui evangelii historiam in allegoriam convertere conantur, satis ostendit eos aberrasse a vero. Expositio litteralis est obvia et simplex et sibi ipsi cohaeret; allegoristarum autem expositiones sunt longe quaesitae, contortae, obscurae, quibus manifestatur desperata eorum difficultas, qui evangelium apostolo abiudicant. *M. Lepin* in opere *La valeur historique du quatrième Evangile* verba et facta in evangelio relata examinat respectu illius pseudosymbolismi.

<sup>1</sup> *Fr. Spitta* in aestimando evangelio Ioannis (utique amputato et purgato, „Grundschrift“) novam viam iniit. Aliter atque apud praecedentes rationalistas evangelium se habet „bei dem von mir gewonnenen Resultate, wonach mit der Aufdeckung der Grundschrift eine überaus wichtige Quelle, vielleicht die wichtigste für die Geschichte Jesu ans Tageslicht tritt, so daß das vierte Evangelium, wenn auch in gewisser Begrenzung, wieder das einzige, zarte Hauptevangelium des Jüngers, den der Herr lieb hatte, wird. . . . Bei allem Respekt vor der kritischen Forschung kann ich mich auf Grund jahrzehntelanger Untersuchung nicht davon überzeugen, daß sie in ihrer Beurteilung des vierten Evangeliums als eines Ganzen, die ich selbst eine Zeitlang geteilt habe, das Richtige getroffen hat“ (Das Johannes-Evangelium, Göttingen 1910, 401 sq.).

## INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

### A.

Abercius episcopus de ecclesia romana 490.  
 Abraham. Promissiones ei factae testantur futurum Messiam 220.  
 Actus internos quomodo ecclesia praecipere possit 523.  
 Adrianus papa et primatus 495.  
 Adventus Christi secundus in opinione apostolorum 270.  
 Aërius haereticus. Eius haeresis de aequalitate episcoporum et presbyterorum narratur 360.  
 Agatho papa et primatus 495.  
 Albertus Magnus. Eius merita de theologia 45; — de ecclesia militante 396.  
 Alogi 106 nota.  
 Ambrosius, S., laudat S. Petrum 297; — explicat verba Christi: Pasce oves meas 301; — de ecclesiae perennitate 315; — de Petri primatu 318; — asserit ecclesiae autonomiam 381 384; — effert unitatem ecclesiae 389; — docet catechumenum per fidem et caritatem salvari 395; — de synodo nicaena 442; — de romano pontifice 493; — docet inspirationem S. Scripturae 612'616.  
 Ammianus Marcellinus de romano pontifice 484.  
 Anatolius Alexandrinus de versione LXX 215.  
 Anima ecclesiae 394 396.  
 Apocrypha evangelia testantur genuinitatem quattuor evangeliorum 97; — sunt imitationes evangeliorum nostrorum 98; — quomodo supponant nostra evangelia *ib.*; — alia apocrypha 33 nota.  
 Apollonius. Quamdiu apostoli Ierosolymis manserint 316 nota; — Tyanaeus 208.  
 Apologetica. *Definitur* 69; — subiectum, obiectum materiale et formale huius scientiae *ib.*; — finis eius primarius est parare viam ad theologiam supernaturalem, secundarius vero est defendere fidem ecclesiae *ib.*; — vocatur theologia fundamentalis et propaedeutica *ib.*; — quomodo se habeat ad apologiam *ib.*  
*Methodus.* Quenam supponantur et quomodo procedatur in hac scientia 69 sq.; — dividitur in tres partes, scilicet de Christo legato divino, de vera ecclesia Christi, de fontibus theologicis 68; — eius nexus cum theol. dogmatica 70; — modus argumentandi *ib.*

*Conspectus historicus* originis et progressus apologeticae 71 sq. — Apologetae recentiores praecipui recensentur *ib.*  
 Apologia immanentiae 69 nota; — apologia confessionis augustanae de notis ecclesiae 399.  
 Apostoli constituti sunt a Christo vivum magisterium 261; — praediti praerogativa infallibilitatis 265; — potestate iurisdictionis 272; — potestate ordinis 281; — potestas coactiva apostolorum extenditur etiam ad poenas temporales 279; — apostoli fundamentum ecclesiae 291; — collegium apostolorum sub primatu Petro vocatur a Christo ecclesia 305 sqq.; — eorum successores sunt episcopi 433 sqq.; — sed non simpliciter 435; — scilicet in ordinario munere pastorali 437; — praerogativae apostolorum 280; — in collegio apostolorum Petrus fuit primas 285 sqq.; — eorum habitudo ad Petrum ratione primatus 296.  
 Apostolicitas est nota verae ecclesiae Christi 401; — est nota primaria 404; — invenitur in ea sola ecclesia, in qua rom. pontif. primatum gerit 414; — nulli autem alii coetui christiano convenit 426.  
 Apparitiones Christi post resurrectionem 200 sqq.  
 Appellationes ad rom. pontificem possunt fieri a quocumque inferiore iudice ecclesiastico 375; — non possunt fieri a papa ad concilium 373.  
 Approbatio ordinum religiosorum est obiectum infallibilitatis rom. pontificis 544; — approbatio doctrinae SS. Patrum: specialissime, specialiter, generaliter facta 588; — approbatio consequens non sufficit ad rationem libri inspirati 624.  
 Aristaeus de origine versionis LXX 215.  
 Aristobulus iudaeus alexandrinus docet Platonem ex Moyse hausisse 215.  
 Aristocratia. Quo sensu forma ecclesiae dici possit aristocratica 376.  
 Arnould de aequalitate Petri et Pauli 298.  
 Arnobius de religione christiana 250.  
 Articulus fidei quid sit 555.  
 Assensus fidei et assensus religiosus distinguuntur 554.  
 Athanasius, S., vindicat ecclesiae independentiam 381; — de catholicitate ecclesiae 421; — de infallibilitate concilii oecumenici 442.

LIBRARY

FRANCISCAN FATHERS  
 PONUS RIDGE, RFD #3, BOX #169  
 NEW CANAAN, CONN.

FRANCISCAN FATHERS  
 TRAPPIST MONASTERY  
 NEW CANAAN, CONN.



Athenagoras de inspiratione 615.  
 Auctor ecclesiae est Christus 305 sqq.; — auctor Scripturae est Deus 605 sqq.  
 Augustinus, S., de fidei et theologiae discrimine 15; — loquendum esse docet de quattuor unius evangelii libris 77; — de divinitate religionis christianae 248; — quid senserit de illis verbis: Tu es Petrus etc. 289; — dicit Petrum potestatem clavium in utilitatem ecclesiae accepisse 295; — de ecclesiae perennitate 315; — effert ecclesiae visibilitatem 326; — tenenda est ab omnibus mater ecclesia 392; — de ecclesia militante et triumphante 396; — haeretici inculpabiliter errantes non sunt proprie haeretici 395; — de catholicitate ecclesiae 407 sq.; — de sanctitate ecclesiae 410; — agnovit primatum romani pontificis 493; — de auctoritate SS. Patrum 577 589; — de errore S. Cypriani 592; — de usu rationis humanae in theologia 603; — de auctoritate consensus ecclesiae discentis 602; — praedicat necessitatem traditionis 568; — docet inspirationem S. Scripturae 611 612 615 617; — de extensione inspirationis 627; — de criterio inspirationis 648; — approbatio Augustini 588.  
 Aurelianus imperator de romano pontifice 492.  
 Authenticitas definitur 72; — distinguitur a genuinitate *ib.*; — authenticitas iuridica et historica 74.

## B.

Bardenhewer de presbytero Ioanne 117 nota.  
 Barnabas recensetur scriptor inter Patres apostolicos 33; — novit evangelium Matthaei 119; — num sit apostolus 261 nota.  
 Basilides gnosticus evangeliorum testatur genuinitatem 107.  
 Basilius, S., de primatu Petri 297; — effert ecclesiae visibilitatem 326; — asserit eius unitatem 389; — de auctoritate ecclesiae discentis 602; — de extensione inspirationis 627.  
 Bauer de Petro Romae mortuo 465 nota 467.  
 Baur evangelia ad fallendum esse composita docet 113.  
 Beatificatio *v.* Canonizatio.  
 Bellarminus enumerat 15 notas ecclesiae 400; — de conciliis 454; — de conexione primatus cum sede romana 500.  
 Benedictus XIII laudat S. Thomam Aquinatem 601.  
 Benedictus XIV de collatione iurisdictionis episcopalis 370; — de conexione pri-

matus cum sede romana 500; — de infallibilitate ecclesiae in canonizatione 547 sqq.  
 Benedictus XV de doctrina S. Thomae 601; — de inspir. S. Scripturae 628.  
 Bernardus, S., interpretatur verba Christi: Pasce oves meas 301.  
 Bonaventura, S., laudatur a Sixto V 597.  
 Bouffrenius erravit circa naturam libri inspirati 624.  
 Bonifatius I papa docuit infallibilitatem romani pontificis 513.  
 Buddhismus. Libri buddhistici inepte cum evangelis comparantur 132; — miracula Buddhae sunt nugae 205.

## C.

Caius presbyter de sepulchro Petri 474.  
 Callistus papa 482.  
 Canonizatio. *Definitur* 547; — distinguitur a beatificatione et dividitur *ib.*; — eius origo et historia, eius effectus 548 sq. — *Infallibilitas* rom. pontif. in canonizatione probatur 550; — vindicatur ab obiectionibus 551. — Certitudo huius propositionis perpenditur 553. — Inscriptio in Martyrologio romano non infert per se nec formalem nec aequipollentem canonizationem 549.  
 Canus queritur de neglecta theologia positiva 50; — male sensit de argumento ex Patrum consensu petito 582; — de consensu theologorum scholasticorum 599; — de consensu ecclesiae discentis 602.  
 Caput ecclesiae Christus 396; — Petrus 286 303.  
 Cassiodorus docet, quid monachi in theologicis rebus praestiterint 42; — testatur Augusti temporibus orbem romanum descriptum esse 124.  
 Catalogi episcoporum antiquissimi 479, *cf.* 344.  
 Catechismus Rom. de eccl. milit. 396.  
 Catechumeni 395.  
 Cathedra. Locutio ex cathedra quid sit 507; — infallibilitas papae ex cathedra loquentis probatur 508 sqq. — *Vide praeterea* Infallibilitas romani pontificis.  
 Catholici. Eorum numerus 413 419.  
 Catholicitas est nota verae ecclesiae 405; — distinguitur absoluta et relativa catholicitas 406; — invenitur in ea sola ecclesia, in qua rom. pontifex primatum gerit 419; — nulli alii coetui christiano convenit 429.  
 Celsus 102 sqq.  
 Censura doctrinalis definitur 556; — est duplex: iudicialis et pure doctrinalis *ib.*; — censurae sunt irrevocabiles *ib.*; — sensus singularum censurarum 557; —

quomodo inveniatur vera doctrina censuratis opinionibus opposita 559.  
 Chalcedonense concilium sibi tribuit assistentiam Spiritus Sancti 443; — eius convocatio quomodo facta 449; — de canone 28 huius concilii 504; — in eo legitur epistula Leonis papae 514.  
 Chiliasmus Irenaei 87; — aliorum Patrum 584.  
 Christus. *Legatus divinus.* Fontes historiae Iesu Christi *vide* Evangelia; — exspectabatur a iudaeis 142; — *se ipsum* professus est legatum div. 143; — valor huius testimonii Christi de legatione sua divina examinatur 146; — idem vindicatur ab obiectionibus recentium criticorum (Pfleiderer, Renan) 147; — Christus integram suam doctrinam ut divinam omnibus necessario amplectendam esse docuit 178; — *per miracula* legationem suam divinam comprobavit 181 sqq.; — duae classes miraculorum Christi 193 sq.; — speciatim eius resurrectio ut certum argumentum divinae legationis perpenditur 196 — atque contra impugnatores (Paulus, Strauss, Pfeiderer, Reimarus etc.) defenditur 201; — *per vaticinia* probavit Christus se legatum divinum 209. *vide* Vaticinia; — vaticinia V. T. in Christo impleta sunt 245; — *per propagationem* mirabilem doctrinae Christi comprobatur eius legatio divina 248; — martyrum testimonium 253; — interna criteria suadent divinitatem doctrinae Christi 256; — praedicatur rex, propheta, sacerdos 234; — institutor ecclesiae *vide* Ecclesia; — caput ecclesiae 396.  
 Chrysologus, S., de Petri primatu 318.  
 Chrysostomus, S., de primatu Petri 294; — Gal. 1, 18 interpretatur 304; — de ecclesiae visibilitate 326; — testatur olim vigentem identitatem inter nomen episcoporum et presbyterorum 342; — docet inspirationem S. Scripturae 612; — non docuit verbalem inspirationem 640.  
 Citationes implicitae 630.  
 Claudius Apollinaris testatur genuinitatem evang. Ioannis 125.  
 Clavis scientiae et potestatis 273; — regni caelorum 293, *cf.* 274 438.  
 Clemens Alexandrinus. Eius scripta recensentur 36; — testatur genuinitatem evangeliorum 84; — testatur genuinitatem evangelii Marci 121; — Ioannis 125; — testatur hierarchiam ecclesiasticam 353; — effert unitatem ecclesiae 389 402; — item catholicitatem 407; — docet inspirationem S. Scripturae 611.  
 Clemens Romanus, S., rom. pont., Patribus apostolicis accensetur 33; — citat evangelium Matthaei 119; — allegat evangelium Lucae 123; — de Martyribus 253; — testatur existentiam episcoporum 347; — de romana S. Petri commoratione 472; — docet inspirationem S. Scripturae 612.  
 Codex iur. can. de hierarchia 363; — de conciliis et synodis 460.  
 Coelestinus I papa sibi ascripsit infallibilitatem 513; — de deposito fidei 524.  
 Commissio biblica de citationibus implicitis 630; — de evangelis 651 sqq.  
 Communio sanctorum 311.  
 Concilium oecumenicum. Eius *natura.* Quot episcoporum collectio requiratur 446; — quousque se extendere debeat eius convocatio 447; — penes summum pontificem est ius convocandi 448; — debet ei praeesse summus pontifex sive per se sive per legatos 450; — debet confirmari a summo pontifice 455; — concilia non sunt absolute necessaria 459. Eius *infallibilitas.* Episcopi collecti in oecum. concilium sunt infallibiles magistri doctrinae revelatae 441; — non requiritur unanimitas episcoporum 451; — non astringitur concilium in formandis definitionibus ulli certae formulae 454; — est infallibile per se 457; — idque propter assistentiam Spiritus Sancti *ib.*; — cooperatio summi pontificis absolute requiritur 459.  
 Conclusio theologica quid sit 532; — infallibilitas ecclesiae in statuendis conclusionibus theologicis 533; — non sunt fide divina credendae 535; — conclusiones scholasticae quatenam 555.  
 Congregatio S. Officii de modernismo 134 nota 433 521 525 529 615 nota 624 nota; — de variis communitatibus christianis 389; — de notis ecclesiae 400 nota.  
 Congregationes romanae qualem habeant auctoritatem 521.  
 Constantiense concilium. Immerito provocant gallicani ad hoc concilium 373.  
 Constantinopolitanum II de deposito fidei 529; — Constantinopolitanum IV reicit interventum populi in electionibus episcoporum 358; — Constantinop. I per sequentem Damasi approbationem evahitur ad universale concilium 449; — in eodem fuerunt episcopi dissentientes 452; — in Constantinop. III quid de dignitate romanae sedis dictum sit 495; — in Constantinop. IV agnoscitur primatus *ib.*; — de deposito fidei 529.  
 Cornelius papa de constitutione hierarchica romanae ecclesiae 362.  
 Cornely de apocryphis 97; — saepius laudatur 115 sqq.  
 Corpus Christi mysticum 396.  
 Credibilitas evangelior. probatur 113 sqq.; — *vide* Evangelia.

Criteria revelationis 180 sqq. 256 sqq., cf. 146 sqq.

Cyprianus, S., pertinet ad SS. Patres 35; — quid de illo loco: Tu es Petrus . . . senserit 289; — de Petri primatu 318; — testatur hierarchiam ecclesiasticam 355; — non docuit ius suffragii populi in eligendo episcopo 358; — de ordinibus inferioribus 362; — effert unitatem ecclesiae 389; — extra ecclesiam nulla salus 392; — de apostolicitate ecclesiae romanae 414; — agnovit primatum romani pontificis 367 491; — de eiusdem infallibilitate 512; — docet inspirationem S. Scripturae 612.

Cyrillus Alexandrinus explicat verba: Et tu conversus etc. 511; — de auctoritate SS. Patrum 577.

Cyrillus Hierosolym. effert ecclesiae catholicitatem 408.

## D.

Damasus papa de inspiratione S. Scripturae 613.

Daniel. Eius vaticinia de tempore adventus Messiae 236 sqq.

David. Vaticinia de futuro Messia 227; — nomen Messiae 230 232 233.

Definitio. Quid importet definire aliquam veritatem ut dogma credendum 525; — definitiones dogmaticae manifestant progressum intellectus rerum revelatarum 526; — quomodo hic progressus intelligendus 527; — definitio dogmatica est immutabilis 529; — definitionum dogmaticarum infallibilitas vide Infallibilitas et Dogma.

Democratia. Quo sensu inveniatur elementum democraticum in ecclesia 376.

Depositum fidei 436 524.

Diaconi pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam 338 sq.

Dionysius episc. Corinth. testatur Petrum apost. Romae mortuum esse 474.

Doctor. Doctores ecclesiae quinam sint 575; — qualem auctoritatem habeant SS. Patres ut privati doctores 588 sqq. — Vide Patres.

Dogma. Definitur dogma, quid dogma in se et quoad nos 530, cf. 555; — divisio dogmatum *ib.*; — quid sit definire ut dogma credendum 525; — per dogmatum definitiones fit verus progressus 526; — refutatur Güntheri falsus conceptus evolutionis dogmatum 528; — valor dogmaticus propositionum 554; — dogmatica theologia vide Theologia.

Dorsch de hierarchia apud Hermam 348.

Dubowy: ubi Paulus apost. mortuus sit 472 nota.

## E.

Ecclesia Christi. *Institutio* 261 sqq. Aedificatur super Petrum 288; — quo sensu 290; — super apostolos 291; — Christus vocavit fideles sub collegio apostolico et Petro primatu ecclesiam suam 309; — unde vox ecclesiae *ib.*; — definitur ecclesia *ib.*; — quomodo ab initio mundi exstiterit 311; — est perenniter instituta 313.

*Natura et proprietates* 320. Est societas visibilis 322; — hierarchica 333; — monarchica 364; — perfecta 379; — unica 386; — omnibus hominibus est ad salutem necessaria 391; — est corpus Christi mysticum 396; — falsae recentiorum de origine hierarchiae sententiae refutantur 356; — ecclesia militans 396.

*Notae* 397. Definiuntur notae 398; — existentia notarum probatur 399; — numerus statuitur 400; — non inveniuntur notae verae ecclesiae nisi in ea ecclesia, in qua rom. pontif. primatum gerit 414; — nulli alii coetui christiano conveniunt 426. — *Vide singulas notas:* Apostolicitas, Catholicitas, Unitas, Sanctitas.

*Infallibilitas.* Ecclesia est a Christo ut infallibilis magistra instituta 265; — *subiectum* huius infallibilitatis non sunt episcopi separatim spectati 439; — sed collecti in oecumenicum concilium sunt infallibiles magistri in definienda doctrina revelata 441; — similiter in cotidiano magisterio 461; — romanus pontifex est infallibilis, si ex cathedra loquitur 507; — *obiectum* infallibilitatis sunt: definitio doctrinae revelatae 524; — conclusiones theologicae 531; — iudicium de factis dogmaticis 536; — decreta disciplinaria 541; — approbatio ordinum religiosorum 544; — canonizatio sanctorum 547.

*Membra.* Definitur membrum ecclesiae 328; — non baptizati, notorii haeretici et schismatici, iuste excommunicati non sunt membra ecclesiae 329; — manent membra occulte haeretici *ib.*; — catechumeni sunt solum potentia proxima membra 331; — omnes et soli iusti vel praedestinati non sunt exclusive membra ecclesiae 332; — ecclesia docens vide Magisterium; — ecclesia discens 522 602, cf. 507.

Eichhorn invenit hypothesin „primitivi evangelii“ 114.

Ephesinum concilium infallibilitatem romani pontificis agnovit 514, cf. 367.

Ephraem, S., de confessione Petri 289.

Epiphanius de haeresi Aërii 360.

Episcopi. *Episcopatus* est supremus gradus hierarchiae ecclesiasticae 338; — episcopi exercent tria munera in ecclesia 339; — saepe appellati sunt presbyteri 340; — num etiam in S. Scriptura 341; — sunt ex Christi institutione superiores presbyteris 344, cf. 356 sq. 363; — numquam eligebantur iure suffragii a populo 358; — haeresis Aërii de aequalitate presbyterorum et episcoporum 360; — Hieronymi hac de re opinio 361; — iurisdictionem immediate a romano pontifice accipiunt 370; — haec collatio iurisdictionis fit iniunctione 372; — et singuli et omnes in concil. collecti subsunt summo pontifici 373; — regunt ecclesiam 381; — sunt successores apostolorum in munere docendi et regendi 433; — quomodo differat haec potestas episcopalis a potestate apostolorum 435.

*Infallibilitas.* Non singuli episcopi separatim spectati sunt infallibiles magistri 439; — sunt tamen singuli in sua dioecesi authentici magistri et iudices fidei 440; — episcopi collecti in concil. oecumenicum sunt infallibiles 441; — quot episcopi ad tale concilium convenire debeant 446; — dissentientes episcopi in multis conciliis fuerunt 452; — sunt in conciliis vere iudices et veras ferunt sententias 459; — quomodo eorum auctoritas ab auctoritate theologorum distinguatur *ib.*; — praefertur sententia duo esse subiecta infallibilitatis inadaequata distincta; scilicet collegio episcopali cum summo pontifice convenit infallibilitas, quae est independens ab infallibilitate papae ex cathedra loquentis 459, n. 5.

Ernst de S. Cypriano 367.

Euringer de Matth. 16, 18 apud Ephraem 289 b.

Eusebius Caesariensis de apocryphis evangelii 100; — de evangelio Matthaei 117; — de evangelio Ioannis 125; — de confessione Petri 289; — de martyribus 532; — de fine evangelii Marci 652, 2.

Evangelia. Verus evang. conceptus statuitur 77.

*Genuinitas* ev. in *communi* probatur documentis antiquitatis christianae 77 sqq.; — diluuntur praecipuae objectiones 86 sqq.; — probatur porro harmoniis evang. antiquis 91; — confirmatur evang. apocryphis 97; — testimoniis gentiliis 101; — modo agendi veterum haeticorum 106; — discordia recentium impugnatorum 110; — denique probatur internis criteriis 129; — accurata notitia temporum 130; — verissima vitae socialis iudaeorum descriptione 131. — Genuinitas evang. in

*particulari* probatur: ev. Matthaei 117; — Marci 120; — Lucae 123; — vindicatur ab obiectionibus 124; — Ioannis 125; — vindicatur ab impugnationibus 126; — conciliatur cum synopticum narratione 127. — Ordo chronologicus evangeliorum 652, 5.

*Credibilitas* evang. probatur 133; — scriptores evang. non poterant decipere 135; — noluerunt decipere 136. — Inepte comparantur evang. cum scriptis buddhisticis et babilonicis 132.

*Apocrypha* comprobant evang. genuinitatem 97; — sunt imitationes nostrorum evang. 98, cf. 89 e nota.

*Proto-Evangelium*, de futuro Messia vaticinium 218.

Excommunicati non sunt membra ecclesiae 329.

Ezechiel vaticinatur novum pastorem in Israel 233.

## F.

Factum dogmaticum quid sit 536; — in eo diiudicando ecclesia est infallibilis 538.

Felder de Flavio Iosepho 138 nota.

Fides divina et fides ecclesiastica distinguuntur 554 sq.; — fidei depositum 436 524.

Flavius Iosephus testatur Christi existentiam 138; — vindicatur hoc testimonium ab obiectionibus *ib.*; — de S. Scriptura 605.

Florentinum concilium agnovit infallibilitatem romani pontificis 514; — definivit monarchicam indolem ecclesiae 369; — extra ecclesiam docet nullam esse salutem 393; — docet primatum 497.

Formula Concordiae de regula fidei 565.

Fragmentum Muratorianum 85.

Franzelin. Quid senserit de separabilitate primatus a romana sede 500; — egregie tractat de membris ecclesiae 332; — de inspiratione verbali 636.

Fundamentum ecclesiae 290 sq.

Funk de scriptis, quae nomen apostolorum prae se ferunt 33 nota; — Petrum Romae fuisse 432; — de primatu 479 nota.

## G.

Gallicani. Eorum errores quoad appellationes a papa ad concilium 373.

Garrigon-Lagrange de mysteriis 165 nota.

Gelasius papa explicat verba: Et tu conversus confirma etc. 511; — docet iure divino in ecclesia existere successorem S. Petri in primatu 498; — docet inspirationem S. Scripturae 613.

Genuinitas definitur 72; — distinguitur ab authenticitate *ib.*; — quaestio de genuinitate alicuius libri est quaestio

- historica 75; — genuinitas quattuor evangeliorum in communi probatur *vide* Evangelia.  
**Georgius Trapezuntius** asserit infallibilitatem romanae sedis 512.  
**Germanus** nomen Messiae 232 234.  
**Gieseler**: num Petrus Romae fuerit 467 nota.  
**Gregorius M.** de existentia ecclesiae ab exordio mundi 311; — titulum damnat oecumenici episcopi 376; — episcopi sunt successores apostolorum 433; — de infallibilitate conciliorum 442; — docet inspirationem S. Scripturae 612.  
**Gregorius Nazianzenus, S.** dividit theologiam in theologiam et oeconomiam 20; — de primatu Petri 297; — exhibet ecclesiam ut societatem perfectam 381; — non obest infallibilitati conciliorum 444; — de extensione inspirationis 627.  
**Gregorius Nyss., S.** de primatu Petri 297.  
**Guillelmus Parisiensis** de sacramentali indole episcopatus 600.  
**Günther.** Eius opinio de progressu dogmatum 528; — de auctoritate SS. Patrum 528 578.  
**Gutjahr** de Irenaeo 87 117 nota.

## H.

- Haereticus** notorius non est membrum ecclesiae 329; — occultus manet membrum ecclesiae *ib.*, cf. 391 sqq.; — haeretica propositio quae 557; — haeretici saepe damnantur a romanis pontificibus definitiva sententia 513.  
**Haneberg** de natura inspirationis quid senserit 624.  
**Harnaek** de Marcione 80 356; — de Luca evangelista 115; — de genuinitate evangeliorum 115 nota; — de „Logis“ 117 nota; — de evangelio Marci 122; — de Christo Messia 141 nota; — de universalitate religionis christianae 178 nota; — falsa docet circa miracula ut facta historica 75 nota 195 nota; — de Matth. 16, 18, qualis sit textus genuinus 289 nota; — explicare studet ortum ecclesiae 310; — nova theoria de ecclesiastica hierarchiae origine 356; — de primatu 466 nota 479 nota 480 notae 491 nota.  
**Hase**: num Petrus Romae fuerit 467 nota.  
**Hegesippus** testatur existentiam apocryphorum evangeliorum 98; — testatur munus episcopale iam medio saeculo II exstitisse 344; — agnovit primatum romani pontificis 490.  
**Herbigny, Mich. d'** de primitivo episcopatu alexandrino 361; — de infallibilitate singulorum apostolorum 438

nota; — verba Irenaei 3, 3, 2 explicat 489 nota.

**Hierarchia ecclesiae.** Ecclesia est societas hierarchica 333; — nova theoria de origine hierarchiae ecclesiasticae reicitur 356. — Marsilii Patavini error refutatur 357; — item Lutheri et Edmundi Richeri *ib.*; — de aequalitate episcoporum et presbyterorum 360; — gradus hierarchici quinam ab ecclesia sint instituti 362.

**Hieronymus, S.** de evangelio Matthaei 117; — de ecclesiae perennitate 315; — narrat olim presbyteros eosdem fuisse atque episcopos 342; — doctrinae de superioritate episcoporum contradicere videtur 361; — in ecclesia ab apostolis fundata est permanendum 402; — episcopi sunt successores apostolorum 433; — agnovit primatum romani pontificis 493; — de inspiratione 615 617; — de extensione inspirationis S. Scripturae 627.

**Hilarius, S.** laus theologiae 17; — contra arianos dimicavit 37; — laudat S. Petrum 297; — praedicat necessitatem traditionis 568; — de inspiratione 616.

**Hilgenfeld**: num S. Petrus Romae fuerit 467.

**Hill** de Tatiani harm. evang. 93 nota.

**Hippolytus** exhibet romanam S. Petri commemorationem 476; — de inspiratione 615 616.

**Hoffmann** de resurrectione Iesu 202.

**Holtzmann** contra S. Irenaei testimonium pro genuinitate evangeliorum multa obicit 87; — immerito apologetis in recipiendis sacris libris inconstantiam imponit 96; — irridet recentes criticos 114.

**Honorius** papa non docuit errorem ex cathedra 516; — quo sensu damnatus sit a concilio oecumenico VI *ib.*

**Hormisdas** papa praescripsit episcopis schismaticis redeuntibus formulas fidei 495 508 513.

**Huther** de scriptis pseudo-clementinis 466 nota; — de prima epistula Petri 469 nota.

## I.

**Iacob.** Eius vaticinium de futuro Messia 221.

**Iacquier** de evangelio Matthaei 119 nota.  
**Iahn** erravit circa inspirationis naturam 622.

**Iansenistae** agitant quaestionem de infallibilitate romani pontificis in factis dogmaticis 538.

**Iansenius Cornelius** (junior). Eius turbae in theologia 62.

**Iensen** derivat religionem christianam e mytho babilonico 132.

**Ignatius, S.** Martyr, est inter Patres apostolicos 33; — testatur evangelia 90; — allegat evang. Matthaei 119; — item Ioannis 125; — testatur hierarchiam ecclesiasticam 349; — damnat schismata 392; — de catholicitate ecclesiae 407; — innuit primatum romani pontificis 488.

**Immutabilitas religionis christianae** 178 sq.; — ecclesiae 313 sqq.; — dogmatum 524 sqq.

**Imperatores** non regunt ecclesiam 381.

**Indifferentismus religiosus** 178 sq. 391 sqq.

**Infallibilitas apostolorum** 265; — episcoporum 438; — conciliorum oecumenicorum 441; — magisterii per orbem dispersi 461; — romani pontificis ex cathedra loquentis 507; — obiectiones historicae solvuntur 515; — quotuplex sit subiectum infallibilitatis 459; — non est donum inhaerens 459, 6; — obiectum eius sunt: definitio doctrinae revelatae 524; — constitutio conclusionum theologiarum 531; — iudicium de factis dogmaticis 536; — decreta disciplinaria 541; — approbatio ordinum religiosorum 544; — canonizatio sanctorum 547.

**Innocentius I** papa sibi attribuit primatum in ecclesia 486.

**Inspiratio.** *Existentia* inspirationis probatur: ex Scriptura et quidem Veteris Testamenti 605; — Novi Testamenti 606; — specialiter ex S. Paulo 607; — ex traditione: ex SS. Patribus 612; — ex conciliis 613.

*Natura* eius exponitur 615; — est gratia gratis data 621; — sola Dei assistentia errorem avertentis non sufficit 623; — nec subsequens quae vocatur inspiratio 624; — non repugnat liber inspiratus, cuius res et sententiae omnes iam apud alios scriptores inveniuntur 625.

*Extensio.* Extenditur ad omnes res et sententias ab auctore sacro scriptas 626; — quid scriptor sacer ex propriis sumere possit 632; — verbalis insp. non est admittenda 635; — contrariae obiectiones diluuntur 640.

*Criterium* unicum sufficiens inspirationis omnium librorum sacrorum est traditio catholica 643; — quid protestantes et alii catholici de criterio statuerint 646 sqq.

**Integritas evangeliorum** 128.

**Interpretatio Scripturae** 568 sq. 585 sqq.

**Ioannes, S.** Eius evangelii genuinitas in communi probatur 77; — item in specie 125 654; — vindicatur ab obiectionibus 126; — conciliatur cum narratione synopticorum 127.

Eius *credibilitas* demonstratur 133.

**Ioannes, presbyter** 117 nota.

**Irenaeus, S.** pertinet ad SS. Patres 35; — testatur genuinitatem quattuor evangeliorum 81; — hoc testimonium perpenditur 82; — vindicatur ab obiectionibus Holtzmanni 86; — profert haereticos ut testes genuinitatis evang. 106; — Marcionis evang. describit 109; — testatur multitudinem evang. apocryphorum 98; — eius chiliasmus explicatur 87 584; — de evangelio Matthaei 119; — de propagatione religionis christianae 249; — de martyribus 253; — de Petro apostolo 287; — vocat presbyteros etiam episcopos 340; — testatur existentiam episcoporum 346 350; — effert necessario esse amplectendam ecclesiam 392; — docet ecclesiae unitatem 418; — testatur romanam S. Petri commemorationem 475; — de eiusdem successoribus 478; — testatur primatum romani pontificis 489; — de eiusdem infallibilitate 512; — docet inspirationem S. Scripturae 612; — de fine evangelii Marci 652, 2; — de cantico Magnificat 652, 4.

**Isaias** vaticinatur catholicitatem regni messianici 231.

**Iugie** de schismaticis orient. 428.

**Iulius I** papa sibi attribuit primatum in ecclesia 484.

**Iurisdicatio** est potestas regendi 273; — complectitur potestatem legislativam, iudicalem, coactivam 274; — promissa est a Christo apostolis *ib.*; — iisque vere collata 275; — ab iisdem exercita *ib.*; — primatus iurisdictionis *vide* Primatus; — differt a potestate ordinis 281.

**Ius divinum**, quid ecclesia circa illud possit 377.

**Iustinus, S.** Martyr. Apologeta 34; — testatur genuinitatem quattuor evangeliorum 78 88; — novit evang. Matthaei 89 119; — item Ioannis 89 125; — usus sit evang. Petri 88 nota; — testatur genuinitatem evang. Marci 122; — item Lucae 123; — item Ioannis 125; — de propagatione religionis christianae 249; — de martyrio 253; — de Petro apostolo 287; — testatur munera episcopalia 348; — de chiliasmo opinio 584; — docet inspirationem S. Scripturae 612 615 616; — de fine evangelii Marci 652, 2.

## K.

**Knabenbauer** de evangelio Matthaei 119; — de evangelio Ioannis 126.

**Kneller** de convocatione conciliorum 449; — de doctoribus ecclesiae 575.

## L.

- Lactantius de martyrio ut testimonio divino 254.  
 Lagrange de descriptione orbis apud Lucam 124 nota.  
 Laici 347; — non regunt ecclesiam 381.  
 Lainez de episcopis 371.  
 Lateranense concilium IV definit extra ecclesiam nullam esse salutem 393.  
 Launoy obicit contra infallibilitatem romani pontificis in canonizatione 551.  
 Lenormant de extensione inspirationis 626.  
 Leo Magnus explicat verba Christi: Pasce oves meas 301; — de Petri primatu 318 449; — de synodo chalcedonensi 504.  
 Leo X de appellationibus a papa ad concilium 373.  
 Leo XIII de auctoribus evangeliorum 94; — de fine ecclesiae 305; — de episcopis 363; — declarat ecclesiam esse societatem perfectam 382; — de Spiritu Sancto ut anima ecclesiae 396; — laudat S. Thomam Aquinatem 601; — de inspiratione 616; — de extensione inspirationis 628; — de auctoritate Vulgatae et versionum 650.  
 Leontius Byzant. de auctoritate SS. Patrum 580.  
 Liberius papa non erravit ex cathedra loquens 515.  
 Lietzmann de Petro Romae mortuo 467.  
 Lightfoot de testimonio Hegesippi 344 nota.  
 Liguorius, A. M., S., laudatur 63.  
 Lipsius de romana S. Petri commoratione 466.  
 Loci theologici quid sint 561; — quot sint 563. — *Vide* Scriptura, Traditio.  
 Logia apud Papiam 117.  
 Loisy de doctrina Christi 134; — de critica evangeliorum 114.  
 Lombardus, magister sententiarum. Eius theologia 44; — methodus 49; — de ecclesia militante et triumphante 396.  
 Loofs discutit recentes theorias de origine hierarchiae ecclesiasticae 356.  
 Lucas, S. Eius evangelii *genuinitas* in communi probatur 77; — speciatim 123 652; — vindicatur ab obiectionibus 124. Eius *credibilitas* demonstratur 133.  
 Lugdunense II agnovit primatum 496; — et infallibilitatem romani pontificis 514.  
 Lugo de consensu theologorum scholasticorum 599.  
 Lutherus statuit subiectivam normam ad diiudicandam genuinitatem sacrorum librorum 75; — de visibilitate ecclesiae Christi 322; — de scholasticis theologis 598.

## M.

- Magisterium ecclesiasticum. Instituitur a Christo 261; — est infallibile 265 461; — eius subiectum activum 433; — eius subiectum passivum 522; — eius obiectum 524 sqq.  
 Magnificat, canticum b. V. Mariae 652, 4.  
 Mahavira, fundator iainismi, non patravit vera miracula 206.  
 Marcion haereticus testatur genuinitatem evangeliorum 109, cf. 80 356.  
 Marcus, S. Eius evangelii *genuinitas* probatur in communi 77; — speciatim 120 652. Eius *credibilitas* demonstratur 133.  
 Marsilius Patavinus. Eius error de constitutione ecclesiae 357.  
 Martyrium est testimonium veritatis religionis christianae 253.  
 Martyrologium romanum. Eius auctoritas quoad canonizationem sanctorum 549.  
 Matthaeus, S. Eius evangelii *genuinitas* probatur in communi 77; — speciatim 117 651. Eius *credibilitas* demonstratur 133.  
 Melancthon de theologis scholasticis 598.  
 Membra ecclesiae 328 sqq.  
 Messias exspectabatur a iudaeis ut legatus divinus 141; — vaticinia messianica existebant inter iudaeos multis saeculis ante Christum 213; — haec vaticinia breviter exponuntur 217; — regnum messianicum quale praedictum fuerit 234; — in Christo impleta esse vaticinia ostenditur 245.  
 Miracula. Miraculum *definitur et dividitur* 183; — Christus ad probandam divinam suam legationem ad patrata miracula provocavit 181; — testantur miracula divinam originem doctrinae Christi 184; — non sunt impedimenta fidei 186. cf. 122.  
*Possibilitas* miraculorum non repugnat 187; — refelluntur obiectiones contrariae *ib.*  
*Cognoscibilitas* miraculorum 188; — miracula Christi dividuntur in duas classes 193 sq.; — vis probandi horum miraculorum examinatur 195; — speciatim resurrectio a mortuis accuratius perpenditur 196; — variae hypotheses ad hoc miraculum explicandum inventae refutantur 201. — Miracula fundatorum aliarum religionum num sint vera miracula 204; — miraculum propagationis religionis christianae 248 sqq.; — apostolorum miracula 269; — miracula ut signum sanctitatis ecclesiae 410.  
 Modernismus 69 134 150 433 521 525 529 615 nota 624 nota 629.  
 Mohammed. Quid de eius miraculis censendum sit 207.

## P.

Muratorianum fragmentum 85.

- Mysteria. Evolvitur conceptus mysterii 161; — dividuntur mysteria in naturalia, praeternaturalia, supernaturalia *ib.*; — doctrina concilii vatic. hac de re proponitur 162; — definitur mysterium stricte dictum 163; — impossibilitas mysteriorum probari nequit 164; — existentia mysteriorum stricte dictorum a priori probari non potest 165; — mysterium superat rationem 168.  
 Mysticum corpus Christi 396.

## N.

- Nanak, fundator Sikhismi, non patravit vera miracula 206.  
 Necessitas religionis christianae 178 sq.; — ecclesiae Christi 391 sqq.  
 Newman de extensione inspirationis 626.  
 Nicaenum concilium I plures episcopi noluerunt subscribere 452; — in II docetur primatus romani pontificis 495.  
 Noë. Vaticinium eius de futuro Messia 219.  
 Notae ecclesiae. Definitur nota 398; — existentia notarum 399; — numerus 400; — quattuor notae verae ecclesiae Christi non inveniuntur nisi in ea ecclesia, in qua rom. pontif. primatum gerit 413; — nulli alii coetui christiano conveniunt 426.

## O.

- Obiectum magisterii ecclesiastici 524 sqq.; — theologiae 6 sq.  
 Optatus Milev., S., de monarchica indole ecclesiae Christi 367; — de independentia ecclesiae non sinistre sensit 385; — effert unitatem ecclesiae 389; — statuit principium: Ubi successores apostolorum, ibi vera ecclesia 402; — de catholicitate ecclesiae 408.  
 Ordo. *Potestas* ordinis quid sit 281; — quomodo differat a potestate iurisdictionis 284; — collata est apostolis 283; — ordines hierarchici 333 sqq.; — ordines minores 362; — in ordinum religiosorum approbatione ecclesia est infallibilis 514.  
 Origenes. Eius opera 36; — testatur genuinitatem quattuor evangeliorum 83 100; — Celsi haeretici testimonium pro hac genuinitate affert 102; — de evangelio Matthaei 117; — de martyribus 253 sq.; — quid de illo loco: Tu es Petrus... senserit 289; — laudat S. Petrum 297; — testatur hierarchiam ecclesiasticam 354; — de cantico Magnificat 652, 4.  
 Ottiger de mysteriis 165 nota.

- Pacianus, S., gloriatur de catholicitate ecclesiae 407; — vocat episcopos apostolos 433.  
 Palmieri de conexione primatus cum sede romana 500; — de subiecto infallibilitatis 459; — de membris ecclesiae 329.  
 Pantaenus in India repperit ev. Matthaei 118.  
 Papa dubius papa nullus 506; *vide* Pontifex.  
 Papias discipulus Ioannis apostoli 117 nota; — testatur genuinitatem evangelii Matthaei 117; — loquitur de evangelio Marci 120; — Ioannis 125.  
 Parochi non sunt iudices iure proprio 363.  
 Patres apostolici quinam 33. — *SS. Patres* quinam sint 572; — enumerantur 34 sqq.; — eorum unanimis consensus est certum argumentum theol. 576; — quanta sit auctoritas in rebus naturalibus 582; — condiciones ad firmum argumentum patristicum necessariae 583; — ut doctores privati qualem habeant auctoritatem 588; — dissensus Patrum in rebus maioris momenti non facile admittendus 591; — de erroribus nonnullorum Patrum 592; — de usu SS. Patrum 593; — chiliasmus Patrum 584; — consensus Patrum in interpretanda Scriptura qualis requiratur 585.  
 Paulus, apostolus 263 sq. 271 298 302 304 472 nota.  
 Paulus, Gottlob, quid de evangelii senserit 111; — eius hypothesis circa Christi resurrectionem 201.  
 Perrone de distinctione episcopatus a presbyteratu 600.  
 Petavius de nomine presbyteri et episcopi in S. Scriptura 341.  
 Petrus, S. Eius nomen 288; — ei promittitur a Christo primatus 286; — idemque actu confertur 269; — quo sensu super Petrum ecclesia aedificetur 290; — auctoritas Petri cum potestate reliquorum apostolorum comparatur 296; — de aequalitate Petri et Pauli 298; — doctrina concilii vatic. de Petri primatu 303; — obiectiones contra Petri primatum 304; — eius successor est romanus pontifex 464; — S. Petrus Romae fuit 466; — Romae sedem suam collocavit et episcopum romanum successorem in primatu instituit 477.  
 Pfeleiderer testimonium Christi de divina sua legatione pervertit 147; — ponit semina miraculorum in causis creatis 187; — eius hypothesis circa Christi resurrectionem 202.  
 Pius II de appellationibus a papa ad concilium 373.

Pius VI de iurisdictione episcopali a summo pontifice descendente 371.  
 Pius IX de apologetica et fide 70; — docet extra ecclesiam nullam esse salutem, non tamen damnat invincibiliter ignorantem ecclesiam 395.  
 Pius X de modernismo 69 nota 94 150 597 624 nota; — de episcopis 363; — de congregationibus romanis 521.  
 Plinius iunior testatur christianorum Christianique existentiam 140.  
 Polycarpus, S., Martyr, accensetur Patribus apostolicis 33; — allegat ev. Matthaei 119; — fuit episcopus ab apostolis constitutus 350.  
 Polycrates existentiam episcoporum ab initio testatur 345.  
 Pontifex romanus. Eius primatus iurisdictionis. Est successor S. Petri in primatu 464; — semper sibi attribuerunt rom. pontifices primatum 480; — semper ab ecclesia ut primates agniti sunt 488; — item a conciliis oecumenicis 495; — sunt iure divino primates 498; — accipit iurisdictionem immediate a Deo 369; — est vi primatus superior quolibet concilio etiam oecumenico 373; — non ligatur legibus pure ecclesiasticis 374; — canones ecclesiastici tantum directivam vim habent pro rom. pontifice *ib.*; — quid possit circa ius divinum 377; — quomodo amittat potestatem suam 506.  
 Eius infallibilitas. Ex cathedra loquens est infallibilis sicut ecclesia docens 507; — Patres de infallibilitate rom. pontificis 512; — ipsi rom. pontifices sibi eam attribuerunt 513; — concilia oecumenica agnoverunt 514; — obiectiones historicae reiciuntur 615; — quomodo definitiones ex cathedra factae dignoscantur 519; — obiectum huius infallibilitatis 524. — *Vide praeterea* Infallibilitas.  
 Portae inferi quid significant 292.  
 Potestas iurisdictionis 272; — clavium 273; — ordinis 281; — apostolorum 261; — episcoporum 339 370 sq. 433; — romani pontificis 365 369 464 477 sqq.; — congregationum romanarum 521; — concil. oecumenicorum 441.  
 Praescriptio theologica definitur 411; — quid Tertullianus de ea senserit 412.  
 Presbyteri ut ab episcopis distincti 338 sqq. 349 sqq. 434.  
 Primatus iurisdictionis S. Petri. Promittitur S. Petro a Christo primatus iurisdictionis 285; — eidem actu confertur 299; — quale discrimen inter Petrum ceterosque apostolos ratione primatus 296; — vindicatur Petri primatus ab obiectionibus 304; — Christus constituit

S. Petrum eiusque successorem verum monarcham 364.

*Romani pontificis.* Episcopus romanus est successor S. Petri in primatu 477; — semper rom. pontif. sibi primatum attribuerunt 480; — eundem ecclesia semper agnovit 488; — item concilia oecumenica 495; — est iuris divini 498; — quomodo annexus sit romanae sedi 500.

*Prophetia vide* Vaticinium.

*Propositio.* Valor dogmaticus propositionum 554; — quid sit prop. de fide et theologice certa 555; — propositiones censuratae 557; — pr. prohibita 558.

*Protestantes* quidam negant ecclesiam a Christo institutam 310; — de sufficientia Scripturae Sacrae 565; — numerus protestantium 413; — protestantismus caret apostolicitatis nota 426; — item unitatis et catholicitatis 429; — item sanctitatis 431.

*Pseudo-Isidorus.* Eius falsificationes quoad praerogativas papae 378.

#### Q.

*Quadratus,* episcopus atheniensis. Eius apologia pro christianis 192.

#### R.

*Ratio humana,* eius usus in theologia 603.

*Regnum Christi* 306 sqq.

*Reimarus.* Eius hypothesis circa Christi resurrectionem 203.

*Religio christiana* omnibus hominibus necessaria 178 sqq. 391 sqq.

*Renan* cur neget miracula Scripturae 75; — sibi contradicit in explicanda Christi vita 149.

*Resurrectio Christi* a mortuis 196 sqq.

*Revelatio divina definitur* 151; — varii modi revelationis divinae recensentur 152; — quamnam partem habeat subiectiva hominis dispositio in accipienda et promulganda revelatione 154.

*Possibilitas* statuitur 155; — non repugnat neque ex parte Dei 156; — neque ex parte hominis 157; — neque ex parte rei revelandae 158; — impossibilitas mysteriorum probari nequit 160.

*Utilitas et necessitas* statuitur 169; — quomodo sit moraliter necessaria 170; — quomodo absolute necessaria 176; — est tamen vera gratia 177.

— publica, morte apostolorum finita 524 sq.  
*Rieher* errat circa constitutionem ecclesiae 357.

#### S.

*Salmeron* Hebr. 6. 4—6 interpretatur 586.  
*Salomon.* Vaticinia ei de futuro Messia facta 227.

*Sanctitas* est nota verae ecclesiae Christi 409; — invenitur in romano-catholica ecclesia 422; — nulli alii coetui christiano convenit 431.

*Sanday* de methodo rationalistarum germanicorum 115.

*Sanders* exponit doctrinam S. Hieronymi de episcopis 361.

*Schismatici:* non sunt membra ecclesiae 329; — Hormisdas papa praescribit schismaticis episcopis redeuntibus formulas fidei 495 508 513.

*Schwartz* de testimonio Hegesippi 344 nota.

*Scientia* subalternans et subalternata 8. *Vide* Theologia.

*Scriptores ecclesiastici* qui sint et quomodo a SS. Patribus differant 573.

*Scriptura Sacra* est locusologicus 562; — non est unicus fons addiscendae veritatis revelatae 564; — eius insufficientia 567; — huic non obstat Veteris Testamenti condicio 570; — norma eius interpretationis est traditio 569; — de inspiratione Scripturae 604 sqq.

*Sepultura Christi* 198.

*Severus* Antioch. de fine evangelii Marci 652, 2.

*Siricius, papa,* sibi vindicat primatum in ecclesia 485.

*Sirmienses* formulae 515.

*Societas vide* Ecclesia.

*Soden, H. v.,* de Marcione 356.

*Soiron* de logiis Iesu 653 nota.

*Spiritus Sanctus,* anima ecclesiae 396.

*Stephanus, papa,* sibi attribuit primatum in ecclesia 483.

*Stock* pervertit verba Christi: Tu es Petrus etc. 291.

*Strauss* negat genuinitatem Scripturae propter miracula 75; — evangelia mythice explicat 112; — quid obiciat contra possibilitatem miraculorum 190; — eius hypothesis circa Christi resurrectionem 202.

*Styger* de sepulchro Petri et Pauli 467.

*Suarez* specie tenus docet inspirationem verbalem 386.

*Subiectum* theologiae 1 sqq.; — subiectum passivum auctoritatis ecclesiasticae 522. *cf.* 602; — activum *vide* Episcopus, Pontifex; — subiectum duplex magisterii ecclesiastici 459, 5.

*Suidas* testatur Augusti temporibus orbem romanum descriptum esse 124.

*Sulpicius Severus* de martyribus 253.

*Syllabus* Pii IX 520; — Pii X *vide* Congregatio S. Officii.

*Symbolum.* Eius editio pertinet ad summum pontificem 512.

*Synagoga Veteris Testamenti* quot modis differat ab ecclesia Christi 312 570.

*Synodus* quomodo differat a concilio 460. — *Vide praeterea* Concilium.

*Synoptica* quaestio 653.

#### T.

*Tacitus* testatur Christi existentiam 139.

*Tarasius* de romano pontifice 495.

*Tatianus* inter apologetas recensetur 34; — primus fecit harmoniam quattuor evangeliorum 91; — vindicatur ab impugnatione Volkmar 92; — citat evangelium Ioannis 125 nota.

*Tertullianus* recensetur inter praecipuos scriptores epochae SS. Patrum 35; — testatur insigniter genuinitatem evangeliorum 80; — census per Saturninum a Tertulliano relatus conciliatur cum Lucae narratione 124; — de martyribus 253; — de Petri reprehensione 270; — quid de illo loco: Tu es Petrus etc., senserit 289; — vocat Petrum „petram ecclesiae“ 297; — testatur hierarchiam ecclesiasticam 352; — de lectoratu 362; — cum apostolis eorumque successoribus est permanendum 402; — de catholicitate ecclesiae 407; — de praescriptione theologica 411 412; — de apostolicitate eccl. romanae 414; — de romano S. Petri martyrio 475 478; — de primatu 482.

*Testimonium vide* Revelatio.

*Theodoretus* docet eosdem vocatos episcopos et presbyteros 342; — de inspiratione 615.

*Theodorus Studita* de verbis: Et tu conversus etc. 511; — de romano pontifice 493.

*Theologi* scholastici praecipui enumerantur 44; — eorum auctoritas examinatur 595; — contrariae obiectiones diluuntur 600.

*Theologia. Notio.* Est scientia 8 sqq.; — eaque una 11; — est practica, sed magis et principaliter speculativa 16; — est dignior ceteris scientiis propter certitudinem, nobilitatem materiae, finem altiorem 17; — quomodo vocetur scientia fidei 11; — recte dicitur sapientia 19; — eius subiectum neque Christus neque ecclesia est sed Deus ut Deus 23; — eius obiectum formale est verum demonstrabile ex divina revelatione 67; — eius habitus est in se naturalis, sed in radice supernaturalis 12; — quid retineat theologus lapsus in haeresim 13; — distinguitur a fide divina tripliciter, scilicet materia, forma, certitudine 15; — differt a theologia naturali tum materialiter tum formaliter 7; — est quaedam anticipatio visionis beatificae 17.

*Divisio.* A veteribus divisa est in theologiam et oeconomiam 20; — in affirmativam et negativam *ib.*; — ex materia dividitur in speculativam et practicam 21; — ex fine in pacificam et polemicam, asceticam et mysticam 22; — ex modo tractandi in positivam et scholasticam 23; — proponitur systema theol. dogmaticae 30 sq.

*Relatio* inter theol. positivam et scholasticam declaratur 27 sqq.; — item inter theol. dogmaticam et moralem 56 sqq.; — item inter theologiam et apologeticam 69.

*Conspectus historicus* theol. dogmaticae secundum tres periodos narratur 32; — epocha Patrum 33 sqq.; — epocha veterum scholasticorum 44 sqq.; — theologia post concilium tridentinum 51 sqq.

*Fontes theologici* sunt tertia pars apologeticae 68; — definiuntur et dividuntur 563. — *Vide* Scriptura et Traditio.

**Theophilus** Antiochenus inter apologetas recensetur 34; — testatur evangelia 90; — allegat ev. Lucae 123; — testatur genuinitatem ev. Ioannis 125; — docet inspirationem S. Scripturae 612 616.

**Thomas, S.** *De theologia:* de subiecto 2, — de obiecto formali 7 70, — de dignitate 17, — de munere theol. scholasticae 23; — est princeps scholasticorum 46; — eius sectatores 48; — eius methodus 49; — de mysteriorum revelatione 169; — de miraculis 183; — de eccl. militante 396; — iurisdictio episcoporum unde sit 370; — de auctoritate rom. pontificis 512; — de certitudine canonizationis 553; — de auctoritate SS. Patrum 589. — Ipsius auctoritas exponitur 601; — de usu rationis humanae in rebus theologicis 603; — de lumine prophetico 616; — de inspiratione 616.

**Tischendorf** contra impugnatores evangeliorum 88 nota.

**Traditio** est locusologicus 564; — probatur eius necessitas 566; — quomodo res se habuerit in Vetere Testamento 570; — quot fontes designentur nomine traditionis 571; — est norma interpretationis S. Scripturae 569; — est unicum criterium sufficiens inspirationis 643.

**Tridentinum** definivit inspirationem S. Scripturae 613; — de auctoritate Vulgatae 650.

## U.

**Ualdi** de criterio inspirationis 647.

**Unitas** ecclesiae Christi probatur 386.

**Unitas** est nota verae ecclesiae Christi 400; — fluit ex apostolicitate 404; — invenitur in ea ecclesia, in qua rom. pontifex primatum gerit 418; — nulli alii coetui christiano convenit 429.

**Universalitas** religionis christ. 178 sqq. 391 sqq.

**Urbanus V** effert auctoritatem S. Thomae Aquinatis 601.

## V.

**Valentinus** gnosticus testatur genuinitatem evangeliorum 108.

**Vaticanum** de mysteriis 162; — de possibilitate miraculorum 191; — de ecclesia militante 396; — episcopi dissentientes 452; — definivit inspirationem S. Scripturae 613.

**Vaticinia.** *Definitur* vaticinium 209; — eius possibilitas et cognoscibilitas adstruitur *ib.*

*Christi* vaticinia enumerantur 210; — ut argumentum divinae eius legationis penduntur 211.

*Messianica* vaticinia in Vetere Testamento exsistebant 212; — sunt in Christo impleta 245; — breviter explicantur 217; — proto-evangelium 218; — Noë 219; — Abraham 220; — Iacob 221; — David et Salomon 228; — de abiectioe Israel 230; — de muneribus novi pastoris regali, prophetico, sacerdotali 234; — de tempore adventus Messiae 236; — de loco nativitatis eius 242; — cur haec vaticinia de una loquantur persona 244; — de modo loquendi prophetico 247.

**Veritas** relativa in Scriptura 629.

**Victor, papa,** sibi attribuit primatum 481.

**Vigilius, papa,** non erravit ex cathedra loquens 517.

**Vincentius Lirinensis.** Recta notitia illius adagii: Quod ubique, quod semper etc., exhibetur 453; — de progressu scientiae theologiae 526; — praedicat necessitatem traditionis 568.

**Visibilitas** ecclesiae 322 sqq.

**Volkmar** quid proferat contra genuinitatem evangeliorum 86; — eius objectiones contra argumentum pro genuinitate evang. ex harmoniis evang. veteribus exploduntur 92.

## Z.

**Zahn** de fragmento Muratoriano 85; — de „Logiis“ 117 nota.

**Zephyrinus, papa,** sibi attribuit primatum 482.

**Zosimus, papa,** sibi attribuit primatum in ecclesia 487.

**Pesch, Chr., S. J., Praelectiones dogmaticae.**  
Novem tomi in 8<sup>o</sup> maiore.

- I. De Christo legato divino. De ecclesia Christi. De locis theologicis. Editio sexta et septima.
- II. De Deo uno secundum naturam. De Deo trino secundum personas. Editio quarta.
- III. De Deo creante et elevante. De Deo fine ultimo. Editio quarta.
- IV. De Verbo incarnato. De beata Virgine Maria. De cultu Sanctorum. Editio quarta.
- V. De gratia. De lege divina positiva. Editio quarta.
- VI. De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De SS. Eucharistia. Editio quarta.
- VII. De sacramento poenitentiae. De extrema unctione. De ordine. De matrimonio. Editio quarta et quinta.
- VIII. De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis. Editio quarta et quinta.
- IX. De virtutibus moralibus. De peccato. De novissimis. Editio quarta et quinta.

«Revera cursus integer theologiae dogmaticae ad usum scholarum iuxta novam methodum formamque, novisque tractatibus adinventis et scientiarum profectibus comparatus, auctus et respondens, qui tamen tenue manuale tantummodo non esset, neque in immensum, fere unice ad consulendum, opus evaderet, omnino desiderabatur. Perfectum ad hoc putamus opus P. Christ. Pesch evasisse; in quo et scholastica methodus, una cum libera ratiocinatione coniuncta, et Ecclesiae decreta omnia patrumque testimonia multiplicia, sobrie tamen et ad criticae regulas discussa, et modernorum adinventae copiose adhibita erroresque universi refutati inveniuntur, ut alumni, eo solo utentes, plene instructi evadant in theologicis disciplinis.»  
(Divus Thomas, Placentiae)

**Pesch, Chr., S. J., Compendium Theologiae dogmaticae.** Quattuor tomi in 8<sup>o</sup> maiore.

- I. De Christo legato divino. De ecclesia Christi. De fontibus theologicis. Editio altera.
- II. De Deo uno. De Deo trino. De Deo creante et elevante. De Deo fine ultimo et de novissimis. Editio altera.
- III. De Verbo incarnato. De beata Virgine Maria et de cultu Sanctorum. De gratia. De virtutibus theologicis. Editio altera.
- IV. De sacramentis. Editio altera.

«Omnino non dubitamus, Compendium theologiae dogmaticae a Patre Pesch compositum optima fide commendare omnibus theologis qui, quin vel mole litterati apparatus vel expositionibus nimis difficilibus graventur, gaudere volunt de mira illa subtilique catholicae dogmaticae constantia et firmitate, quae talis est ut expugnari nequeat.» (Augsburger Postzeitung, Augsburg.)